IMMACULATE CONCEPTION RETREAT,
CHICAGO, ILLINOIS.



CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT OPUS HOC SANCTITATI SUAE DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT
AC PRIORA EIUS VOLUMINA VIGINTI TRIA SIBI OBLATA
HONORIFICENTISSIMO CHIROGRAPHO COMMENDARE DIGNATUS EST.

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

III. 2

DEUTERONOMIUM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

IO, VIA DICTA « CASSETTE », IO

COMMENTARIUS

IN

DEUTERONOMIUM

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. J.

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1901

NOTA.

Conspectum rerum, quas Commentarius habet, pandit Index eidem ad calcem adscriptus. Sunt tamen aliqua, quae identidem in libro attinguntur, neque tamen in Indice exprimi potuere. Haec ubi reperiantur, h. l. indicamus.

SS. Patrum potissima effata habes p. 9 sqq. 46.84.94.145; *interpretum catholicorum* de Deut. studia p. 2 sq. 8 sq. 13 sq. 35 sq. 60 sq.; *recentiorum criticorum* placita quaedam p. 36 sqq. 174 sq. 433 sq. 513 sqq.

De *critica apud veteres Hebraeos* v. p. 74 sq. 77.97.100.107 sq. 141 sq. 153 sq.; de *inspiratione* v. p. 143.155 sqq.; de Dei in conservandis sacris libris *providentia* v. p. 13.79.100.108 sq. 142.155.158; de *foederibus duobus* a Moyse sancitis, sinaitico et moabitico, v. p. 88 sqq.; de *thorae incrementis successivis* v. p. 60 sqq. 74 sq. 78.80.96 sq. 100. Legem mosaicam fuisse *legem vivam*, habes p. 79.85.103 sqq. 293; fuisse *mutabilem* in pluribus, p. 79.151.289 sqq. 323 sqq. 347; fuisse *paedagogum ad Christum*, p. 107; in V. T. *legem scriptam non fuisse unicam regulam vitae*, p. 79.

De Moysis *autographo thorae* v. p. 48.76 sq. 85; de libro *Genesis* p. 64.96; de nominibus *Sinai* et *Horeb* p. 166 sq.; de actis in *Cades-Barnea* p. 166 sq. 191 sq. 476.536 sq. 540 sqq.; de voce *hodie* p. 212.431.437.

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est: *Commentarius in Deuteronomium*, auctore P. Francisco de Hummelauer, nostrae Societatis sacerdote, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

L. S. Henricus Haan. S. I.

Praepositus Provinciae Germaniae.

Exaeten, 6 Aug. 1900.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 27 Augusti 1900.

P. FAGES, Vic. Gen.

LEO PP. XIII

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam Nobis cordi sit, ut Divinorum Librorum studia vigeant, abunde testantur Litterae, quas de Scripturis Sacris ad universos orbis catholici episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, Bibliorum Sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis eisdemque in fide catholica firmis ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea Librorum Divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetereantur.

Haec Nostra cum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque Scripturis Sacris rite enarrandis tuendisque animos ac diligentiam intendunt. Vos autem, Dilecti Filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio Libros omnes Sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis.

Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus.

Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem apprecamur, quo coeptum ad auspicatum demum exitum deducatis.

Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus vestris, qui operi praeclaro vobiscum allaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis
Rodulfo Cornely, Iosepho Knabenbauer, Francisco de Hummelauer
Sodalibus e Soc. Iesu.

INTRODUCTIO

Scripsit Moyses thoram hanc, et dedit sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Iahve. Deut. 31, 9.

Scripsit Iosue verba ista in libro thorae Dei. Ios. 24, 26.

Locutus est Samuel Iudicium Regni, et scripsit in *libro*, et reposuit coram Iahve. 1 Reg. 10, 25.

Obscuritates (textus) Iahve Deo nostro commendatas habeo; quae clara sunt, data sunt nobis et filiis nostris in aevum, ut faciamus omnia verba thorae huius. Deut. 29, 29 (28).

1. *De libri indole et interpretatione.*

1. Librum antiqui Hebraei a primis vocibus appellabant אלה דברים; recentiores Iudaei etiam ספר תוכחות, « librum poenarum », a severis poenis cap. 28 indictis, vel משנה התורה, quod *LXX* vertere Δευτερονόμιον. De quo nomine nobis pauca sunt dicenda.

משנה a שנה, *repetere*. Infelicius *Cai*. premit significationem *repetitio legis* : « Hic liber nihil habet praeter memoriam rerum ante dictarum ». Librum plurima alia habere, obiter legenti patet.

Repetitur liber, quando eius describitur *apographum*. Quem sensum משנה התורה utique habet Deut. 17,18 et Ios. 8,32. Sed Deut. non esse merum praecedentium librorum apographum, evidens est.

E *repetendi* significatione derivatur altera, *secundus*. Cf. 1 Reg. 26,8; 3 Reg. 18,34, ubi aliqua secundo fieri *LXX* exprimunt verbo δευτερόω. At, quo sensu erit *secunda lex* Deut.? an loco tantum et tempore, quod post priorem legem concinnatum posteriore post illam loco in pentateucho legatur? an praeterea etiam dignitate secunda? Credisne porro, Iudaeos posteriores quintum pentateuchi librum tamquam « secundam thoram » oppositurōs fuisse praecedentibus

libris tamquam « primae thorae »? Norunt hi inde ab Esdra unicam quinque librorum thoram. Si secundam legem exprimere voluissent *LXX*, scripsissent δεύτερος νόμος, non Δευτερονόμιον.

Sed a significatione *repetendi* derivatur tandem significatio *explicatio*. Cf. *P. de Lagarde* : Mittheilungen IV. 190 sq., Goettingen 1891. Sc., qui docet vel explicat, *repetit* doctrinam, eandemque *repetit* discipulus, quoad ea fixa haereat in mente. Refertque *Hier.* (Ep. 121 ad Algasiam; *M.* 22, 1033 sq.), vocibus item δευτεροῦν et δευτερώσεις Iudaeos designare suas thorae *explicationes* seu *traditiones*, quarum magnam ipse partem « aniles fabulas » esse iudicat. Crediderim igitur, eodem sensu Hebraeos hellenistas antiquiores extremum pentateuchi librum vocasse Δευτερονόμιον, *thorae explicationem*, uti suas traditiones vocabant δευτερώσεις; atque eodem sensu Iudaeos palaestinenses quintam pentateuchi partem vocasse *mischne*, quo posteri eorum magnam suam legum collectionem et explicationem vocavere *mischna*. Differunt hae duae voces punctatione : at, nonne illud ipsum, Deut. esse librum divinum, Mischnam non esse, Rabbinis ratio esse potuit diversae punctationis adhibendae, ut suam collectionem vocarent *mischna*, non *mischne*? Frequentes fuere Rabbini in lege sua eiusmodi apicibus munienda.

Ergo nomen משנה התורה, *explicatio thorae* idipsum edicit, atque expressio 1,5 באר התורה, *explicare* seu, verius secundum etymon, *inculcare thoram*. Illud totius libri nomen est ipsum illud nomen, quod inscriptio 1,5 primae orationi 1,6-4,40 attribuit; tantummodo loco nominis בארה a radice באר derivandi, quod Hebraeis usitatum non erat, scribitur synonymum משנה. Iudaei libri nomen saepe non a totius libri materia, sed ab aliqua eius parte repetebant : ita « liber poenarum » (v. s.) a poenis Deut. 28 praenuntiatis; תורת כהנים seu Leviticus, a legibus sacerdotes spectantibus; המספרים seu Numeri, a duabus numerationibus. Similiter משנה התורה, paraenesis thorae, a paraenesi Deut. 1,6-4,40.

Deut. 17, 18 et Ios. 8, 32, rati voce משנה designari quintum pentateuchi librum, vertunt *LXX* δευτερονόμιον : ergo vel *ante*, *quam* illa versio concinnaretur, ille liber apud Hellenistas δευτερονόμιον audiebat. Sed δευτερονόμιον suggerebamus esse versionem vocis hebraeae משנה. Ergo vel *ante*, *quam* versio *LXX* concinnaretur, vocabatur ille liber hebraico nomine משנה התורה.

2. Monebamus CN p. 8 sq. paucos admodum inter catholicos exstitisse libri Num. commentatores : idipsum de Deut. nobis affirmandum est. Recurrunt eadem atque ib. nomina paucorum interpretum, qui ad finem suorum in pentateuchum commentariorum properant, saepe pro continua expositione paucas movent quaestiones, eas

quaestiones, quae nostro tempore gravissimae agitantur, fere ignorant, quod a nemine moverentur nec moveri possent, quo aevo critica studia sopita iacerent. De Deut. agit *Ephraem* Operum I, 269-291, Romae 1737. *Origenis* (Selecta in Deut.; *M.* 12,805-818) supersunt columnae omnino 6, *Theodoreti* quaestiones 46, *Chrysostomi* (*M.* 56,334-336) brevissima Synopsis, *Photii* quaestiones 5 (Quaestiones 18. 69. 279-281; *M.* 101,130 sqq. 405 sqq. 1109 sqq.). Plus habent *Proc.* et *Nicephorus* (Catena in Octateuchum et libros Regum, Lipsiae 1772). Haec fere Graeci, quibus accedit Latinorum tenue agmen. *Aug.* columnis 27 discutit quaestiones 57. *Eucher.* (*M.* 50,781 sq.) et *Hugo a S. Victore* (*M.* 175,86) singuli habent columnam non plane unam; *Paterius* (*M.* 79,773-784) et *Isidor.* (*M.* 83,359-370) singuli columnas 11. Diligentior *Beda* (*M.* 91,379-394) columnas habet 15, dum *Ps. Beda* (*M.* 93,409-416) et *Petr. Damianus* (*M.* 145,1063-1070) septenis columnis continentur. Latius sed non profundius excurrunt *Rhaban.* (*M.* 108,839-998), *Walafridus* (*M.* 113, 445-506), *Bruno Astensis* (*M.* 164,505-550). Accuratior *Rup.* Interpretes Deut. patrologiis recentiores iidem sunt, qui libri Num.; potissimorum nomina infra habes adscripta. Recentissimus primae notae commentarius inter catholicos *Calmeti* est, cuius in universam scripturam commentarii primum in lucem prodiere 1707-1716. Diligens in primis commentator Calm.; quaestiones tamen, quae hodie agitantur, ignorabat plerasque; duorum fere saeculorum nobis lacuna explenda est.

Auctorum, quos frequentius adhibitisque abbreviationibus quibusdam citamus, h. l. nomina et opera describimus; reliquos in opere ipso suis locis sine abbreviationibus citabimus. Auctoribus antiquioribus adscribimus tomum collectionis *Migne.*

Eus. — *Lagarde* : P. de Lagarde Onomastica sacra, ed. 2ª, Gottingae 1887, in qua *Eusebii Caesar.* et *Hier.* libri Interpretationis hebraicorum nominum editi et cum aliis fontibus comparati reperiuntur.

Theodoret. : Quaestiones in Deut. *M.* 80, 401-456.

Proc. : Procopii Gazaei Commentarius in Deut. *M.* 87, 893-992.

Aug. : S. Augustini Quaestiones in Heptateuchum *M.* 34, 747-776.

Rup.: Ruperti Tuitiensis libri De Trinitate et operibus eius *M.* 167, 917-1000.

Accedunt :

Bertholet : A. Bertholet, Deuteronomium, Freiburg i. B. 1899.

Bonfr. : J. Bonfrerii S. I. Pentateuchus Moysis commentario illustratus, Antwerpiae 1625.

Cai. : Card. Th. de Vio Caietani O. P. in Scripturam commentarii I, Lugduni 1639.

Cornely : R. Cornely S. I., Historica et critica introductio in V. T. libros sacros, 2ª ed. Paris 1894-97.

Cornill : C. H. Cornill, Einleitung in das A. T., 3. u. 4, Aufl., Freiburg i. B, 1896.

Dillm. : A. Dillmann, Die Bücher Numeri, Deuteronomium u. Iosua, 2. Aufl., Leipzig 1886.
Dr. : S. R. Driver, A critical and exegetical commentary on Deuteronomy, 2nd ed., Edinburgh 1896.
Erman : A. Erman, Aegypten u. aegyptisches Leben im Alterthum, Tübingen 1885.
Geiger : A. Geiger, Urschrift u. Uebersetzungen der Bibel, Breslau 1857.
Gord. : I. Gordonius S. I. in : Biblia Sacra cum selectissimis litteralibus commentariis III, Venetiis 1747.
Hommel : F. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung, München 1897.
Holz. : H. Holzinger, Einleitung in den Hexateuch, Freiburg i. B. 1893.
Ians. : Cornelii Iansenii episcopi Iprensis Pentateuchus, Lovanii 1685.
Keil : C. F. Keil, Biblischer Commentar über die Bücher Mose's II, Leipzig 1862.
Kl. : P. Kleinert, Das Deuteronomium u. der Deuteronomiker, Bielefeld u. Leipzig 1872.
Klost. : A. Klostermann, Der Pentateuch, Leipzig 1893.
Kn. : A. Knobel, Die Bücher Numeri, Deuteronomium u. Josua, Leipzig 1861.
König : E. König, Einleitung in das A. T., Bonn 1893.
Kue. : A. Kuenen, Historisch-kritische Einleitung in die Bücher des A. T., deutsch v. Prof. Dr. Th. Weber, Leipzig 1887.
Loisy : A. Loisy, Histoire du Canon de l'Ancien Testament, Paris 1890.
Lyr. : N. Lyrani Postilla.
Malv. : Th. Malvenda O. P., in Biblia Sacra, v. s.
Mar. : I. Mariana S. I., ib.
Men. : I. St. Menochius S. I., ib.
Movers : F. C. Movers, Ueber die Auffindung des Gesetzbuches unter Iosia, in : Zeitschrift für Philosophie u. kath. Theologie, XII, 79 ff., XIV, 87 ff., Köln 1834-5.
Ros. : E. F. C. Rosenmülleri Scholia in V. T. II, Lipsiae 1824.
Smith : W. Smith, The book of Moses, London 1868.
Tir. : I. Tirinus S. I., in Biblia Sacra, v. s.
Tost. : A. Tostatus, dictus Abulensis, Operum tomus III, Coloniae Agrippinae 1613.
Van H. : A. Van Hoonacker, L'origine des quatre premiers chapitres du Deutéronome, Louvain 1889. Quae antea iam publici iuris fecerat in : Le Muséon VII (1888) p. 464-482, VIII (1889) p. 67-85. 141-149.
Vat. : I. Vatablus, in Critici Sacri I b, Amstelodami 1698.
Vernes : M. Vernes, Essais bibliques, Paris 1891.
Wellh. C. : I. Wellhausen, Die Composition des Hexateuchs, 2. Druck, Berlin 1889.
Wellh. P. : I. Wellhausen, Prolegomena zur Geschichte Israels, Berlin 1883.
Wild. : G. Wildeboer, Die Entstehung des alttest. Kanons, Gotha 1891.

Quoad ipsum textum sacrum :

Field : F. Field, Origenis Hexaplorum quae supersunt I, Oxonii 1875.
Levy : I. Levy, Chaldäisches Wörterbuch über die Targumim, Leipzig 1881.
Verc. : C. Vercellone, Variae lectiones Vulgatae latinae bibliorum I, Romae 1860.

Nostros, quos edidimus, commentarios ita citamus :

C G : Commentarius in Genesin 1895.
C E L : Commentarius in Exodum et Leviticum 1897.

C N : Commentarius in Numeros 1899.
C I : Commentarius in libros Iudicum et Ruth 1888.
C R : Commentarius in libros Samuelis seu I et II Regum 1886.

3. *Philo* (Vita Moysis, extremo lib. III) et *Ios.* (Ant. IV. 8.48) voluere totum Deut., etiam quae de Moysis morte et sepultura sunt, ab ipso Moyse esse conscriptum. Quibus consentit *Malv.* : « Cum divino et prophetico scriberet Moyses spiritu, non dubitamus, et hoc quoque integrum caput » 34 « conscripsisse ». Reliqui tamen interpretes, dum Moysen pentateuchi auctorem uno ore fatentur, concedunt aliqua, imprimis in Deut., ei non immerito denegari auctori. Notum *Thalmudistarum* placitum (Baba Bathra fol. 14^{b}; aliter tamen Menachôth fol. 30^{a}) : « Moyses scripsit librum suum, et sectionem de Balaam, et Iobum. Iosue scripsit librum suum et octo illos versus in lege ». Denegatam autem crediderim Moysi auctori extremam partem Deut., non quod traditione constaret eam esse alius auctoris, sed quod secus gratuito adstruendum esset miraculum seu revelatio, ut Moyses adhuc vivens suam mortem et sepulturam vere descripserit. « Quam certum est vel probabile, quempiam scriptorum librum aliquem conscripsisse, tam certum est et probabile, eum dum viveret id fecisse, ut ex se perspicuum est. Unde si qua libri pars ipso vivente conscribi non potuit, cuiusmodi nonnulla occurrunt in quibusdam libris, perspicue asserendum est, eius auctoris partem illam non esse, sed ab altero scriptore hagiographo additam, sive complementi et perfectionis totius operis gratia, sive aliam ob causam » (*Bonfr.* in Appendice ad cap. VII Praeloquiorum, Sect. V). Extremam igitur Deut. 34 partem vix quisquam Moysi concedit; totum cap. 34 ei denegant *Tost.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Gord.*, *Calm.* Longius procedunt *Ians.* (Praefatio in Pent. p. 2) : « Non sic tamen a Moyse scripti sunt » illi quinque libri, « quin aliquae partes a nonnullis additae dici possint, ut mors Moysis et nomen Dan Gen. 14 et quaedam alia ». Et *Tir.* : « Totum hoc caput » (Deut. 34) « et plura quoque alia loca ab eodem Iosue hinc inde in pentateucho, maxime ubi Moyses effuse laudatur, inserta fuisse plurimorum est opinio, quod censeant, virum tam modestum in laudes proprias nunquam tam ample excursurum ». Non censebant hi interpretes omnia mordicus uni Moysi esse tribuenda. Aliqua ipsi veluti digitis demonstrabant, quae adiectitia esse ipsi pronuntiabant ob rationes plus minusve certas. Rationes criticae ipsos fere fugiebant. Sed ita erant dispositi animis, ut libenter essent adiectitiis accensuri aut certo aut probabiliter ea omnia, quaecumque certis aut probabilibus rationibus demonstraturus esset aliquis alii quam Moysi scriptori esse attribuenda. Sentiebant fere uti *Greg. M.* (Praefatio in Iob; *M.* 75,

517), qui, certam utique habens librorum V. T. antiquitatem, quaestionem, qui viri singulorum librorum essent auctores, non accensebat quaestionibus fidei et morum, sed de quaestione, scripseritne Moyses librum Iob, haec habet : « Sed, quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur? » Cf. *Theodoret.* Praefatio in Psalmos *M.* 80,861.

Longius etiam progressus *Lap.* (in Pent. Arg.) : « Adverte », inquit, « Moysen pentateuchum simpliciter conscripsisse per modum diarii vel annalium; Iosuen tamen vel aliquem similem eosdem hos Moysis annales in ordinem digessisse, distinxisse et sententias nonnullas addidisse et intexuisse »; et *Pererius S. I.* (Comment. in Genesim, Coloniae 1606, p. 3) : « Placet etiam mihi eorum sententia, qui existimant hoc pentateuchum longo post Moysen tempore, interiectis multifariam verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum et explicatius redditum et ad continuandam historiae seriem melius esse dispositum ». Quae nos ideo tantum adscribimus, ut perspiciat lector, quanta his in disquisitionibus interpretibus concederetur libertas saeculis ante elapsis, quibus rationes quorumdam Moysi auctori denegandorum scirentur imperfectius. Non est igitur, cur timeamus tantorum magistrorum vestigia terentes.

4. Ceterum non est necesse, ut hac in re antiquiorum quorumdam coniecturas sequamur, cum nobis ipsa *scriptura* indubia aliqua suppetat argumenta. Docemur Ios. 24,25 sq. haec : « Percussit Iosue in die illo foedus populo, et proposuit ei statutum et iudicium in Sichem, et scripsit Iosue verba illa in libro thorae Dei ». Pro extrema voce, *Vulg. Domini, Syr. Moysis, LXX* falsam secuti punctationem *thorarum Dei.* Sententia est plane perspicua : extrema vita Iosue celebravit in Sichem solemnem renovationem foederis populum inter et Iahven, ubi etiam quaedam a se edita inscripsit libro thorae Moysis.

Habes aliud factum 1 Reg. 10,25 : « Locutus est Samuel ad populum iudicium regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Iahve ». Cui voci *libro* determinatum articulum punctatione attribuunt *Masor.*;

librum vero hac ratione articulo determinatum, seu librum κατ' ἐξοχήν intelligebant Masor. *thoram* eamque solam. Cf. *Movers* p. 85. Dices *LXX Syr. Chald.* ignorare eam punctationem. Ignoravere, cum quod unica vocalis facile ignoretur, tum fortasse quod gravarentur adstruere viro alicui, quantumvis sancto, ius fuisse sacrosanctae Moysis thorae aliquid adscribendi. Fugit eos, eo facto non tam deprimi Moysis, quam extolli Samuelis auctoritatem. Iosue et Samueli, qui medium obtinuerint locum, ille inter Moysen et iudices, hic inter iudices et reges, insigne plane a Deo concessum est privilegium, ut aliquid sacrosanctae thorae adscriberent. Sed illa posteriorum Iudaeorum de sanctitate thorae opinio illud profecto debuit efficere, ut Masorethae eam punctationem non adhibuerint, nisi traditione acceptum habuerint agi ibi de libro determinato. Ceterum eorum punctatio vera esse invicte demonstratur collato facto Ios. 24,26. Samuel, sua adscribens thorae, secutus est exemplum Iosue. Dicesne, Samueli nefas fuisse facere id, quod Iosue fecerat? *Movers* l. c.

Thoram Moyses Deut. 31,9 tradidit Levitis arcae gestatoribus; secundum eum, qui nunc habetur, v. 26 contextum reposuit « in latere arcae ». Nos quidem v. 23 sq. ad calcem v. 13 transferentes, censemus verba v. 26 intelligenda esse de autographo cantici. Verum non ignobiliore loco, quam canticum, reposuit Moyses thoram. Iosue, postquam sua thorae adscripsit, reposuit thoram in locum suum ad latus arcae, quod exprimunt verba « reposuit coram Iahve ». Reposuerunt autem prope arcam « in testimonium » (Deut. 31,26) contra populum. Non quasi latus arcae fuerit locus authographis librorum sacrorum asservandis destinatus (cf. Hebr. 9,3 sq.); neque certe, quantum novimus, Hebraei libros prophetarum eodem cum thora Moysis dignitatis loco habuere : sed ibi reposuit Moyses thoram suam, reposuere Iosue et Samuel addita sua, non ut libros a thora distinctos, sed thorae inserta et cum illa unum quid effecta; reposuere in testimonium contra populum, ut modo anthropomorphico moneretur populus, si quando a lege deficeret, laesae thorae non immemorem futurum esse Iahven, eam penes se scriptam habere, et apostatas certissime esse puniturum. Cf. *Wild.* p. 21.

Inauditum tibi videatur, thoram post Moysen aliqua accepisse incrementa, non sententiolam unam vel alteram, sed integra aliqua documenta. Non tamen latuit antecessores nostros interpretes catholicos res tam clare in sacro textu expressa. Qui punctationem quidem 1 Reg. 10,25 non videntur attendisse; *Vat., Sa, Est., Malv., Men., Gord.* pronuntiant illum Samuelis librum esse deperditum, de textu 1 Reg. 10,25 cum Ios. 24,26 comparando non cogitavere, uti neque

Men., Calm. aliique. Verum *librum thorae Dei* Ios. 24,26 interpretabantur eodem plane modo, quo nos interpretamur, quique unus admitti potest, quin textui vis inferatur. Quem librum *Tost.* declarabat esse « Deut., quod scripsit Moyses manu sua, et posuit in latere arcae ». *Cai.* : « tamquam appendicem memoriam scripsit Iosue in eodem volumine, in quo scripta erat lex Domini, renovationem huius foederi, ut quibus communicaretur exemplar legis, simul etiam communicaretur renovatio foederis ». *Bonfr.* : « Respondeo volumen istud intelligi, in quo Moyses Deut. conscripserat, quodque in arcae latere constitui iusserat, e quo verisimiliter lecta sunt et proposita illa praecepta et iudicia, de quibus agit versus praecedens ». *Lap.* : « scripsit Iosue in libro Deut., puta ad calcem libri; hunc enim Moyses librum iusserat in latere arcae collocari, eo quod hic liber contineat omnia Dei praecepta, quae sunt conditio foederis inter Deum et populum per Moysen initi et per Iosuen hic renovati ». *Calm.* : « in calce voluminis legis Moysi, quod Moyses in arca foederis condiderat. Commodum autem erat addere in fine huius voluminis seu novas aliquas tabellas, seu postremae adhuc fortasse partim vacuae novam scriptam adiicere ».

Habes igitur scripturam evidenter affirmantem, post Moysen thorae aliqua addita esse documenta. Habes interpretes catholicos unum certe concedentes additum esse documentum. Nullum exstat testimonium neque sacrum neque profanum affirmans, ea documenta e thora rursum aliquando esse excisa. Praesumptio igitur favet opinioni, ea in thora vel nunc reperiri. Neque tamen sola praesumptione contentum esse oportet religiosum interpretem. Accurati[illegible]e circumspiciat oportet, annon duo illa documenta, aut eorum unum, aut aliquod eorum fragmentum in nostro Deut. reperiatur. Si reperiat, nihil est quod miretur, quod trepidet.

Quaestionem hanc omnino necessariam interpretes nostri non discusserunt : commentatores librorum Samuelis, quod 1 Reg. 10,25 cum Ios. 24,26 non comparaverint; commentatores libri Iosue, quod rem commentatoribus pentateuchi dirimendam permitterent; commentatores pentateuchi, quod textus Ios. 24,26 et 1 Reg. 10,25 non attenderent. *Cornely* I. 696 de interpretibus aurei saeculi catholicae exegeseos modernae (1563-1663) ait : « Gravius est, quod illa via, qua scholastici illis praeierant, relicta ad compositionem et divisionem integrorum librorum parum attenderint, ita ut singulos potius libri textus, quam integra opera plerumque exponere videantur; quo factum est, ut proximum quidem contextum accurate considerarent, remotum autem magis negligerent, nec scopum finemque scriptorum

sacrorum satis curarent ». Severius idem p. 714 sqq. loquitur de iis, qui post aureum saeculum fuere, interpretibus, quorum tempore « una cum theologia scholastica etiam scripturarum interpretatio languescebat ». Floruere tum viri illi, qui *historico* potius modo studia scripturistica tractaverunt, criticis editis introductionibus. Inter quos facile princeps exstitit *R. Simon* (Histoire critique du V. T., Paris 1678), in cuius lib. I cap. II plura reperies h. l. utiliter conferenda. Ceterum illi scriptores, quod rei natura fert, non tam illud intendebant, ut textus penitius, quam id antea factum fuerat, exponerent, sed ut supposita ea textuum interpretatione, quam traditam acceperant, historiam textus sacri texerent. Cf. v. g. *Cl. Frassen* : Disquisitiones biblicae, Lucae 1769, lib. V cap. 1 (antea Parisiis 1682-1705).

Critici recentiores Deut. secundum canones artis suae criticae excusserunt totum, in partes, moleculas, atomos resolvere : ipsi vix non unanimes declarant, collectaneum legum Deut. 12,1-26,15, aut solum aut quibusdam additis, esse Deut. primigenium, « das Ur-Deuteronomium », « le noyau du Deutéronome ».

Contra quos defendimus nos, collectaneum esse ipsum « iudicium regni », librum a Samuele thorae insertum ; Deut. 26,16-27,26 probabilius esse initium « statuti », quod Iosue thorae adscripsit.

Fuere inter recentiores, qui non immerito affirmarent Deut. esse totius pentateuchi clavem ; collectaneum èst clavis Deut[1] ; qui de collectaneo perperam sentit, ei pentateuchus est liber clausus. Universa cum criticis dimicatio nobis est tandem de indole collectanei, qua in re funditus dissentimus a schola wellhusiana.

5. Legitur in Introductionibus passim illud libri apocryphi 4 Esdr. 14 narratum, aevo Esdrae universos libros sacros flammis exstitisse absumptos, Esdram vero spiritu Dei repletum per 40 continuos dies eos (aliosque) quinque scribis dictasse ita, ut antiqui libri sacri restituerentur omnino tales quales pridem fuissent. Quam narrationem Patrum et ecclesiasticorum scriptorum plures veram habuere. Ita *Tert.* (De cultu fem. I. 3 ; *M.* 1,1308) affirmans, « omne instrumentum hebraicae literaturae per Esdram esse restauratum » ; *Clem. Alex.* (Strom. I. 22 ; *M.* 8,893) asserens, « cum interiissent scripturae, omnes veteres rursus scripturas renovasse » Esdram ; *Chrys.* (Hom. 8,4 in Hebr. ; *M.* 63,74) haec habens : « Ingruit exitiale bellum, libri concisi et exusti fuere : alteri rursum viro mirabili inspiravit, ut illas exponeret, Esdrae inquam, et e reliquiis recomponeret ». Cf. *Iren.* (Adv. Haer. III, 21 ; *M.* 7,949 ; quem ad verbum recitat *Eus.* Hist. eccl. V. 8 ; *M.* 20,453) ; *Basil.* (Ep. 42 ad Chilon. ; *M.* 32,357) ; *Theodoret.* (Praefa-

tio in Cant.; *M.* 81,29); *Optat. Milev.* (De schism. Donatist. VII in fine; *M.* 11,1104); *Ps. Aug.* (De mirabilibus S. Scr. II, 33; *M.* 35, 2191); *Isidor.* (Etymol. VI, 3; *M.* 82,235 sq.); *Beda* (in 1 Esdr. 7; *M.* 91,859).

Cf. item *Isidor.* (De eccles. officiis I, 12; *M.* 83,747) : « Omnes autem hos libros idem Esdra post incensam legem a Chaldaeis, dum Iudaei regressi fuissent in Ierusalem, divino afflatus spiritu reparavit, cunctaque prophetarum volumina, quae fuerant a gentibus corrupta, correxit, totumque testamentum in 22 libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot habentur et literae ». Cui ad verbum consonant *Rhaban.* (De clericorum instit. II, 54; *M.* 107,366; — De universo V. 4; *M.* 111, 121) et *Hugo a S. V.* (De scripturis et scriptoribus sacris cap. 8; *M.* 175,17; —Erudit. didasc. IV, 4; *M.* 176,780). Hodie nemo est, qui hanc narrationem, qua forma 4 Esdr. 14 legitur, fabulam esse rabbinicam non fateatur. Cui si aliquid veritatis insit, erit hoc sane illud, fuisse post exsilium librorum sacrorum miserrimam conditionem, nonnisi maximo labore illos restituisse Esdram, vel quisquis tandem ei rei manum apposuerit.

Censet utique *Loisy* p. 19. 32 narrationi nihil omnino inesse veritatis. Verum haud credo Hebraeos, ne ad extollenda quidem Esdrae merita, effecturos fuisse scripturas sacras fuisse penitus destructas, si eae nullum aut leve tantum passae essent detrimentum. Verebantur Esdram, verebantur magis etiam scripturas. Verum, si reapse illud traditum acceperant, miserrimam ante Esdram fuisse scripturarum conditionem, easque Esdrae aevo in praesentem formam esse restitutas, facile concedam eos tradita exaggeraturos fuisse ita, ut scripturas penitus interiisse et ab Esdra insigni plane miraculo restitutas esse affirmarent. Quo et Esdrae auctoritatem in immensum augebant, et scripturis plus dignitatis addebant, quam detrahebant.

Quatuor igitur narrationis Ps. Esdrae distinguimus asserta : factam esse ante Esdram magnam aliquam librorum sacrorum stragem; factam esse per Esdram librorum sacrorum restitutionem; illam stragem tantam fuisse, ut libri omnes penitus interierint; restitutionem factam esse per summum aliquod miraculum ita, ut libri restituerentur plane tales, quales antea fuissent. Extrema duo asserta intime connexa sunt inter se : si penitus interierant illi libri, non potuere nisi per miraculum resuscitari. Quibus duobus assertis inter fabulas relegatis, non sequitur priora etiam duo asserta esse repudianda. Consuevere alias etiam traditiones rabbinicae ficta miscere veris et, quae vere gesta essent, obvolvere portentis. Cuius rei illustre exemplum habes narrationem de origine septuagintaviralis versionis. Non

sunt ergo temere incusandi Patres laudati, quod traditionem aliquam receperint, quae tota quanta sit spuria. Neque solo tandem testimonio Ps. Esdrae nititur illa traditio, qui nequaquam affirmat eius stragis ipsos etiam Hebraeos fuisse auctores. Quod diserte profitetur *Chrys.* (in Matth. Hom. 9; *M.* 57,18 sq.) : « Segnes cum essent Iudaei et frequenter in impietatem inciderent, alios quidem libros deperdi permiserunt, alios combusserunt et laceraverunt. Hoc factum esse narrat Ier. 36, illud auctor 4 Reg. dicens, post multum tempus aegre tandem Deut. repertum esse defossum atque deperditum ». Cui consonat *Theodoret.* (Praefatio in Canticum; *M.* 81,29; — cf. Praefatio in Psalmos; *M.* 80,864) stragem eandem imputans impiis regibus, imprimis Manassae. Haec frustra apud Ps. Esdram requisieris. Nota item *Chrys.* (v. s. p. 9) libros affirmare restitutos esse e *fragmentis*, ergo non tanto quantum Ps. Esdras adstruit miraculo.

Quia vero in *Esdrae* nomen incidimus, unum est, quod lectorem in toto hoc commentario prae oculis servare desideramus. Nullatenus in commentario attingimus quaestionem, an Esdras canonem Hebraeorum absolverit : nobis de solo pentateucho, vix non semper de solo Deut. agendum est. Exeunte aevo Esdrae exstitisse pentateuchum substantialiter talem, qualis nunc est, concedunt etiam critici moderni : cf. *Kue.* I a. 300. Imo concedunt, anno 444 Esdram supposuisse renovationi foederis (2 Esdr. 8-10) pentateuchum, uti Iosias suae renovationi supposuerat thoram, licet aliqua aliqui anno 444 pentateucho adhuc defuisse autument; pronuntiant, Esdram « canonizasse » pentateuchum, uti Iosias « canonizaverit » thoram (*Wild.* p. 93 sq.). Porro restituti textus laudem 4 Esdr. uni Esdrae tribuit; quo non excluditur, Esdram alios habuisse eius laboris socios, sive aequales sive antecessores; imo non excluditur, summam laboris alios praestitisse, Esdram in lege promulganda potius quam restituenda optime meritum esse de re publica Iudaeorum; textus sacer 1 Esdr. 7, 14 nobis utique ostendit Esdram legem iam plene restitutam habentem « in manu sua », et cum hac coram rege Artaxerxe assistentem. Labor autem ille restituendae legis quadamtenus incoeptus est ab ipso rege Iosia, resumptus potissimum in Babylonia inde ab ipso exsilii initio, absolutus fortasse ab ipso Esdra. *Quando de Esdra restitutore pentateuchi loquimur, nomine designamus totam illam epocham potius, quam individuum illum virum.*

Eiusmodi igitur strage aliqua scriptorum mosaicorum admissa, quis negabit *potuisse* restitutorem, dum textum restitueret, aliqua omittere, inserere locis non suis, confundere non ea quidem, quae fidei morumve errorem inducerent, sed quae historiam, orationum ordinem et similia attingerent? Aliquos in canone Esdrae desiderari libros antiquiores inspiratos, qui sc. in nostro sacro textu citentur a vidente vel propheta fuisse conscripti, sed ipsi non iam exstent, apud omnes in comperto est (*Cornely* I. 246 sqq.) : quo iure negaveris, *potuisse* omitti aliquas librorum nostri canonis pericopas, alias inseri loco non suo, potuisse thorae adnecti quaedam a thora aliena? Quodsi

haec horumve similia revera evenisse demonstrentur, intra aequos tandem limites compressa habebitur et illa sacrorum librorum ante Esdram deformatio, et labor ab Esdra aliisve illis restituendis impensus, clariusque perspicietur, quid veritatis in illa fabula 4 Esdr. 14 latitet.

A coniecturis transeo ad facta. Habentur in aliis libris sacris vestigia aliqua, quibus docemur, quo ritu Esdras aliive in restituendis textibus processerint. Historia iudicum restituta est hoc modo, ut primum Iud. 1-16 iudicum acta traderentur continua, dein Iud. 17 sq. 19-21 nullo inscripto titulo nullave adhibita textus distinctione, adnecterentur narrationes duae, quae acta quaedam aevi iudicum referrent, sed cum actis Iud. 1-16 nequaquam una primitus fuerint narratio. Acta quippe haec non nudam habent narrationem, sed consilio et arte ita sunt disposita, ut illud continuo inculcent, populi hebraei prosperitatem et clades intime connecti cum cultu Iahve vel observato vel neglecto; quo eodem consilio profecto non est concinnata narratio Iud. 17-21. Cf. CI p. 3 sqq. Fortasse antiquitus plures eiusmodi habebantur rerum aevi iudicum narrationes, quarum hae solae in restitutoris manus pervenerint et, quod tenuiores viderentur, quam quae singularem librum efficerent, actis iudicum pro appendicibus sint adscriptae. — Similiter historiam initiorum regni restitutam deprehendimus ita, ut primum 1 Reg. 1-2 Reg. 20 continua tradatur historia Samuelis, Saulis et Davidis, dein 2 Reg. 21-24, nullo inscripto titulo nullave adhibita textus distinctione, sex subnectantur eius historiae fragmenta.

En tibi igitur rationem aliquam, quam sequebatur restitutor ille : praesto illi erant narrationes quaedam integrae, aliae mancae, alia quae mera essent fragmenta; tradebat primum, quantum poterat, continuam actorum cuiusdam epochae narrationem; dein, nullis adscriptis titulis adhibitisve textus distinctionibus, adnectebat quae superessent fragmenta. Quodsi porro aevi iudicum priorumque regum acta, quae breviora sunt, non integra ad restitutorem textus pervenere, non absimile veri apparet, acta item aevi mosaici, quae tanto sunt prolixiora, non integra illi praesto fuisse. Erat tum ille traditurus ea acta, ubi posset, continua; ubi intercederent lacunae, descripturus erat ea quae restabant fragmenta. Cuius rei si commentator certa vel probabilia deprehendat argumenta, non est, cur aut ipse aut lector agitetur animo, quasi labefactetur scripturarum auctoritas : illustrant haec tantum eam traditionem, cuius meminerunt Introductiones omnes, libros sacros circa exsilii tempus repertos esse plurimum depravatos et ab Esdra, summo quo potuit studio, esse restitutos.

Dicebamus CN p. 213 sqq., narrationem actorum Moysis priorum aliquam aliquando passam esse imminutionem, excisis actis sacerdotum praemosaicorum et apostasiae cadesianae. Arbitramur, ob eandem atque illa principalem rationem, excisam item esse narrationem secundi foederis a Moyse in terra Moab facti. Quam lacunam sentiens restitutor, cum haberet in manibus tres orationes Moysis, quae ad idem secundum foedus referrentur, eas orationes in narrationem actorum Moysis, in Deut. inseruit, e duobus libris fecit unum, remissa ad calcem narratione actorum supremae diei vitae Moysis Deut. 31, 14-34,12. Hanc unam maiorem fecit mutationem, et sapienter fecit. Difficultates autem, quas expertus est in restituenda tertia oratione Moysis, candide expressit verbis 29,29(28) : « Obscuritates (textus) Iahve Deo nostro commendatas habeo; quae clara sunt, data sunt nobis et filiis nostris in aevum, ut faciamus omnia verba thorae huius ». Quem versum interpretes modis torsere multis et miris, ut eum ad reliquae orationis contextum revocarent : sed adscribitur ille praeter contextum, est suspirium restitutoris textus, de hac restitutione ad felicem terminum perducenda veluti desperantis.

Ergo non quale a Moysis calamo profectum est Deut., tale in nostras manus devenit, sed auctum, laesum, restitutum. Interpretis est, in huius restitutionis indolem, causas, ambitum inquirere. Restituenti affuit divina assistentia, non necessario ea qua scripta restitueret critice et historice perfecta, sed qua fini religioso, ob quem restituerentur, fieret satis. Qui pro Iudaeis exprimitur illis verbis : « ut faciamus omnia verba thorae huius ». Cuius item assistentiae ambitus et limites interpreti pro viribus sunt indaganda. Accedat oportet ad examinandum Deut. nullo in neutram partem concepto praeiudicio, iudicium ferat secundum textum, textum inquam solum. Certe non illud praeiudicatum habeat, textum post exsilium restitutum esse omnino talem, qualis antea, imo ab ipso condito libro fuerat; cuius opinionis aliud fundamentum non habetur nisi fabula illa rabbinica aut traditio iudaica, quae nequaquam est omni exceptione maior.

Quam in rem minus hucusque inquisiere commentatores catholici; quae supra e variis afferebamus auctoribus, generalia potius sunt et subsiciva, tentamina potius quam aequa et severa disputatio. Quippe exegesis, uti ipsa dogmatica theologia, haud parum semper iuvabatur adversariorum impugnationibus. Dogmata de Christo, de sacramentis, de magisterio Ecclesiae iis potissimum aetatibus evolvebantur, quibus ab adversariis acrius impugnabantur. Textus de Christo Deo et messia primis potissimum saeculis discutiebantur, textus de

sacramentis posterioribus, in authentiam librorum sacrorum inquisitum est tum maxime, quando ea audacius in dubium vocari coepta est. Nostro potissimum aevo reservabantur quaestiones criticae. Ubi labor nobis subeundus est alacriter : quod enim alias factum est, ut adversariorum impugnationes occasio fierent veritatis sacrae lucidius, completius atque profundius evolvendae, idipsum sine dubio in criticis etiam disquisitionibus fiet.

Neque ideo negligendae nobis sunt quaestiones criticae, quod ea, quae hodie apud protestantes potissimum floret schola wellhusiana, principia rationalismi profiteatur, non hermeneuticam et historiam sequatur criticorum studiorum duces, sed solis criticis rationibus hermeneuticam reformare et historiam subvertere praesumat. Est etiam critica sana, neque multi errores sine aliquibus veritatibus esse consueverunt. Porro « interpretis catholici est, non solum a maioribus veluti haereditatis iure accepta sancte custodire, sed etiam divitiis ditescere scientiae modernae. Uti Patres et scholastici scientiarum profanarum placitis libere utebantur ad veritatem christianam defendendam et illustrandam, ita nostri temporis catholicis theologis et ius est et officium veterum et novorum indidem depromendorum » (*P. Schanz* in : Biblische Studien I, 2 p. V sq., Freiburg i. B. 1896).

Ceterum, licet Deut. pauciores e catholicis nactum sit interpretes, atque duo saecula proxime elapsa plures quidem in pentateuchum introductiones, sed nullum protulerint inter catholicos primae notae commentarium in Deut., tamen pauca illa, quae a Patribus veteribusque interpretibus tradita accepimus, ea habent principia, quibus agitatissimae de pentateucho quaestiones elucidentur. Sunt eae potissimum duae.

Prima est de *auctore et auctoritate pentateuchi*. Factum, quod sacer textus haud ambigue enuntiat, Deut. aliquando notabiliora quaedam accepisse *augmenta*, non ignoravere veteres interpretes. Quo adigimur ut, sicut collectaneum Samueli, ita thoram attribuamus Moysi auctori. Ergo vere 1 Reg. 10,25 traditur Samuel, vere Ios. 24,26 traditur Iosue sua thorae adscripsisse, vere Deut. 31,9 traditur Moyses scripsisse thoram. Aevum iudicum non est aevum mythicum, cuius sc. Deut. 12,1-26,15 habeatur codex legum; neque mythica sunt aeva Iosue et Moysis, sed omnino vera et historica. Consequuntur haec omnia illud unum factum.

Altera est *quaestio critica*. Nostrum quem habemus textum esse *restitutum*, et ipsa textus indubia vestigia suggerunt, et agnovere Hier., Chrys. aliique Patres plures. Cuius restitutionis ambitus, limites, tempora secundum regulas sanae criticae accuratius erunt definienda.

Vastus hic spoliis Aegypti colligendis campus. Sed textu restituto longe antiquiores fuerint oportet textus primigenii, ad quos sola critica haud pertinget, sed suas coniecturas fulciat oportet factis hermeneuticis atque historicis.

Ergo in ipso sacro textu, in ipsis Patrum veterumque interpretum scriptis habentur principia illa, quibus secure definiantur quaestiones illae agitatissimae. Illi iecere semina, nostrum est laetam colligere segetem.

2. *Conspectus Deuteronomii.*

In ipso commentario eorum, quae hoc capite affirmamus, rationes expliciturі, ipsarum interim rerum summarium in medium proferimus.

Igitur in extremam *narrationem actorum Moysis,* quae ab Exodo ordiebatur, et immediate ante acta supremae diei vitae Moysis (Deut. 31,14-34,12) inseruntur *documenta tria* ab illa narratione plurimum diversa. Non producunt ea narrationem actorum, non habent promulgationem legum a Iahve Moysi creditarum, sed prolixas recitant Moysis orationes. Post 1,1-5, quae praecedentium simul sunt summarium aliquod et sequentis orationis inscriptio, prima oratio 1,6-4,40 est *paraenesis thorae* : hoc quippe nomen ei 1,5 inscribitur. Cui extremae adhaesit 4,41-43 notula aliqua de civitatibus refugii transiordanicis a Moyse designatis. Altera oratio inscriptione 4,44-49 appellatur *thora,* clauditurque subscriptione 29,1 (28,69). Tertium documentum 29,2 (1)-31,13 titulo non inscribitur, non est mera oratio, sed orationibus intexta *historia restitutionis foederis* in terra Moab celebratae, in qua etiam promulgabatur thora. Secundae orationi inseruntur duo : *collectaneum legum* 12,1-26,15, quod idem est atque « iudicium regni » 1 Reg. 10,25 a Samuele promulgatum, et *verba Iosue* 26,16-27,26, non tota, sed eorum initium tantum. Tandem 31,14-34,12 absolvitur narratio actorum Moysis.

a. PARAENESIS THORAE DEUT. 1,6-4,40.

Sine exordio ruit orator in medias res, brevissimam 4,32-40 adhibet perorationem. Orationis veluti summarium aliquod habes 1,4 sq. : Postquam percussit Sehon etc., adiecit Moyses animum etc. Constat sc. oratio *parte historica,* cui deinceps tamquam fundamento superstruitur *pars paraenetica.*

Pars historica Deut. 1,6-3,29.

Repetitis praecipuis inde a monte Sinai eventibus, auditores suos

Moyses historica synopsi deducit usque ad eam *vallem* (3,29), ubi suam ad eos orationem habet, ut perspiciant, quo loco sint eorum res, quamque merito eius cohortationem 4,1-40 totis pectoribus amplecti debeant. Sc. inde a discessu a monte Sinai et Iahve et Moyses Hebraeis fidem servavere, morarum et cladium una causa fuit Hebraeorum infidelitas. Quibus perpensis in eorum animis generentur oportet humilitas et fiducia : humilitas, qua alacres Iahvae per omnia obsequantur; fiducia, qua ne propriis quidem futuris peccatis revocentur a certa spe veniae ab eius infinita misericordia obtinendae.

1. *Profectio de monte Sinai* 1,6-18. Ipse *Iahve* auctor fuit mandati, ut a monte Sinai recedentes *recta* peterent terram promissam. *Moyses* non egit tyrannice, sed ipse suggessit, ut sua potestas cum iudicibus communicaretur, quibus sapientissimas dedit regulas.

2. *Adventus Cadesae* 1,19-45. *Moyses,* ut terram promissam *extemplo* peterent, hortatus est. Sed *Hebraei omnes* exploratores praemitti petiere, his reducibus a fide in Iahven defecere, *Moyse* illos frustra dehortante. Quare *Iahve* sententiam tulit, ut, qui tum adulta essent aetate, in deserto perirent, filii vero eorum, i. e. ipsi Moysis auditores, terram promissam aliquando ingrederentur. Sententiae iustitiam confirmat Moyses e posteriore sententia, qua ipse etiam ingressu terrae promissae prohibebatur. Qui vero Hebraei sera poenitentia moti, neglecto *Iahvae* monito per *Moysen* facto, Chananaeos meridionales adorti sunt, ii et cladem passi neque post cladem a Iahve exauditi sunt.

3. *Commoratio Cadesiana.* Ad hanc refertur textus mancus 1,46, prodens orationis partem aliquam esse excisam. In ea sane neque suum neque populi peccatum dissimulabat Moyses, Iahve acta commendabat, perpetuam fiduciam (cf. 4,29 sqq.) in misericordiam Iahve nunquam defecturam inculcabat.

4. *Profectio Cadesa ad Iordanem* 2,1-3,29.

a. *Acta cum Edomitis* 2,1-7. *Iahve* auctor exstitit itineris primum Mare Rubrum versus, dein ab oriente Idumaeae; mandavit, ut cum Edomitis pacem servarent Hebraei, Iahvae fisi providentia.

b. *Acta cum Moabitis* 2,8-15. Pacem cum his etiam servandam exegit *Iahve.* Arnonem, futurum transiordanicae limitem australem, traiici iussit, ubi primum sententia Num. 14,33 plenum effectum obtinuit.

c. *Acta cum Ammonitis* 2,16-25. *Iahve,* ut cum his quoque pacem servarent Hebraei, mandavit.

d. *Acta cum Amorrhaeis* 2,26-3,29. In Sehonem, oblatas pacis conditiones respuentem, indicit *Iahve* bellum, cuius fines universos subegere Hebraei 2,24-37. Exterminatur item, iubente *Iahve,* Og,

cuius robur et munitiones certe non erant infirmiores iis, quae 1,28 adscribebantur Chananaeis meridionalibus, 3,1-11. Transiordanicam Moyses attribuit duabus tribubus et dimidiae hac conditione, ut fratres suos in subigenda cisiordanica adiuvarent; sententiam in Moysen latam revocare renuit *Iahve,* sed in Moysis locum Iosuen suffecit 3,12-29.

Sane non sunt haec merus « respectus introductorius » (« introductory retrospect », *Dr.*) actorum a Sinai Iordanem usque. Longior esset vel pro rhetore hebraeo ea introductio, comparata paraenesi 4,1-40. Respectus hic artificiose ita est concinnatus, ut validissima suppetat argumenta *historica* earum obligationum religiose observandarum, quas *paraenetice* inculcat altera orationis pars.

Pars paraenetica Deut. 4,1-40.

Mandata pentalogi (v. i.) sunt haec : praeceptum monolatriae, prohibitio idololatriae, prohibitio tentandi Deum, generalis mandatorum commendatio, mandatum exstirpandi gentes. Mandatum tertium et quintum h. l. praetermittitur, seu verius includitur generali mandatorum commendatione : neque enim, quoties Moyses *thoram inculcat* (1,5), necesse est eum omnes eius partes explicite inculcare.

1. Inculcatur mandatum quartum pentalogi, quod est de *mandatorum omnium observatione,* 4,1-8. Legum, quae potissimum pro terra promissa datae sunt, fidelis observatio praestabit vitae durationem et prosperitatem. Ea observatione constabit vera populi sapientia, qua ille supra gentes reliquas omnes extolletur.

2. Inculcatur 4,9-14 mandatum pentalogi primum et maximum *monolatriae.* Quae exhibetur potissimum, qua est cultus *amorphus,* consecratus *pacto* sinaitico. Simulque inculcatur mandatum pentalogi secundum, *prohibitio idololatriae* 4,15-24. In magna Ex. 19 theophania audiere Hebraei vocem Iahve, sed formam nullam videre : quo facto Iahve suam manifestavit voluntatem, ut prae nationibus ceteris Hebraei abstinerent a cultu simulacrorum, et hinc ab idololatria. Quam obligationem Moyses brevi moriturus illis in memoriam revocat, ne iram Dei zelatoris incurrant.

3. Inculcatur 4,25-31 pentalogi mandatum tertium, ut Hebraei, si quando in idololatriam misere prolabantur, sciant se facti poenitentes a Iahve in gratiam certissime receptum iri.

4. Epilogus 3,32-40. Orator promissam pro *diebus futuris* misericordiam confirmat 4,32-36 demonstratis *dierum antiquorum* beneficiis, ut Iahve populum ex Aegypto gloriose eduxerit, et de medio

ignis ipse edocuerit; quorum beneficiorum v. 37-40 demonstrans radicem, ineffabilem Iahve erga stirpem electam *dilectionem,* concludit rursum inculcans monolatriam et mandatorum observationem.

b. THORA DEUT. 5-11; 28.

Oratio post praeambulum cap. 5 habet (29,1 [28,69]) « verba foederis » seu conditiones foederis. Habebatur sc. ea oratio in restitutione foederis ab ipso Moyse celebrata in terra Moab, quam oppido distinguere oportet et a prima foederis pactione in monte Sinai facta, et a renovatione foederis, quae ut cis Iordanem aliquando fieret, praecepit Moyses cap. 27. Est autem foedus contractus bilateralis, quare « verba foederis » habent primum ea, quae Israeli erga Iahven praestanda sunt, expressa *pentalogo Moysis* 6,1-7,11 cui primitus nomen thora fuit, quod postea ad totum pentateuchum extendebatur; habent praeterea ea, quae Iahve praestanda sunt erga Israelem, sc. *benedictiones et maledictiones* cap. 28. Sed pentalogo adscribitur 7,12-11,32 altera *paraenesis thorae,* proponens efficaciora quaedam motiva mandatorum pentalogi servandorum.

Praeambulum historicum de aequali omnium mandatorum auctoritate Deut. 5.

1. *Decalogi auctoritas* v. 1-21 : est ille documentum foederis a Iahve initi non cum patriarchis, sed cum ipsis Israelitis Moysis aequalibus, quem prolocutus est ad Israelitas ipse Iahve *facie ad faciem.*

2. *Reliquorum mandatorum auctoritas* v. 22-31 : haec prolocutus est Iahve *per Moysen,* non facie ad faciem Israelitas alloquens; cuius diversitatis ratio fuit non minor eorum mandatorum auctoritas, sed quod Israelitae *ipsi petierint,* ne facie ad faciem, sed per Moysen ad eos loqueretur Iahve.

Quare haec, uti decalogus, mandata sedulo sunt custodienda v. 32 sq.

Orationis pars prima :
Moysis pentalogus Deut. 6,1-7,11.

1. Praeceptum dilectionis Iahve seu monolatriae Deut. 6,4-13.
2. Prohibitio idololatriae Deut. 6,14 sq.
3. Prohibitio tentandi Deum Deut. 6,16.
4. Generalis inculcatio omnium mandatorum Deut. 6,17-25.
5. Mandatum exstirpandi gentes chananaeas Deut. 7,1-10.

Orationis pars secunda :
motiva servandi mandata Deut. 7,12-11,32.

1. *Iahve auxilium affuturum* Deut. 7,12-26 : pro servatis manda-

tis largietur Iahve Hebraeis laeta incrementa, perfectum robur, imo adiuvabit portentis, quibus hostes paulatim quidem, sed complete deleantur. Caveant autem sibi Hebraei ab idololatria.

2. *Iahve circa Israelem praeterita providentia* Deut 8 : eadem suavissima providentia, qua Hebraeis in deserto de victu et vestitu providit, inducet illos Iahve in terram promissam, atque bonis omnibus cumulabit. Caveant, ne rebus prosperis se induci patiantur, ut Iahve obliviscantur et idololatria delinquant.

3. *Memoria admissae infidelitatis* Deut. 9 sq. Caveant Hebraei, ne prosperitatem, qua in terra promissa fruituri sunt, suae attribuant *iustitiae,* quin potius recordentur commissarum in Iahve *iniustitiarum,* eius imprimis quam in monte Horeb in ipsa foederis pactione commiserunt; ubi ostendit Moyses :

a. non ob ipsorum merita, sed *se intercedente* eam iniustitiam esse condonatam 9,7-24;

b. *se intercedente* populum in plenam gratiam esse receptum 9,25-10,9;

c. *se intercedente* datum tandem esse mandatum pergendi in terram promissam 10,10 sq.

d. 10,12-22 clauditur hoc argumentum eloquente epilogo.

4. *Specialis obligatio* eorum, qui omnium inde ab exodo portentorum testes exstitere immediati Deut. 11,1-9.

5. *Terrae promissae indoles* Deut. 11,10-25, cuius irrigatio pendeat potissimum a pluviis coeli, ob neglecta mandata cohibendis. Caveant igitur ab idololatria.

6. *Transitio ad tertiam orationis partem* Deut. 11,26-32 : observaturos mandata manet benedictio, neglecturos maledictio, quae traiecto Iordane confirmabuntur solemnitate prope montes Garizim et Hebal celebranda.

Orationis pars tertia :
Benedictiones et maledictiones Deut. 28.

1. Observaturis mandata promittitur omne genus *benedictionum* Deut. 28,1-14.

2. Neglecturos mandata manent omnis generis *maledictiones,* quae primum Deut. 28,15-21 universim describuntur, dein *tribus percussionibus* repraesentantur :

a. percussio prima v. 22-26 : Iahve infligit phthisin corporibus et siccitatem agris, quare populus impotens hostium vexationibus obiicitur;

b. percussio secunda v. 27-34 : Iahve infligit virium omnium hebetudinem, quare populus ab hostibus penitus opprimitur;

c. percussio tertia v. 35-44 : Iahve infligit ulcera incurabilia, populus cum rege tandem in exsilium abripitur.

d. Post clausulam v. 45 sq. amplificatur v. 47-68 tertia percussio et describitur, quomodo Hebraei in urbibus suis ab inimicis obsessi atroci fame consumantur, ac demum in captivitatem divendantur.

c. HISTORIA RESTITUTIONIS FOEDERIS DEUT. 29,2(1)-31,13.

Cum ipse restitutor textus 29,29(28) de obscuritate textus conqueratur, aliqua coniecturis elucidare conati sumus.

1. *Oratio Moysis restitutionem foederis praecedens* 29,2-28(1-27).

a. Dei providentia, qua Israelem ex Aegypto Iordanem usque perduxit, exigit fidelem mandatorum observationem 29,2-9(1-8).

b. Concionis propositum explicatur, ut feriant foedus annexas habens maledictiones 29,10-15(9-14).

c. Monentur sibi cavere ab idololatria secreta 29,16-21(15-20).

d. Lacuna, quae fortasse tractabat de idololatria publica.

e. Demonstrantur idololatriae publicae futurae poenae 29,22-28 (21-27).

2. Lacuna 29,29(28), ubi coniicio fuisse antea *descriptionem solemnitatis* in restitutione foederis habitae.

3. *Oratio Moysis post restitutionem* cap. 30.

a. Poenitentibus post apostasiam semper praesto erit Iahvae favor 30,1-10.

b. Mandatum Israelitis impositum non est difficile; quod observantes omnem consequentur terrestrem benedictionem 30,11-20.

4. *Ultima Moysis in eadem concione acta* 31,1-13.

a. Monet Hebraeos etiam post mortem suam bonis esse animis, quod Iahven habeant adiutorem, et Iosuen ducem a Iahve constitutum 31,1-8.

b. Scriptam a se thoram Moyses sacerdotibus tradit asservandam et annis sabbaticis populo praelegendam 31,9-13.

d. COLLECTANEUM LEGUM DEUT. 12,1-26,15.

Est hoc primum documentum, quod « verbis foederis » insertum reperitur, inter pentalogum cum sua paraenesi, et inter benedictiones et maledictiones cap. 28. Praefigitur generalis inscriptio 12,1. Singulis legibus adscribimus *initia* (cf. CEL p. 22) ipsarum legum earumque novellarum vel articulorum, non quod ea h. l. indicanda videantur, sed ne postea collectaneum explicantes totum legum

elenchum denuo cogamur describere. Initia sunt aut *absoluta*, aut *negativa*, aut *conditionata* (כי vel synonymum, v. g. אשר).

Leges de sacris Deut. 12,1-16,17.

1. Lex de loco cultus Deut. 12. — v. 2 abs. אבד תאבדון; v. (9). 20.29 כי.
2. Lex de auctoribus apostasiae Deut. 13. — v. 1. 6. 12 כי.
3. Lex funerum et ciborum, Hebraeos revocans a gentilium societate, Deut. 14, 1-21. — v. 1. 3. 21^b לא.
4. Lex de decimis annuis Deut. 14, 22-29. — v. 22 abs. עשר תעשר; v. 28 abs. מקצה.
5. Lex de anno sabbatico Deut. 15, 1-18. — v. 1 abs. מקץ; v. 2 inscriptio וזה דבר; v. 2^b abs. שמוט; v. 11. 12 כי.
6. Lex de primogenitis animalium Deut. 15, 19-23. — v. 19 abs. כל בכור.
7. Lex de tribus solemnitatibus Deut. 16, 1-17. — Abs. v. 1 שמור, v. 9 שבעה שבעת, v. 13 חג הסכת, v. 16 שלוש פעמים.

Leges de magistratibus Deut. 16,18-20,20.

8. Lex de iudicibus Deut. 16,18-17,13. — v. 18 abs. שפטים; 16,20 sq. et 17, 1 לא; 17, 2. 8 כי.
9. Lex de rege Deut. 17, 14-20. — v. 14 כי.
10. e x de sacerdotibus Deut. 18, 1-8. — v. 1 לא; v. 3 inscriptio וזה יהיה משפט; v. 6 כי.
11. Lex de prophetis Deut. 18,9-22. — v. 9 כי.
12. Lex de civitatibus refugii Deut. 19,1-13. — v. 2 abs. שלוש; v. 4^a inscriptio וזה דבר; v. 4^b אשר; v. 11 כי.
13. Lex de terminis Deut. 19,14. — v. 14 לא.
14. Lex de testibus Deut. 19,15-21. — v. 15 לא; v. 16 כי.
15. Lex de bello Deut. 20. — v. 1.10.19 כי.

Leges de diversis Deut. 21,1-26,15.

16. Lex de occisore ignoto Deut. 21,1-9. — v. 1 כי.
17. Lex de captiva, quae in uxorem assumitur, Deut. 21,10-14. — v. 14 כי.
18. Lex de primogenitura Deut. 21,15-17. — v. 15 כי.
19. Lex de filio contumaci Deut. 21,18-21. — v. 18 כי.
20. Lex de sepultura malefactoris Deut. 21,22 sq. — v. 22 כי.
21. Lex de rebus deperditis Deut. 22,1-3. — v. 1 לא.
22. Lex de Hebraeo viatore iuvando Deut. 22,4. — v. 4 לא.
23. Lex de vestitu sexuum Deut. 22, 5. — v. 5 לא.
24. Lex de ave matre Deut. 22, 6 sq. — v. 6 כי.
25. Lex de tectis muniendis Deut. 22, 8. — v. 8 כי.
26. Lex de disparatis Deut. 22,9-11. — v. 9-11 ter לא.
27. Lex de fimbriis palliorum Deut. 22,12. — v. 12 abs. גדלים.
28. Lex de neonupta, in quam maritus accusationem profert, Deut. 22, 13-21. — v. 13 כי.
29. Lex de adulterio et stupro Deut. 22,22-29. — v. 22.23.28 כי.
30. Lex de non ducenda uxore patris Deut. 22,30 (23,1). — v. 30 לא.
31. Monitum de proselytis Deut. 23, 1-8(2-9). — v. 1.2.3. 7 לא.
32. Lex de munditia castrorum Deut. 23,9-14(10-15). — v. 9.10 כי.

33. Lex de servo ad Hebraeos profugo Deut. 23,15 (16) sq. — v. 15 לא.
34. Lex contra prostitutionem sacram Deut. 23,17 (18) sq. — v. 17 sq. ter לא.
35. Lex de usura Deut. 23, 19 (20) sq. — v. 19 לא.
36. Lex de votorum impletione Deut. 23,21-23 (22-24). — v. 21 כי.
37. Lex de uvis et spicis Deut. 23,24(25) sq. — v. 24 sq. כי.
38. Lex de uxore repudiata Deut. 24,1-4. — v. 1 כי.
39. Lex de exemptione a militia Deut. 24,5. — v. 5 כי.
40. Lex de pignore Deut. 24, 6. — v. 6 לא.
41 Lex de plagio Deut. 24, 7. — v. 7 כי.
42. Monitum de lepra Deut. 24, 8 sq. — v. 8 abs. השמר.
43. Lex de pignore pauperis Deut. 24,10-13. — v. 10 כי.
44. Lex de mercenario paupere Deut. 24, 14 sq. — v. 14 לא.
45. Lex de damnandis ad supplicium Deut. 24,16. — v. 16 לא.
46. Lex de advena, pupillo et vidua Deut. 24, 17 sq. — v. 17 לא.
47. Lex altera de advena, pupillo et vidua Deut. 24, 19-21. — v. 19. 20. 21 כי.
48. Lex de rixis Deut. 25, 1-3. — v. 1 כי.
49. Lex de bove triturante Deut. 25, 4. — v. 4 לא.
50. Lex de coniugio leviratus Deut. 25, 5-10. — v. 5 כי.
51. Lex contra mulierum procacitatem Deut. 25, 11 sq. — v. 11 כי.
52. Lex de ponderibus et mensuris Deut. 25, 13-16. — v. 13 לא.
53. Monitum quoad Amalecitas Deut. 25,17-19. — v. 17 abs. זכור.
54. Leges duae Deut. 26,1-11.12-15 de rebus semel tantum praestandis, quando sc. familia quaeque suam primum in terra promissa nacta sit possessionem. — v. 1 והיה כי; v. 12 כי.

e. INITIUM CUIUSDAM INSERTI DEUT. 26,16-27,26.

1. Orator explicat concionis eius, in qua loquitur, propositum, ut sc. populus foedus feriat (renovet) cum Iahve, Deut. 26,16-19.

2. Orator recitat tria Moysis eloquia : *primum,* quo lapidibus inscribi iubet thoram in monte Hebal, et sacrificia offerri, Deut. 27,1-8; *secundum,* quo sacerdotes et populum ut attendant invitat, Deut. 27,9 sq.; *tertium,* quo ritus in monte Hebal peragendus describitur, Deut. 27,11-13.

3. Probabilius orator, non Moyses duodecim adscribit maledictiones, a Levitis et a populo alternantibus pronuntiandas Deut. 27,14-26.

f. ACTA SUPREMAE DIEI VITAE MOYSIS DEUT. 31,14-34,12.

1. Eloquium divinum Deut. 31,14 sq. 23 sq. : Iahve Moysen monens de morte sua proxime futura, iubet cum Iosue ad tabernaculum accedere, Iosuenque bono esse animo iubet.

2. Eloquium divinum Deut. 31,16-21 : Iahve Moysen iubet scribere canticum, quod sit in testimonium contra populum, si quando populus a Iahve defecerit.

3. Moyses canticum scribit et ad latus arcae reponit Deut. 31,22. 25-30.

4. Canticum recitatur Deut. 32,1-43. Explicat autem canticum *Iahvae quoad Israelem oeconomiam*. Populum fidelem cumulabit benedictionibus; infidelem visitabit fame, peste hostiumque mancipabit potestati. Sed neque hos permittet ultra modum in populum saevire, ne suis tandem viribus neque Iahvae providentiae suum attribuant triumphum; seque populum de manibus inimicorum tandem esse liberaturum *solemni iuramento* confirmat.

5. Supremum Moyses Hebraeos monet de observatione mandatorum Deut. 32,44-47.

6. Eloquium divinum Deut. 32,48-52 : Iahve Moysen iubet conscendere montem Abarim, ut ibi moriatur.

7. Moyses benedictiones ad singulas tribus proloquitur Deut. 33.

8. Moysis mors, sepultura, encomium Deut. 34.

3. *Collectaneum legum Deut.* 12,1-26,15.

1. Ad perspiciendam totius Deut. eiusque partium mutuam rationem tanti momenti est quaestio, quam nunc discutiendam aggredimur, ut ea omnino in ipsa Introductione nobis sit expedienda. Recentiores sc. fere uno ore statuere, collectaneum esse totius Deut. partem potissimam, ac veluti nucleum et centrum; leges 12,1-26,15 ipsas illas esse leges, quarum observatio cap. 1-11 coactis undique argumentis, cap. 28 sqq. prolatis promissionibus et minis inculcetur. Tota, quam recentiores movent, de stilo deuteronomico disputatio nititur supposito, collectaneum intime necti tam praecedentibus quam sequentibus, atque hinc unum eundemque fere esse stilum 1, 1-31,13.

Contra quos illud audacter tuemur, *collectaneum esse Deut' partem non potissimam sed omnium minime necessariam, adventitiam, recentiorem, a Samuele 1 Reg. 10,25 thorae insertam.* Collectanei leges utique praefixa 12,1 inscriptione affirmantur a Moyse esse editae, *si* textus cap. 11 sq. supponatur esse continuus : sed continuum esse negamus, nisi testimonio 1 Reg. 10,25 iisque, quas afferemus rationibus. Collectaneum censemus esse volumen, quod a se conscriptum Samuel inseruit inter volumina thorae, inter volumen quod habebat pentalogum cum paraenesi illi adscripta, et inter volumen benedictionum et maledictionum. Inscriptionis 12,1 verba utique conformavit Samuel verbis Moysis 6,1 aliisque, non ut exprimeret collectaneum e Moysis calamo fluxisse, sed ut eandem illi atque legibus mosaicis auctoritatem vindicaret. Auctorum nomina non consuevere veteres Hebraei scriptis affigere, sed traditione nota habebant. Samuel et

Hebraei post Samuelem oppido norant, quis collectanei esset auctor : tempore Iosiae eius rei memoria e Iudaeorum mentibus fortasse exciderat. Collectanei leges aliquas esse Moysis auctoris, aliquas imo Moyse esse antiquiores non infitiamur. At totum collectaneum censemus esse Moyse longe recentius, eius potissimas leges, eas fere omnes quae sunt de sacris et de magistratibus, censemus posteriore aevo esse natas, posterioris aevi necessitatibus accommodatas, nonnisi posteriore aevo fuisse observandas. Cuius asserti iam accipe argumenta.

a. Lex de loco cultus Deut. 12 constat lege breviore v. 2-7, quam re mosaicam esse lubentes concedimus, tribusque novellis v. 8-19. 20-28. 29-32. Porro v. 8 novellarius in persona Moysis producens sermonem : *Non facietis,* inquit, *sicut omnia, quae nos facimus hic hodie, unusquisque quod rectum videtur in oculis suis.* Cui expressioni v. 25 opponitur altera faciendi quod rectum est in oculis Iahve. Describit igitur novellarius eam sui temporis (hic hodie) rerum conditionem, ut in iis, quae locum cultus Iahve spectarent, faceret unusquisque quod sibi placeret, effrena obtineret licentia, ubilibet et sane etiam a quibuslibet offerrentur sacrificia Iahve. Imo novellarius scribens pronomen *nos*, se ipsum quodammodo includit, declarat haec fieri hic hodie se ipso, sin minus consentiente, at certe permittente vel tolerante vel non repugnante. Atqui his certe non describitur rerum conditio, quae erat extrema Moysis vita, sed aliquando post Moysen.

De Ex. 20,24-26 dicebamus CEL p. 211 sqq. : ea lex spectabat decentiam cultus praemosaici apud Hebraeos, estque abolita sequente sinaitica sacrorum institutione. Inde ab Ex. 21 non habetur *explicita* lex sanciens unicum concedi cultus Iahve sanctuarium. At unicum *de facto* in deserto fuisse, tota clamat Ex.-Num. narratio; fuisse unicum etiam *de iure,* evidenter consequitur legem Lev. 17, quae iubebat mactationes quaslibet faciendas esse in foribus sanctuarii mosaici. Putasne Moysen illud toleraturum fuisse, ut victimae mactarentur quidem in foribus sanctuarii, sanguis autem illiniretur altari cuidam privato Iahve, sive in foribus sanctuarii sive alibi in castris exstructo? Suggeres, legem Lev. 17 oportuisse postmodum a Moyse sive explicite sive tacite saltem revocari, ne Hebraei per transiordanicam sparsi esu carnium prorsus interdicerentur; qua revocata ipso facto restituta fuerit Hebraeis facultas, ubi libuisset sacrificandi Iahve. Abrogatam profecto habes eam legem Deut. 12,15.21 sq., adscripta tamen constanter conditione sanguinis *in terram* fundendi, ergo faciendarum pro cibo mactationum ritu non sacro. Ergo, etiamsi ipse Moyses

adstruatur legem Lev. 17 abrogasse quoad mactationes, quae pro cibo tantum fierent, at non simul indulsit veniam sacrificiorum ubi libuisset offerendorum.

Quodsi igitur v. 8 Moysi tribuas auctori, concedas oportebit eius vita ad finem vergente invaluisse, ipso non consentiente, effrenam illam sacrificandi licentiam, conditionem sacrorum factam esse longe aliam quam in deserto fuerat, versam esse in peius, evasisse non rectam in oculis Iahve : etenim scriptor v. 8, licet eam conditionem non abroget, at certe declarat fuisse minus perfectam, minus conformem voluntati Iahve, ad tempus solummodo tolerandam ob temporum iniquitatem. Estne nobis ulla sufficiens ratio adstruendae pro extremo vitae Moysis tempore tam miserandae sacrorum depravationis? 34,7 celebratur Moysis usque ad supremum spiritum non imminutus vigor, ut non caligaverint oculi eius, neque moti sint dentes eius. Haec corporis vigorem proxime exprimunt, at simul suggerunt parem animi vigorem. Putasne illud voluisse edicere Moysis laudatorem, fuisse Moysen corpore quidem vegetem, animo elanguem? Nonne integrum animi vigorem produnt orationes Deut[1], canticum etc.? Scripturusne unquam erat Moyses ingenuum illud pronomen *nos?* Si vero eiusmodi sacrorum depravationem extrema Moysis vita obtinuisse adstruat quis, nonne hanc in illis orationibus severe reprobaturus erat Moyses? Quid iuvabat, populum devote hortari ad Iahven ex toto corde diligendum, at simul ne verbulo quidem populum retrahere, quominus in rebus sacerrimis ea ageret licentia, quae in oculis Iahve nequaquam esset recta?

Ergo 12,8 exprimit conditionem sacrorum Moyse posteriorem. Verum v. 8 intime connectitur cum v. 9-19.20-28.

b. Collectaneum non solum affirmat, Hebraeos aliquando effrenam quoad loca cultus professos esse licentiam, sed altaria privata implicite et explicite tolerat. Ab illis abolendis 12,8 abstinet, 12,11.17 (cf. quae dicemus ad v. 11) illis tacite concedit vota minora et oblationes voluntarias. Tandem 16,21-17,1 quoad illa altaria duas iudicibus urbanis regulas tradit, ne sc. prope illa lucos plantari cipposve erigi, aut in illis victimas maculam habentes immolari patiantur. v. 21 : *Non plantabis tibi lucum cuiuslibet arboris ex opposito altaris Iahve Dei tui, quod facies tibi.* Quod ultimum incisum textus habent praeter Vulg. omnes. Credisne Moysen generalem concessisse licentiam altarium privatorum per urbes exstruendorum?

c. Agi de iisdem in Deut. et in Num. decimis, demonstrabimus infra. Porro has *decimas* Moyses Num. 18 assignaverat *Levitis*; eaedem Deut. 12,11. 17; 14,23. 26 *toti populo* permittuntur apud sanctuarium

epulis sacris absumendae, tertio autem quoque anno 14,28 sq. *pauperibus* distribuendae. Expressio « tu et domus tua », vel expressio distinctior « vos, et filii ac filiae vestrae, famuli et famulae, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur », non possunt ad solos tribus Levi homines restringi; « peregrinus, pupillus et vidua » 14,29 erant sane vix non semper non Levitae. Iam perpende, quantopere haec collectanei statuta discrepent ab institutis mosaicis. Levitis assignaverat Moyses decimas *pro sustentatione*. Clerum quemlibet, ut sancte et honeste officiis fungatur, oportet habere certam et sufficientem sustentationem. Id cum de omni clero verum est, tum imprimis de clero recens instituto. Quare Moyses suis Levitis providerat Num. 18, ita ut totius populi decimae simplicibus levitis cederent, hi decimarum decimas sacerdotibus penderent. Eam legem in deserto dudum statuerat Moyses, sed pro terra sancta imprimis valituram; eam vel anno 40° viguisse inde inferas, quod fere eadem proportione Num. 31 Moyses levitis atque sacerdotibus attribuerit partem praedae, qua illis decimas dividendas commiserat. Cf. C N p. 349. Num ergo morti iamiam proximus Moyses legem de sustentatione cleri revocavit, nulla alia lege de re tam gravi in eius locum suffecta? Vitae miserae et vagae addicebatur clerus, obscurabatur cultus maiestas, aditus aperiebatur avaritiae aliisque vitiis. Potuit iniquis post Moysen temporibus absorberi id, quod sustentationi cleri attribuerat Moyses, vel ad alienum usum deflecti : eiusmodi temporum, non vero aevi mosaici conditionem, depingunt Deut. 12 et 14.

d. Similiter Moyses carnes *primogenitorum animalium* sacrificalium Num. 18,18 attribuerat *sacerdotibus* : eaedem Deut. 12,17; 15,20. 22 *toti populo* conceduntur epulis sacris impendendae.

e. Moyses Lev. 7,32 sqq. sacerdotibus *portiones victimarum* attribuerat *crus posterius* et *pectusculum* : iisdem Deut. 18,3 attribuuntur *crus anterius*, *echinus* duaeque *maxillae*. Ut decursu temporum aliqua in his irrepserit mutatio, quam etiam posterior aliquis propheta censuerit ad tempus esse tolerandam, sat facile intelligitur. Minus facile sibi fingat aliquis Moysen morti proximum priora Iahvae statuta de consilio mutantem, aut Iahven sufficientem crus anterius cruri posteriori, echinum cum maxillis pectusculo.

f. Moyses *victimam paschalem* Ex. 12,3 statuerat *ovem* vel *capram*; lex Deut. 16,2 permittit etiam *bovem*. Vix censendus est ipse Moyses quidquam mutaturus fuisse in ritu celebrationis Phase, quod erat efficacissimum memoriale exodi aegyptiacae.

g. Moyses liberaliter providerat Levitis, attributis non solis decimis pro sustentatione, sed Num. 35,2-8 apud Levitarum civitates pascuis :

Levitae mosaici habebant *fixam sustentationem* et *fixas sedes,* ideoque certissime non erant futuri *peregrini* neque *pauperes.* Atqui ut tales exhibentur in collectaneo cuius propria est expressio « Levita, qui est intra portas tuas », quae 18,6 explicatur ut idem sonet atque « Levita, qui *peregrinatur* in una urbium tuarum », ergo fere Levita vagus, qualem habes Iud. 17,18. Expressio illa praeter collectaneum reperitur solummodo in decalogo, ubi Ex. 20,10 habetur eadem atque Deut. 12,12. 18 enumeratio filiorum et filiarum, servorum et ancillarum, nisi quod in locum « advenae, qui in portis est » Ex. 20,10, subintret Deut. 12,12 « Levita, qui in portis est ». Qui Levita 14,29; 16,11. 14; 26,12 sq. iungitur « advenae, pupillo et viduae », 16,11. 14 insuper etiam « filio et filiae, servo et ancillae ». Ergo ille « Levita, qui in portis est » semper recensetur inter pauperes, indigos, humiles (cf. 15,7; 14,21; 24,14-22), inter eos (14,29; 26,12), qui ad epula vocantur ut *saturentur,* quique secus parce vivere cogantur ob paupertatem. Ceterum, ubi ea, quae pridem Levitarum sustentationi fuerant attributa, epulis sacris populi impendebantur, necesse erat Levitas vitam trahere indigam et abiectam.

h. Moyses tam *sacerdotum* quam *simplicium levitarum* accurate definierat et officia et iura. Collectaneum praeter pauperes per regionem Levitas, qui certe plerique erant non aaronitae, novit « sacerdotes filios Levi » (21,5; 31,9), seu brevius « sacerdotes Levitas « (17,9. 18; 18,1; 24,8; 27,9) apud sanctuarium residentes ibique sacra facientes. Porro 18,1 collectaneum « sacerdotibus Levitis, omni tribui Levi » attribuit portiones victimarum et alia, quae Num. 18 etc. Moyses solis sacerdotibus, non vero simplicibus levitis concesserat. v. 6 Levitis illis, qui passim per regionem *advenarum* ritu vivebant, aequales cum iis, qui apud sanctuarium degebant, portiones assignat. His utique collectaneum discrimen sacerdotes inter et simplices levitas, si non ignorat, at certe obscurat. Num hac ratione de his locuturus erat Moyses, qui tanto studio et illorum et horum iura post acres Num. 16 sq. invidias definierat? Quodsi nihilominus adstruatur Moyses legem Deut. 18,1-8 condidisse, debuit haec lex renovare priorem non aaronitarum ambitionem. Itane imprudenter egisse Moysen adstrues?

i. Collectaneum concedere videtur quasdam legum a Moyse latarum *indulgentias,* quas haud probabile est ipsum Moysen concessurum fuisse. Lev. 27,27 primogenita, quae maculam habent, redimi iubentur, redempta possessoris arbitrio permittuntur; de qua redemptione silet lex Deut. 15,21-23. Lev. 27,31 potestatem facit decimarum redimendarum ita, ut pretium quinta parte augeatur; quod augmen-

tum reticet Deut. 14,25. Lev. 27,32 decimas iubet pendi etiam animalium; Deut. 14,22 solorum fructuum terrae meminit. Porro, ut aliquando *post* Moysen, temporibus difficilioribus aliqua, quae lege essent sacerdotibus pendenda, sive perpetuo sive ad tempus populo condonarentur, impune concesseris. Ut autem Moyses ipse iamiam moriturus eas indulgentias concesserit, concesseritque ea forma quam Deut. 14 sq. habent, veri absimile est. Neque dicas Deut. 14 sq. solummodo minus determinate idipsum edicere, quod distinctius habeatur Lev. 27. Etenim Deut. 14 sq. sunt *leges*, leges autem oportet esse determinatas et distinctas, eas potissimum, quae sunt de vectigalibus. Populus ad solvendam pecuniam semper tardus recepturus erat leges Deut. 14 sq., repudiaturus atque pro abrogata habiturus erat legem Lev. 27. An igitur affirmabis, id Moysi in animo fuisse, ut legem hanc revocaret? at debebat id facere distinctius, ne piorum confunderentur conscientiae. Et quaenam potuit esse ratio earum indulgentiarum concedendarum, dum populus in ipso limine terrae promissae versaretur, cuius Moyses continuo extollebat fertilitatem? Legibus revocandis profecto incommodum tempus erat illud, quod mortem Moysis proxime antecedebat : dubitaturi erant homines, annon plura revocaturus fuisset Moyses, si diutius vixisset, omnesque quodammodo leges evadebant incertae. Legislatoris brevi morituri erat leges ante latas non revocare, sed « inculcare » (1,5).

j. Inter extrema Moysis acta recensetur Num. 35,9 sqq. promulgata Iahve lex de sex *civitatibus refugii* non statim, sed post traiectum Iordanem designandis : Deut. 19,9 iubentur aliae insuper tres civitates aliquando designari, addita explicatione, quis censendus sit occisor innocens, quis nocens; quae explicatio non verbis quidem, sed re plane eadem est atque explicatio Num. 35 tradita. Ut aliquanto post Moysen nasceretur desiderium augendi numeri civitatum refugii, et repeteretur explicatio, planum est. Difficilius concedetur Iahve, paucis post editam legem Num. 35 diebus vel ad summum hebdomadibus, cum in re civitatum refugii actum esset omnino nihil, nihil mutatum, numerum ante statutum auxisse, explicationem repetiisse. An forte ipse Moyses, tantillo interiecto tempore, iudicabat numerum a Iahve sancitum esse insufficientem, explicationem datam obscuriorem?

k. Inter nationes Hebraeis infensissimas et speciali ratione abhorrendas recensentur 23,2 *Mamzer*, quos Philisthaeos esse demonstrabimus. Atqui cum Philisthaeis non est congressus Moyses neque Iosue, extremo vero iudicum aevo iidem Hebraeos plurimum vexavere. Ergo lex 23,1-8, qua nunc est forma, Moyse videtur esse dicenda recentior.

2. Igitur interpretes catholici antiquiores Deut. succinctius explanabant quam praecedentes libros, neque semper de versu ad versum, has difficultates tractabant singulas seorsim, neque satis comparabant inter se, neque singuli singulas explicabant : solutionum tentamina suggerebant potius, quam certas solutiones. De quorum interpretandi ratione cf., quae dicebamus p. 8 sq. Instar omnium sit *Calm.*, qui antecessorum suorum solutiones oppido norat. Respondet is igitur

Ad a. In deserto Hebraei sacrificia ubique totis castris ad arbitrium offerebant, lex Deut. 12 observari coepta est in Chanaanitide tantum. Respondeo : quaestio de unicitate altaris intime connexa est cum lege Lev. 17 de mactationibus nonnisi apud sanctuarium mosaicum faciendis : quae enim ib. mactabantur animalia, eorum sanguis altari holocaustorum illiniebatur. Quaero igitur, quando servata sit lex Lev. 17. Si in deserto servabatur, ergo in deserto omnium, quae mactabantur, animalium sanguis altari holocaustorum illiniebatur, non relinquebantur pro aliis altaribus victimae. Si in deserto non servabatur, tum lex Lev. 17 revocabatur Deut. 12, antequam observata sit unquam. Consonatne divinae sapientiae, legem promulgare nunquam observandam, legem revocare antequam observata sit unquam?

Ad b. Cum reliquis vix non omnibus non attendebat Calm. 16,21 incisum « quod facies tibi ».

Ad c. Non agitur de decimis primis Num. 18, sed de quibusdam decimis secundis; Hebraei quotannis lege divina duas decimas solvebant. Sed eas decimas secundas fictitias esse infra demonstrabimus.

Ad d. Non agitur de iisdem, quae aliis textibus habentur, primogenitis animalium maribus, sed vel de primogenitis feminis (sed vide 15,19), vel de primo post editum primogenitum partu de quo integrum erat domino decernere, ergo revera de secundogenitis. Habes iam praeter duas decimas etiam primogenita duo.

Ad e. Censet Calm. post *Clericum,* agi Deut. 18 de portionibus sacerdotibus tribuendis victimarum non in altari maximo, sed in altaribus privatis immolatarum.

Ad f. Bos ille non immolabatur pro victima paschali, sed pro holocaustis vel pacificis, quae die paschatis et per octavam praeter victimam paschalem immolabantur. Respondeo : immolare illum bovem est « facere Phase », qui est terminus technicus pro immolatione victimae paschalis.

Ad g. Difficultatem ignorat Calm.; perspexit tamen *Ians.* (ad 14,28) agi de Levitis *pauperibus.*

Ad h. Incisum 18,1 « sacerdotes Levitae, omnis tribus Levi » silen-

tio praeterit Calm.; quod sequitur de comedendis portionibus sacris, solos aaronitas spectare affirmat. Est autem difficultas profecto in eo, quod hae portiones v. 1 toti tribui Levi concedantur. Levitae simplices ad sanctuarium confluentes quibus fundis vel proventibus alerentur, se ignorare fatetur Calm.

Ad i. De primogenitis nihil, de decimis idem quod ad c.

Ad j. *Permittit* Deus, inquit Calm., tres alias postmodum designari civitates refugii, praeter sex a se ipso statutas. Sed addita conditione « Si tamen custodieris mandata eius » innuere videtur, Hebraeos hanc permissionem fore neglecturos. At nonne ridicula Deoque parum digna eiusmodi permissio?

Ad k. Recitat Calm. Rabbinorum de Mamzer commenta.

Verum *harum difficultatum non singularum seorsim, sed omnium una quaerenda est solutio.* Sunt multae numero. Quarum potissimas tantum supra recensebamus : sed passim per collectaneum deprehenduntur ea, quae cum Moysis aevo aegerrime componuntur. Non negamus aliquas, non ita multas reperiri leges, quae ei aevo merito assignentur, alias etiam plures Moyse antiquiores. Neque difficultate te expedies adstruens mosaico cuidam collectaneo accrevisse seriora quaedam additamenta : tota collectanei indoles est postmosaica. Illa, quae aevum sapiunt recentius totas tres collectanei sectiones permeant. Quarum duae potiores, quae sunt de sacris et de magistratibus, dicendae sunt nobis depingere rerum apud Hebraeos conditionem Moyse posteriorem.

Quo tempore homines non apud sanctuarium maximum tantum, sed passim per totam regionem in altaribus privatis sacrificia offerebant; pro Phase etiam bovem immolabant; decimae et primogenita, hominibus tribus Levi subtracta, a toto populo sacris epulis absumebantur; portiones sacerdotibus pendebantur non plane eaedem, quae Lev. 7 sancitae fuerant; sacerdotum simpliciumque levitarum obliteratum quadamtenus erat discrimen; homines tribus Levi, legitima sustentatione privati, passim agebant vitam miseram et vagam; a iudicibus urbanis patebat appellatio ad tribunal quoddam supremum, ubi sacerdotibus assidebat iudex maior, si qui tum esset in Israel; prodibant ad bella exercitus minus numerosi eo, quem Moyses deduxerat ad Iordanem; bella gravissima gerebantur contra Philisthaeos; etc., etc.

Non fuit ea unquam rerum apud Hebraeos conditio Moyse superstite. Qui vel extremo vitae tempore Num. 31 sacerdotibus et levitis partem praedae attribuebat ea fere proportione (cf. C N p. 349), qua inter illos decimae dividebantur. Quo facto se prodebat Moyses vel

tum sacerdotum et levitarum discrimen observasse, et de eorum sustentatione fuisse sollicitum.

3. Verum incompletum est nostrum argumentum, quamdiu illud tantummodo demonstravimus, conditionem rerum, quam describit collectaneum, dissentire a conditione rerum aevo mosaico : oportet nos etiam aliquod demonstrare historiae Hebraeorum aevum, cui collectaneum consonet. *Non consonat illud aevo Iosue.* Quod patet primum e Iud. 2,7, Hebraeos Iahve fideliter adhaesisse cunctis diebus Iosue et seniorum, qui longo post eum vixerint tempore. Patet e facto Ios. 22, 11 sqq. : indignatio, quam tum persensere cisiordanici omnes, certiores facti transiordanicos in suis finibus erexisse magnum quoddam altare Iahve, argumento est non consuevisse tum homines hebraeos ubilibet sacrificia offerre. — Neque ea, quam collectaneum describit, rerum conditio obtinuit, postquam David sacra Hebraeorum restituenda aggressus est : optime norat ipse sacerdotum et levitarum discrimen, neque eo regnante Levitae vagi et inopes circumferebantur. — Sed *concordat illa penitus cum aevo iudicum.*

Quo loco iudicum aevo fuerint Hebraeorum res exponendum nobis est. Ubi illud monemus, nos earum rerum h. l. tradere generalem conspectum tantum. Quod ad nostrum h. l. propositum abunde erit satis. Non omnia modo recensebamus, in quibus collectaneum ab aevo mosaico dissonat; plura commodius textus discutientes attingemus; quorum plura seorsim spectata minora videantur, sed in unum collecta efficiunt argumenti pondus non spernendum. Neque rerum aevo iudicum conditionem describemus iam quoad omnia; plura etiam horum commentario commodius reservantur. Generalem conspectum tradimus.

Certe aevo iudicum habebantur *altaria privata,* eaque Deo probata. Iud. 6,25 sqq. iubente angelo exstruxit altare Gedeon et in eo obtulit holocaustum; alterum ib. v. 24 postea exstruxit (C I p. 146). Offerebat holocausta Iephte in transiordanica Iud. 11,30 sqq., quo certe non transferebatur sanctuarium. Obtulit holocaustum Iud. 13,19 Manue in petra iubente angelo. Samuelis sacrificium in Eben ha-ezer 1 Reg. 7,9 sqq. portento Deus illustravit. Aedificavit idem altare Ramae v. 17, sacrificabat in Bethlehem 16,2 etc. Norunt haec omnes. Et, quoniam illud compertum habemus, sacrificia tum in altaribus privatis offerri consuevisse sive a privatis sive pro universo populo, Iahve non reprobante, imo quandoque illa miraculis consecrante, non aequum censemus, ut, quando in sacrificiis quibusdam, in libris Iud. et 1 et 2 Reg., nulla sanctuarii habeatur mentio, ea nihilominus apud sanctuarium et arcam oblata esse pronuntiemus, non in

altaribus privatis. Gratuita esse ea hypothesis inde efficitur, quod Deut. 16,21 (cf. Hebr.) altaria privata diserte rata habeat. Cf. etiam, quae dicemus ad cap. 12. Fuit quidem Iud. 20,27 arca in castris cum universo Israele : sed ea erant tempora Phinees, nepotis Aaron, qui certe fuit e numero eorum seniorum, quibus post Iosuen superstitibus Hebraei statutis mosaicis religiose adhaeserunt.

Habes aevo iudicum egregium plane specimen *Levitae vagi*, levitam illum Iud. 17,6 sq. : « In diebus illis non erat rex in Israel; unusquisque, quod rectum erat in oculis suis, faciebat. Fuitque iuvenis de Bethlehem Iuda, Levita, et ipse advena erat ibi. Ivitque vir ille de urbe Bethlehem Iuda, ut peregrinaretur, sicut opportunitas ferret, venitque in montem Ephraim ». Hic Levita primum *pauper*, postea superstitione lucrum fecit, quem C I p. 301, adhibita textui Iud. 17,7 correctione, demonstrabamus fuisse ipsum Ionathan (18,30) e Moyse oriundum. Cogita, quam misere oportuerit religionem esse prostratam, ut vel Moysis ipsius nepos cultu superstitioso fungeretur.

Sed cultus privatus Iahve aevo iudicum plurima foedabatur *superstitione*. Habes Iud. 17 sq. in domo Michae sculptile cum aedicula, ephod et theraphim, cuius sacerdos primum exstitit Michae filius non Levita, postea Levita ille Bethlehemita. Fuisse autem illud sculptile effigiem quamdam Iahve, doceris verbis Michae 17,13 : « Nunc scio, quod benefacturus sit mihi Iahve, qui habeo Levitam sacerdotem ». Etiam oracula nomine Iahve edebat Levita ille 18,5 sq. Danitae vero sculptile et sacerdotem abegere in Dan Lais, ubi illud permansit tamdiu, quamdiu domus Dei (non scribitur « arca ») fuit in Silo. Gedeon, quo ipso die 8,23 Iahven profitebatur esse unicum Israelis regem, coegit auri copiam, e qua confecit ephod, non alii sane cultui consecrandum quam cultui superstitioso Iahve. Cf. quae dicebamus in libro : Das vormosaische Priesterthum in Israel, Freiburg i. B. 1899, p. 77 sqq.

Neque deerat *idololatria*. In quam saepissime iudicum aevo prolapsos esse Hebraeos, totus liber Iud. clamat : 2,11 sqq. 19; 3,6 sq.; 4,1; 6,1; 10, 6.10.13 sqq.; 13,1; 1 Reg. 7,3 sq.; 12,9 sq. Gedeonis pater Ioas Iud. 6,25 habebat altare Baal in agro suo. Erat etiam in Sichem fanum Baal Berith, qui ita appellabatur a fœdere, quo se ei Sichemitae obstrinxerant (9,4.46); erat autem Sichem civitatum leviticarum una. Michol, filia Saul, habebat theraphim 1 Reg. 19,13 sqq. Extremo regno Saul (1 Reg. 28,3.7) nondum erant plane exstirpati magi et arioli. Quibuscum conferas Deus. 18,8, adhibita necessaria et obvia, quam eius textus suggeremus, emendatione.

Misera conditio cultus, misera item conditio *sacerdotum*. Eminentiae tribus Levi in actis iudicum mentio habetur solum Iud. 17,13.

Sed de tribu Levi fuse agunt priora capita 1 Reg., de arca item et tabernaculo, sed item discernuntur turbarum vestigia. Aaroni in pontificatu successerat Eleazar filius natu maior, huic Phinees filius : tamen, stirpe Eleazari nequaquam exstincta, reperimus pontificiam dignitatem penes posteros Ithamar filii Aaron minoris. Effectane est haec mutatio pacifice, temporibus rudibus et perturbatis? Si res agebatur violentia quadam, nonne ea stirps praevalitura erat, quae simplices levitas ad suas partes pertraxisset? Nonne hi facile alliciendi erant, si eis promitteretur communio privilegiorum sacerdotum aut aliqua aut omnimoda? Sacerdotes Ithamaridas filios Heli deprehendimus 2,12 sqq. legum a Moyse pro sacrificiis statutarum misere incurios, violentos, voraces, male moratos, irreligiosos. Non utique servabant accurate ea, quae Moyses de portionibus sacris statuerat : cum 1 Reg. 2,12-17 cf. Deut. 18,3. Causa erant ipsi, cur homines a sacrificiis Iahve retraherentur. A sacro scriptore filii pontificis non immerito vocantur « filii Belial ». Quae filiorum prava acta Heli senex debilis improbabat quidem, sed non reprimebat. E 2,22 intulerim, ipsum Heli non uti filios perditis moribus fuisse, verum quantopere, temporibus imprimis perturbatis, res sacrae sub pontifice debili debuerint labefactari, facile perspicies.

Consolatores interim populi, quantum novimus, non erant sacerdotes, sed *prophetae*. Iud. 2,1 sqq. populus prophetae cuiusdam monitis (CI p. 60) ab idololatria revocatur. A Sisarae vexatione idem liberatur 4,4 per Debboram prophetissam. In Madianitarum oppressione confortatur 6,8 sqq. alloquio alius prophetae; et rursum 10,11 (CI p. 207) in gravissimis miseriis adest propheta aliquis. Utebanturne hi prophetae degeneribus sacerdotibus amicis et fautoribus? Adest 1 Reg. 2,27-36 apud Heli propheta quidam, cultus sanctioris aemulator, ideoque sane sacerdotibus invisus, non habitans prope sanctuarium, sed raptim veluti illud invisens, pontifici suae domus ruinam praenuntians. Procul sanctuario habebant prophetae suas sedes et mox habuere numerosos discipulos 10,5.10 sqq.; 19,20 sqq. Erat prophetia, quod Deut. 18,15 sqq. fuerat promissum, permanens institutum (cf. 1 Reg. 9,9), licet eadem tempore Heli esset rarior (3,1). Videbatur evanescere pretiosus prophetiae fons, abundantes mox in Samuele profusurus aquas.

Prima Samuelis prophetia 1 Reg. 3 dirigitur contra Ithamaridas, 3,21 habes Samuelem prophetam a toto populo summo honore habitum, apud sanctuarium residentem, sed pro brevi tempore tantum. Sc. per cladem apud Eben ha-ezer a prophetis praenuntiatam e vivis tolluntur Ophni, Phinees ac tandem ipse Heli, et annis bene multis

arca a tabernaculo separatur. Tabernaculum cum altari holocaustorum penes Ithamaridas mansit. Offendimus illud primum in Nobe cap. 21, sive quod illuc, non vero Siluntem post cladem se receperint Ithamaridae, sive quod Saul tutius duxerit, eos cum suo tabernaculo finibus beniaminaeis concludere. Neque multo honore eos habuit Saul, sed levi captato praetextu 22,11 sqq. pontificem cum 85 sacerdotibus trucidavit. Postea tabernaculum cum altari holocaustorum translatum est in Gabaon 3 Reg. 3,4 sqq.; 2 Par. 1,3 sqq.

Samuelem post cladem apud Eben ha-ezer nunquam una cum sacerdotibus sacra oratio producit. Reperitur in medio prophetarum suorum 1 Reg. 19,24, non vero in Nobe apud tabernaculum, neque in Cariathiarim, ubi arca. Non videtur enisus esse, ut cultum apud sanctuarium maximum pristino splendori restitueret, fortasse quod ad id faciendum nullo divino oraculo sollicitaretur. Ipse in altaribus passim per regionem sacra faciebat: Ramae, in Bethlehem, fortasse, quod fere suggerit 1 Reg. 16,2, in singulis urbibus. Mirabile videatur, prophetam item collectanei collectorem ómnibus suis legibus adniti emendationi populi, nullam pro emendando clero edere legem. Nihil est, quod prodat, hunc prophetam habuisse sacerdotes fautores et adiutores; neque apud Hebraeos consuevere sacerdotes segnes cum prophetis iungere manus.

Omnia tandem ad unum caput revocavere David et Salomo. Arcam intulere primum novo tabernaculo, postea templo, veteri tabernaculo abdicato. Eleazaridas primum ad aequalem cum Ithamaridis dignitatis locum evexere, mox iisdem praetulere. Prophetis utebantur consiliorum omnium auctoribus.

Et haec quidem exstitit religionis conditio sub ultimis iudicibus Heli et Samuele; vixque credenda est melior fuisse ante illos, quando pluries et per plures annos Hebraei rapacibus hostibus fuere subiecti. Abreptis segetibus deficiebant decimae Levitis pendendae, abactis gregibus victimae ad altare producendae. Facile intelliges, miserrimis illis temporibus et ministrorum sacrorum sustentationem pendi desiisse, et plura populo famelico et pauperibus fuisse concedenda; intelliges invaluisse axioma Deut. 16,17, in oblationibus lege praeceptis praestandum esse cuique solummodo tantum, quantum vires ferrent, extensa esse tempora adeundi sanctuarii pro solemnitatibus, concessas alias indulgentias. Quae omnia fusius suis locis explicabimus.

Unum superest, quod h. l. praeterire non possumus. Lex Deut. 23, 2 (3) nomine Mamzer accenset *Philisthaeos* iis nationibus (Ammonitis, Moabitis), quas ob gravissimas acceptas iniurias deberent Hebraei summopere abhorrere. Iamvero amice cum Philisthaeis egerant pa-

triarchae (Gen. 20; 26); Moyses populum non via terrae Philisthiim deduxerat in Chanaanitiden (Ex. 13,17; cf. 15,14), ideoque cum Philisthaeis non est congressus, uti neque Iosue. Nonnisi extremo iudicum aevo, tempore Samson, Heli et Samuelis coepere gravissimae illae et quotannis repetitae Philisthaeorum incursiones et durissimae oppressiones, quae genuere odium omnino implacabile. Eo tempore potuere Philisthaei inter gentes summe exsecrandas scribi non ultimi, sed primi, potuere « incircumcisi » illi (Iud. 14,3; 15,18; 1 Reg. 14,6; 17,26.36; 31,4; 2 Reg. 1,20), qui ob defectum circumcisionis sanctae generationis essent incapaces, medii scribi inter eunuchos ad generationem plane ineptos, et inter Moabitas et Ammonitas per incestum prognatos. Eodem tempore iam remiserat indignatio contra Idumaeos et Aegyptios, quorum fines longius abessent. Igitur lex Deut. 23,1-8(2-9) omnino iudicum aevo nata sit oportet, imo eo aevo ad finem vergente et ante Davidem regem agnitum. Etenim David a Saule profugus a Philisthaeis amice exceptus est, ac postea Philisthaeos Gethaeos habuit sui corporis custodes. Reiicimur ergo fere ad aevum Samuelis.

Eo iam perduximus nostrum argumentum, ut illud demonstratum habeamus conditionem rerum, quam describit collectaneum, ab aevo mosaico esse alienam, omnino affinem autem aevi iudicum, praeprimis aevi Samuelis. Unde videtur fluere conclusio collectaneum aevo Samuelis esse conscriptum. Ad hanc conclusionem vergebat nostra collectanei investigatio, inexspectatam plane et in veterum interpretum libris frustra requisitam, cum ecce incidimus in textus 1 Reg. 10,25; Ios. 24,26 : Samuel, exemplum Iosue secutus, adscripsit thorae Moysis suum regni iudicium. Exaratus igitur est a Samuele et ab ipso thorae insertus codex aliquis legum; is post Samuelem e thora rursum esse excisus nusquam legitur; habemus vel nunc in ipsa thora codicem seu collectaneum legum, per omnia consonum aevo Samuelis atque discrepans ab aevo Moysis : menti obtruditur conclusio, *collectaneum esse ipsum iudicium regni a Samuele conscriptum.* Thesis de Moyse universi Deut. auctore limitanda est non solum, quod catholici faciunt vix non omnes, in quantum id exigit sana ratio ei abiudicans octo extremos libri versus, sed in quantum id exigunt textus scripturae minime incerti minimeque obscuri Ios. 24,26 et 1 Reg. 10,25 : *collectaneum Deut. 12,1-26,15 non est Moysis, sed Samuelis auctoris.* Id ut concedamus, ipsa sacri textus reverentia adigimur.

Neque id facientes prorsus deflectimus ab antecessorum nostrorum vestigiis. Qui quidem, textum 1 Reg. 10,25 cum Ios. 24,26 non com-

parantes et ad punctationem Masor. non attendentes, haud suspicati sunt haberi thorae insertum aliquod Samuelis scriptum. At haberi, vel certe aliquando habitum esse, thorae insertum scriptum Iosue, ingenue fatentur interpretes p. 8 laudati, excisumne postea fuerit haud inquirunt, viam ipsi pandunt opinioni aliqua Deut[i] capita esse Iosue auctoris. Neque ergo credendi sunt mordicus fuisse praeclusuri opinionem alia quaedam tribuentem Samueli. Contra solidas eius opinionis rationes, si quae afferrentur, non erant obfirmaturi animos.

Ad nostram sententiam propius ceteris accedebat *Kl.* p. 36. 133 sqq. 143. Censebat leges collectanei esse antiquissimas, imo mosaicas, sed ad eam, qua nunc leguntur, formam revocatas esse aevo iudicum; huic thorae Samuelem inseruisse suum iudicium regni, quod sola constet lege 17,14-20, quae est de rege. — Ex iis porro, quae de collectaneo demonstrata habemus, inferas, quando libri sacri posteriores affirmant aliquid scriptum esse in thora vel in libro Moysis, eos non ideo affirmare eum librum totum esse Moysis manu conscriptum, vel eum textum esse a Moyse profectum : etenim ita citantur (v. i.) aliquae leges collectanei. Unde rursum consequitur, eadem ratione exponendam esse expressionem « Moysen legi » (Act. 15,21; 2 Cor. 3,15), itemque « Moysen dicere, praecipere ». Hae expressiones accipiendae sunt sensu non critico, sed legali et vulgari. Cf. *F. Prat S. I.* : Études 1898, IV, p. 49.

Sicut collectaneum tribuimus Samueli, ita 26,16-27,26 censemus esse priorem partem eorum verborum, quae Iosue thorae inseruit. Cuius tamen rei argumenta non est, cur h. l. afferamus, sed lectorem ad commentarium remittimus.

4. *Deuteronomium primigenium.*

1. In quaestione de collectaneo veluti in cardine tota revolvitur de Deut. disputatio. Quod collectaneum moderni auctores censent esse libri partem non adventitiam, sed maxime necessariam. Inquirunt sc. studiose, quaenam nostri Deut. pars vel partes dicendae sint *Deut. primigenium* (germ. : das Ur-Deuteronomium), quod fuerint tempore aut certe gravitate primae, ad quas reliquae partes sensim accesserint, ut illas complerent et illustrarent. Quod Deut. primigenium plerique pronuntiant fuisse illud ipsum, quod Helcias sacerdos repererit in templo, de quo nos dicturi sumus capite proxime sequenti. Interim eorum, qui criticorum sunt antesignani, de Deut. primigenio opiniones breviter perstringemus.

Wellh. C. p. 190 sqq. a Deut. primigenio primum excludit 1,1-4,44, quam nos quoque orationem ab altera oratione diversam esse censemus. Eliminat praeterea cap. 29 sq. non ob aliam rationem, nisi quod ea capita eventus praenuntient, qui nonnisi post

Iosiae mortem locum habuerint; cum igitur absurda sit vera ante eventum prophetia, oportere haec scripta esse post Iosiae tempora, post exsilium babylonicum. Verum, etiamsi quis rationalistarum dogma profiteatur, impossibilem esse prophetiam, non ideo illi ius est haec capita repudiare. Constat quippe extremis regum temporibus fuisse apud Iudaeos prophetas et pseudoprophetas; edebant prophetias hi et illi; scripsere plures prophetias illi, scripsere fortasse etiam hi, licet ad nos hae non sint delatae, quod pii Iudaei eas destruxerint. Prophetae populo praenuntiabant felicia quaeque foedere Iahve servato, adversa quaeque eodem neglecto. Pseudoprophetae foedus Iahve parvi faciebant, foedera exterarum nationum commendabant: populo, qui haec iniisset, fausta quaeque, qui repudiasset, triste exitium vaticinabantur. Erant ergo prophetiae invicem per omnia oppositae : quod ubi locum habet, potest quandoque alterutra prophetia, etiamsi neutra a Deo indita sit, impleri. Nonne res harum similes fiunt in consiliis regum et parlamentis, dum una pars aliquod foedus acriter obtrudit, altera idem respuit, utraque si sua consilia recipiantur felicem successum, si negligantur reipublicae ruinam divinat, alterutra aliquando vera praenuntiasse eventu comprobatur? Quare ex eo uno, quod aliquid praenuntiatum evenerit, non sequitur haberi veram prophetiam, nisi eae adsint circumstantiae, quae rem non sine Deo praenuntiari potuisse demonstrent. Nos prophetias V. T. admittimus non ob sola cap. 29 sq. seorsim spectata, sed propter alias plurimas imprimis de messia prophetias, quibus praenuntiantur tot tamque diversi eventus futuri, qui sive simul sive seorsim sumpti nulla humana sagacitate praenosci poterant. Quodsi vero seorsim perpendantur Deut. 29 sq., non apparet ratio affirmandi, non potuisse etiam de causis mere naturalibus fieri, ut eventus consonaret iis, quae fuerant praenuntiata. Immerito igitur Wellh. Deut. 29 sq. a Deut. primigenio eliminat; immerito item cap. 28, quod utique est perquam affine cap. 29 sq. Expungit praeterea cap. 27, quod contextum interrumpere nos quoque sentimus.

Censet igitur Wellh., antequam nostrum Deut. componeretur, exstitisse unius eiusdemque textus duas formas plurimum diversas inter se : unam, quae capiti 26 immediate iungeret cap. 27; alteram quae, capite 27 omisso, capiti 26 immediate iungeret cap. 28-30. Verum, cum 26,16-19 certe non sit conclusio, subscriptio vel continuatio pericopae cap. 5,1-26,15, quae (inde a 12,1) est nudus legum elenchus, dum 26,16-19 est de foedere aliquo sanciendo : reapse habetur hiatus non solum, quod Wellh. concedit, inter cap. 27 et 28, sed item inter 26,15 et 16. Non habentur duo textus paralleli cap. 26 sq. et

cap. 26. 28. 29. 30 : sed in unum textum cap. 26,1-15; 28-30 praeter nativum contextum illapsa est pericope 26,16-27,26.

Tandem a suo Deut. primigenio eximit Wellh. etiam 4,45-11,32. Quam pericopen asserit nunc quidem collectaneum antecedere praeambuli instar, primitus tamen non eo fine concinnatam esse, ut esset collectanei praeambulum. Atque ita eo denique deducitur, ut pronuntiet *Deut. primigenium esse solum collectaneum legum Deut. 12-26*, cuius inscriptio habeatur 12,1, subscriptio (!) 26,16-19.

Deut. 1-4 et 5-11 definit esse duo collectanei praeambula parallela, atque ita tandem nostri Deut. genesim tribus veluti passibus describit :

a. Deut. primigenium habes cap. 12-26, cuius aliqua fortasse interierint, v. g. maledictiones aliquae, a maledictionibus, quas nunc textus habet, diversae.

b. Huius Deut. primigenii mox circumferebantur duae editiones auctae : una 1,1-4,44; 12-26; 27; — altera 4,45-11,32; 12-26; 28-30.

c. Quae duae editiones inter se confusae nostrum effecere Deut.

Ergo eo tandem devenit Wellh., ut partem Deut. omnium maxime primigeniam et necessariam pronuntiet esse collectaneum, quod totum est diversi a reliquis et posterioris auctoris, teste textu 1 Reg. 10,25 Deut° insertum, quod iam antea ad latus arcae asservabatur. Quomodo potuit auctor, a tam praepostera suppositione profectus, genuinam libri tradere explicationem? Suppositioni autem illi evidenter repugnat :

a. *contextus totius Deut.,* quem p. 193 ita explicat Wellh. : « Legum singillatim describendarum nonnisi cap. 12 fit initium. Cap. 5-11 Moyses constanter in eo est, ut de legibus agere incipiat, nunquam tamen de illis agit. Iam 5,1 annuntiat se tractaturum esse de statutis et iudiciis in Chanaanitide a populo observandis; verum illico implicatur describendo modo, quo ante 40 annos illa statuta in monte Horeb acceperit, postulante populo, ut ipse mediatoris partem ageret. Initio cap. 6 rursum in eo est, ut statuta et iudicia recitet, sed delabitur ad proponendum legislatoris amorem pro motivo legum servandarum. Sequentibus capitibus usque abutitur nostra patientia. Semper loquitur de statutis et iudiciis, « quae ego hodie praecipiam tibi »; statuta ipsa non proponit. Cap. 7 sq. anticipare conatur varia pericula, quae post ingressum Chanaanitidis neglectum mandatorum forte sint inductura; etiam, ubi deserto valedixerint, necessariam fore gratiam Iahve, semper eius indignationem fore timendam. Unde delabitur orator in longam de vitulo aureo digressionem. Nonnisi 10,12 sqq. redit ad inculcandam observationem mandatorum, et cap.

11 supremum monet pro Iahve providentia debere Israelem rependere gratiam et obsequium, huic providentiae etiam locum fore in terra promissa, cuius fertilitas a coeli favore dependeat ». Fuitne revera scriptor cap. 5-11 vir ita hebes, atque ad rem scriptoriam tam egregie ineptus? Nonne prudens quisque lector verbis Wellh. inducetur in opinionem, Wellh. perperam interpretari Deut. atque falso supponere scriptorem cap. 5-11 in mente habere leges Deut. 12,1-26,15? — Suppositioni wellhusianae item repugnat :

b. *narratio de thora ab Helcia reperta.* Etenim collectaneo eoque solo censet Wellh. Iosiam totumque cum ipso populum vehementissime esse commotum atque ad restaurandum cum Iahve foedus inductum. Num id revera ita factum esse serio asserunt Wellh. aliique? Explodenda tandem est haec fabula. Lege, quaeso, collectaneum. Est illud congeries legum, quae fortuito magis, quam logico vel rhetorico ordine invicem excipiunt. Leges, quae sunt de sacris, prohibent quidem idololatriam et superstitionem, sed religionis describunt conditionem imperfectiorem, altaria privata non proscribunt, vectigalia sacra vix non abrogant, varias concedunt indulgentias. Neque in iis legibus, quae sunt de magistratibus, quidquam est, quod legentem vehementer commoveat. Age, digito demonstra caput et versum, quo coniicias regem Iosiam de throno assurrexisse et vestimenta scidisse. Verum demus, in textu 12,1-20,20 fuisse aliquid vel aliqua, quae virum ad suspiria, ne dicam ad hysteriam, pronum valuerint commovere, nonne debuit ille ardor refrigerari, dum legerentur leges de diversis rebus, promiscua congeries rerum magnarum et minutarum, agens de re familiari et iudiciaria, de bove et ave, de mercenario et viatore, de tectis et fimbriis, de paxillo castrensi et adulterio? Finge tibi hac collectanei lectione commotos, concussos non unum sed plures, pontificem, secretarium, regem, sacerdotes et prophetas, populum universum a minimo ad maximum, scindentes pallia, cogentes concionem, celebrantes sacram solemnitatem. Qui librum ab Helcia repertum totum aut fere totum aiunt constitisse collectaneo, eiusque collectanei lectione effectam esse rei publicae conversionem, ii ignorant stupendam inaequalitatem medii, quod ipsi imaginantur, et finis, qui 4 Reg. 22 sq. narratur esse effectus.

c. Tandem suppositioni Wellh. contradicit *textus* 1 Reg. 10,25 comparatus textui Ios. 24,26.

Kuenen p. 108 sq. verba Wellh. C. p. 193 sua facit. Collectaneum etiam ipse censet esse Deut[1] nucleum; sed praeter illud inerant Deut. primigenio seu libro ab Helcia reperto (p. 257) conscripta ab ipso collectanei auctore introductio cap. 5-11 et epilogus cap. 28, cum brevi

narratione 31,1-13. Cuius rei praecipuum argumentum stilus est in hisce pericopis omnibus idem (p. 106 sqq.). Enumerat sc. Kue. expressiones 40, quae reperiantur in collectaneo, et quae nunquam vel raro tantum reperiantur in partibus pentateuchi non deuteronomicis. Horum idiomatum 27 reperiuntur item in pericope cap. 5-11, alia 8 in eadem scribi non potuere propter subiectam materiam : ergo e 40 supersunt 5 tantum, quae in collectaneo leguntur, in pericope cap. 5-11 autem desiderantur. Quo illud effici arbitratur Kue., habere quidem collectaneum plures terminos iuridicos aliosque, quorum adhibendorum cap. 5-11 non erat occasio; sed his praetermissis eundem esse stilum pericopae cap. 5-11 et collectanei. De stilo collectanei agemus infra. Interim argumento Kue. opponimus verba Wellh. C. p. 195 : « Eae phrases, quae stili deuteronomici sunt maxime propriae, in Deut. primigenio cap. 12-26 leguntur rarius quam alibi et, ubi leguntur, videntur esse scriptae ab auctore cap. 5-11, qui cap. 12-26 retractavit ». Quae verba universim vera esse infra ostendemus. Ergo, si quis praeter collectaneum voluerit Deut° primigenio alias aliquas pericopas accensere, non poterit argumentum petere e stili in hisce omnibus affinitate : stilus collectanei differt a stilo tam eorum, quae praecedunt, quam quae sequuntur, licet fortasse horum stilus sit idem atque stilus non collectanei, sed collectoris. Aut retractaverit textum orationum Moysis collector, aut suum stilum earum stilo conformaverit : ipsius collectanei stilus ab harum stilo diversus esse dicendus est, collectaneum alio atque haec aevo natum est.

Sententiam Wellh. partim complet, partim etiam corrigit Cornill p. 24 sqq. Partem Deut[1] potissimam etiam ipse censet primitus fuisse collectaneum. Monet, librum ab Helcia repertum non fuisse magnae molis, quod bis uno die (?) totus sit perlectus, semel a Saphan lectus in templo, dein ab eodem praelectus regi. Monet item librum, quod ספר התורה appelletur, debuisse tandem habere *leges* (cur non *legem?*). Sed illico in collectaneo discernit Cornill, quae varios auctores prodant. Quod nos universim lubentissimi concedimus; collectaneum quippe variis constat documentis e variis fontibus petitis. Sentit praeterea Cornill, non ita vehementer commovendum fuisse Iosiam sola collectanei lectione; monet 4 Reg. 22,16-19 annuntiari infortunium quoddam, quod in libro illo reperto expressum inflicturus sit Iahve civitati Ierusalem. Quare Cornill Deut° primigenio concedi permittit cap. 28, non totum sed fortasse v. 1-25.43-45, ut tantus fere habeatur de maledictionibus sermo, quantus v. 1-14 de benedictionibus habebatur. Permittit, inquam, neque enim rem definit, sed dubius haeret. Censet item, Deut. primitivum debuisse habere aliquod col-

lectanei praeambulum. Quodnam illud fuerit? an Deut. 1-11? sed longius istud videtur praeambulum, non unicum sed duo praeambula. An solum Deut. 5-11? Potius favet opinioni *W. Staerk* (Das Deut., sein Inhalt u. seine literarische Form, 1894), qui illud praeambulum censet reperiri Ios. 24, cuius aliqua fortasse fragmenta in Deut. 2 sq. lateant. Quod praeambulum exceperit textus primigenius collectanei, ac tandem pro epilogo pericope 7,12-24. Neque huic tamen « hypothesi » audacter accedit Cornill, sed eam iudicio lectoris permittit aut recipiendam aut repudiandam.

Experiebatur Cornill, quod ante ipsum expertus erat Kue., quam incommode soli collectaneo attribuatur tanta illa animorum commotio, quam praelectus Helciae liber generasse traditur. Difficultatem ut attenuarent, tentavere collectanei aptum aliquod expiscari praeambulum et epilogum. Sed cum totus labor falso niteretur supposito, collectaneum esse Deut[1] partem maxime necessariam, totus etiam arbitrio, non certa ratione peractus est : Kue. introductionem seligit cap. 5-11, Cornill Ios. 24; Kue. epilogum cap. 28 cum 31,1-13, Cornill solum 28,1-25. 43-45 cum 7,12-24!

Driver p. LXV sqq. « indubitanter » affirmat, nucleum Deut. exstitisse cap. 5-26; 28, ubi cap. 5-11 sit paraenetica introductio, cap. 12-26 tradat leges, cap. 28 sit epilogus. Hic nucleus praefixum habebat breve historicum exordium, eadem fere quae nunc 4,44-49 leguntur, sed in breviorem formam redacta; habebat item annexam brevem conclusionem historicam. Et hic fuit liber ab Helcia repertus. 1,1-4,40, probabilius et quibusdam exceptis, eiusdem est auctoris; aut simul cum cap. 5-26; 28 scribebatur, aut paucis annis post. Reliqua serius accrevere.

König nucleum Deut[1] statuit esse cap. 5-26, quod probat ita p. 210 sqq. Ad nucleum certe pertinet cap. 12-26, quae pericope recitat omnes conditiones foederis ab Israele servandas; in quibus conditionibus cum non potuerit omitti decalogus, etiam cap. 5, quod habet decalogum, ad nucleum spectat; sed cap. 5-11 est decalogi (?) explanatio, ergo etiam ipsa ad nucleum pertinet. Ergo nucleus pertingit tandem a cap. 5 ad cap. 26. Sed hic nucleus primitus probabilius habebat prologum 4,45-49 et epilogum cap. 28 (non necessario totum) cum narratione 31,9-13.

Recentissimus interpres Deut. Bertholet p. XIX : « Deut. primigenio accensemus eas partes pericopae cap. 5-26, quarum excludendarum non perspicitur ratio. Excluduntur v. g. ea, quae a Deut. vetita, temporibus post Iosiam reputabantur licita (cum Deut. 14,1, cf. Ier. 16,6; Is. 7,18; cum Deut. 23,2 sq. cf. Is. 56, 3-5); dum e con-

verso omnino includitur Deut. 15,12, quod Ier. 34,14 citatur. Ut ad particularia deveniamus, Deut. primigenio accensemus a) ea, quae reperiuntur item in prophetis antiquioribus; b) quae, cum Ex. 34 et in Libro Foederis habeantur et antiquiora sint, in Deut. item reperiuntur; c) quae e praemissis Deut[1] necessario consequuntur, v. g. licentia mactandi pro cibo; d) quae distincte indicantur in narratione 4 Reg. 23, ad suam primitivam formam revocata (ubi cum v. 6 cf. Deut. 16,21 [12, 3]; cum v. 7 Deut. 23,18; cum v. 8 Deut. 18,6; cum v. 10 Deut. 18,10 [12,31]; cum v. 11 Deut. 17,3; [cum v. 12 Deut. 12,3]; cum v. 21 sqq. Deut. 16,1 sqq.) ».

Sufficiant haec specimina. Explicationes hae quanto sunt recentiores, tanto magis ad minima quaeque descendunt et iustam movent suspicionem : qui nimium explicat, nihil explicat. Unde v. g. novit Dr., illum suum nucleum habuisse aliquod exordium, illud exordium eadem fere dixisse, quae 4,44-49, sed dixisse breviori forma? Docti illi viri sedentes cogitant : Qua forma *ego* illud Deut. primigenium absolvissem? Praemisissem exordium : ergo praemisit *Deuteronomista*. In illo exordio dixissem ea fere, quae dicuntur 4,44-49 : ergo haec eadem dixit *Deuteronomista*. Sed compendio dixissem : ergo compendio dixit *Deuteronomista*.

Ceterum hi auctores, licet in bene multis dissentiant, in tribus consentiunt omnes :

a. partibus Deut[1] antiquissimis accensent *collectaneum;* quod esse partem omnium recentissimam et praecedente capite demonstrabamus, et pluribus in commentario confirmabimus;

b. Deut. primigenium censent esse ipsum *librum ab Helcia repertum;* quem librum capite sequenti ostendemus non fuisse Deut. primigenium, cum habuerit partem illam adventitiam collectaneum;

c. primam orationem 1,6-4,40 pronuntiant esse sequentium *introductionem*. De qua ultima opinione aliqua nobis sunt dicenda.

Confundunt sc. viri illi continuo id, quod sensu *reali* dici potest introductio vel praeambulum, cum eo, cui haec appellatio competit sensu *rhetorico* vel *stilistico*. Sensu reali veritas quaeque vel narratio, quae simul confert ad aliam aliquam veritatem vel narrationem deinceps plenius perspiciendam, dici potest hanc introducere eive praeludere. Ita in theologia tractatus de Deo uno et trino est introductio quaedam ad tractatum de Deo redemptore; historia V. T. concipi potest ut praeambulum historiae N. T. Sed quis sensu rhetorico affirmaverit V. T. esse prologum N. T., aut Symbolum Apostolorum esse tractatum de Deo redemptore, praefixo praeambulo de Deo Patrė, et affixo epilogo de Spiritu Sancto?

Habes in Deut. orationes tres, quarum tertia desinit in historiam. Quas facile concesserim describi eo ordine, quo habitae sint, licet non statuatur explicite prima oratio habita esse ante secundam, aut paraenesis 7,12-11, 32 recitata esse media inter pentalogum et maledictiones. Estne ita mirum, Moysen solemni thorae promulgationi praemisisse aliquam thorae paraenesin (1,5), dein thoram promulgasse, tandem restitutionem foederis celebrasse? Dices haberi alteram paraenesin 7,12-11,32, ergo illam 1,6-4,40 esse superfluam. Eratne superfluum, de re tam gravi, thora habere paraeneses duas vel etiam plures? non enim omnes Moysis sermones traditos habemus. Eratne superfluum, paraenesi alteri, quae potissimum est moralis, praemittere aliam, quae potissimum est historica, cum foedus in terra Moab sancitum potissimum suum fundamentum habeat acta in monte Horeb, in Cades Barnea, in transiordanica? Sunt haec profecto aptissima *realis* introductio thorae. Quodsi ulterius progressus affirmes, orationem 1,6-4,40 ideo esse exaratam, quod sequens oratio careat praeambulo, *forma* etiam et sensu *rhetorico* esse introductionem, falsum asseris : nam primum secunda oratio suum habet praeambulum cap. 5 (*Van H.* p. 43), ac praeterea tiro quisque artis rhetoricae tibi dicet, primam orationem non habere formam introductionis, sed esse orationem omnibus numeris absolutam, similiter atque Ciceronis oratio in Verrem de signis non est introductio, praeambulum, exordium orationis de suppliciis, sed sunt duae orationes re affines sed forma distinctae, habentes singulae sua exordia, suos epilogos.

2. Proposuimus ea, quae critici moderni censent de Deut. primigenio : iam, quae ipsi sentimus, indicabimus. Quaestio revera solum est de secunda oratione, quae inscriptione 4,44 thora et subscriptione 29,1 (28,69) verba foederis appellatur, et his ipsis nominibus agnoscitur esse res supremi plane nomenti. Ex qua in nostra disputatione ante omnia excidenda sunt cap. 12-27, quae nullo nomine primigenia dici possunt. Manent 1) praeambulum cap. 5,2) pentalogus Moysis 6,1-7, 11,3) pentalogi paraenesis 7,12-11,32,4) benedictiones et maledictiones cap. 28. Minoris momenti esse patet praeambulum et paraenesin, supremi momenti pentalogum et maledictiones, quae sunt ipsissima « verba foederis » 29,1, explicantque foederis conditiones servandas tam a populo quam a Iahve. Sunt haec gravissima ambo, non solus pentalogus, quia hoc foedus in terra Moab sancitum non, uti prius illud in Horeb, fuit *foedus tantum*, sed fuit 29,12. 14 (11. 13) *foedus et maledictum,* non uti illud solas adscriptas habens benedictiones, sed praeter has atrocissimas maledictiones. Ergo iure

merito *pentalogo et maledictionibus nomen Deut*[1] *primigenii vel nuclei Deut*[1] *concedimus*. Quo nomine solam exprimimus rei *gravitatem;* nullam prorsus perspicimus rationem, cur pentalogum et maledictiones affirmemus descripta vel pronuntiata esse *tempore prius,* quam praeambulum et paraenesin.

Illud nobis h. l. ostendendum, cur pericopen 6,1-7,11 a reliquis secernamus et pentalogum vocemus. Ubi utiliter conferes synopsin nostram p. 18 sq. Qua primum illud doceris, cap. 5 apte statui secundae orationis praeambulum, quod stabiliat axioma, in quo nititur tota thorae auctoritas, mandata quaeque per Moysen promulgata aequalis esse auctoritatis cum decalogo ab ipso Deo immediate promulgato. Neque obiicias, cap. 5 plus esse quam merum praeambulum, cum ipsius etiam decalogi observationem oportuerit recenseri inter conditiones foederis in terra Moab restituti : continetur quippe decalogi observatio quarto pentalogi mandato, quod omnium omnino mandatorum ante latorum, ergo etiam decalogi observationem exigit. Ceterum lis est de verbo magis quam de re, esse enim illud praeambulum gravissimum, lubentes concedimus.

Habet autem, misso etiam collectaneo, secunda Moysis oratio aliqua mandata, quae non sunt solus decalogus, cum vel ipsum cap. 5 alia praeter decalogum mandata demonstret; quae non sunt sola mandata iam *antea* a Moyse promulgata, cum constanter et emphatice affirmentur dari *hodie* (5,1; 6,1. 3,quibuscum conferendus v. 6; 7,11; 8,1. 11; 10,13; 11,13. 27. 32). Haec mandata non habentur 7,12-11,32, quae pericope tota est paraenetica, mandata auditoribus nota esse supponens atque eorum observationem inculcans. Quae hinc inde inseruntur monita de mandatis servandis et idololatria vitanda, adscribuntur per modum rhetoricae amplificationis ad argumenta illustranda. Ergo illa mandata habeantur oportet 6,1-7,11 : inter inscriptionem 6,1 (ubi *Sam. LXX* verius fortasse habent vocem *hodie*, quae ceteroqui secundum v. 6 omnino supplenda est), quae mandata iamiam esse pronuntianda declarat (« Haec sunt mandata etc. »), et inter verba 7,11 : « Custodi ergo mandata et statuta et iudicia, quae ego hodie mando tibi, ut facias ».

Aliqua thoram habere mandata propria, et ipsum nomen thora proclamat, testaturque traditio iudaica et christiana, illa dum venerabatur *schema'* (6,4 sq.) tamquam mandatum totius thorae sacerrimum, haec cum Christo (Matth. 22,35 sqq.; Marc. 12,28 sqq.) professa, idem mandatum esse totius thorae mandatum « primum et maximum ». Haec mandata ordiri 6,4 clarius, quam textus receptus (licet idipsum textus etiam receptus habeat perquam clare) profitentur

LXX extremo v. 3 adscribentes: « Et haec sunt statuta et iudicia, quae mandavit Dominus filiis Israel in deserto ». Ubi perperam adscripsere « in deserto ». Mandata enim haec hac forma scribuntur promulgata esse in terra Moab; dico hac forma, nam re nihil est in pentalogo, cuius servandi non iam in deserto Hebraeis imposita sit obligatio. Annuntiabantur haec mandata 5,1 : « Audi, Israel, statuta et iudicia, quae ego loquor in auribus vestris hodie »; annuntiantur solemnius etiam 6,1-4ᵃ, et maxime solemniter secundum textum LXX : v. 1 « Haec sunt mandata etc. », v. 3 « Audi, Israel », dein « Haec sunt statuta etc. », v. 4 « Audi, Israel ». Non potuere solemnius invitari Hebraei, ut ad mandatorum thorae promulgationem attenderent.

Habet autem pentalogus suam 7,11 subscriptionem, quem versum merito ad praecedentia trahunt *Masor., Sam.* : « Custodi mandata et statuta et iudicia, quae ego hodie tibi facienda mando ».

Quae mandata censemus esse quinque numero (cf. p. 18). Quae singula iterum iterumque inculcat paraenesis 7,12-11,32. Primum de diligendo Deo 10,12.20; 11,1. Secundum contra idololatriam 8, 19 sq.; 11,16. Tertium contra tentationem Dei 7,17-26; 9,4-10,11. Quartum de servandis universim mandatis 8,1.6.11; 10,13; 11,1.8.13. 22.27.28.32. Quintum de exstirpandis gentibus 7,17-26.

Tost. initio cap. 6 scribit : « Positis supra praeceptis decalogi, hic subiungit alia praecepta ». Censebat ipse cum *Aug., Est.*, v. 13 haberi speciale mandatum iurandi per solum nomen Iahve; sed illud brevissimum incisum constructione intime iungitur praecedentibus. *Cai.* mandata 6,1-7,11 comparat prioribus mandatis : mandato dilectionis et idololatriae prohibitione ait declarari primum decalogi praeceptum, v. 14 ait « transiri ad secundum praeceptum », mandatorum universim observationem infelicius ait inculcari ut remedium contra tentationem Dei, 7,1-11 ait explicari praeceptum Ex. 23,24. Mandatum primum dilectionis omnes, uti patet, interpretes catholici debitis laudibus celebrarunt. Sed, eheu! quae sequuntur, tractavere perquam ieiune, de numero horum mandatorum haud solliciti expressiones quasdam summis labiis delibavere. *Kn.* quatuor posteriora mantata subordinat primo, quod ea, quae praecipiunt, officia fluant ex officio monolatriae; quod legitime fieri non infitior. Recentiores critici suis praeiudicatis opinionibus, collectaneum esse nucleum Deut[1] et cap. 5-11 esse collectanei introductionem, praepediebantur, quominus veram pentalogi indolem perspicerent.

Singularem opinionem profitetur *Vernes* p. 18 sqq., pro pentalogo adstruens *monologum*. Sc. tota lex, quam proponit orator *hodie*, est magnum mandatum Deut. 6,4 sq.

Complet orator decalogum, non adscripto prolixo collectaneo legum, sed decalogum revocans ad unicum axioma religiosum. Neque sine consilio, ne dicam sine ironia aliqua, usque iterat voces « praecepta, statuta, mandata, etc. », veluti dicens pro plurimis, quae quis requirat, legibus ceremonialibus se unicum in medium proferre principium morale. Quem Vernes inducit sic loquentem : « Accipe doctrinam, quam proposuit Moyses filiis Israel in terra Moab. Foedus, quod ante aliquot annos in monte Horeb pactum est constatque decalogo, hodie compleatur oportet additis mandatis et statutis, quae vobiscum communicaturus adsum. Habent vero haec mandata et statuta, aliud nihil quam adorationem spiritualem Iahve solius, redemptoris populi sui ». Ad quae respondemus, obligatione colendi Iahve utique fundari obligationes reliquas omnes; non esse ferendum illum per totam secundam orationem lusum in verbis « mandata, praecepta, statuta »; prorsus intolerabilem esse ironiam illam, quae adstruitur pro totius Deut. pericope maxime augusta, pro ipso Deut[1] nucleo.

5. *De thora ab Helcia reperta.*

Eversas iam habemus duas e potissimis adversariorum munitionibus : primam, quae collectaneum tribuit Deuteronomistae auctori; alteram, quae hoc collectaneum, sive totum sive partem eius tantum, sive solum sive aliis quibusdam iunctum, pronuntiat esse Deut. primigenium. Contra quae statuebamus, collectaneum esse Samuelis auctoris, partem libri non primigeniam, sed prorsus adventitiam. Partem vero, quae ob gravitatem merito primigenia appelletur, affirmabamus esse pentalogum Moysis. Aggredimur iam tertiam adversariorum munitionem. Quaestionem in tota de pentateucho disputatione gravissimam uno ore illi proclamant esse quaestionem de libro ab Helcia reperto. Estque profecto gravissima, cum nobis prodat thoram tempore Iosiae regis exstitisse, nobisque viam aperiat discernendi, quae et qualis illa thora fuerit. Quem librum anno 18° regis Iosiae repertum pronuntiant critici fuisse tum recens fabricatum, ipsumque esse Deut. primigenium. *Hier.* (Comment. in Ez. 1,1; *M.* 25,17) et *Chrys.* (in Matth. hom. 9; *M.* 57, 180 sq.) declarant fuisse *Deut.* Certe non censebant fuisse totum pentateuchum, sed rem iis locis obiter tantum attingentes non definiunt, fueritne liber ille repertus totum Deut., an pars eius aliqua tantum.

1. Acta Iosiae narrantur 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34 sq. Nos primum ipsam narrationem breviter commentabimur; dein quas Deut[1] partes ille liber repertus habuerit, disquiremus. Brevi synopsi subiicimus utriusque sacri libri narrationem.

4 Reg. 22 sq.	2 Par. 34 sq.
22, 1 sq. formula, qua inchoari consueverunt singulorum regnorum annales.	34, 1 sq. formula eadem.
	34,3-7 acta ante annum 18^m; restauratio sacrorum per *regionem*, tam in *Iuda* quam in *Israel*.
22,3 mittitur Saphan ad Helciam.	34,8 mittitur Saphan ad Helciam.
22,4-7 mandatum Iosiae de pecuniis.	
	34,9-13 eiusdem mandati exsecutio.
22,8-11 reperitur liber.	34,14-19 reperitur liber.
22,12-20 consulitur Hulda prophetissa.	34,20-28 consulitur Hulda.
23,1-3 renovatur foedus.	34,29-32 renovatur foedus.
23,4-20 fuse narratur restauratio sacrorum in urbe facta, suppletis quibusdam eorum, quae 2 Par. 34,3-7 referuntur.	34,33 restauratio sacrorum brevi summario attingitur.
23,21 Iosiae mandatum celebrandi Phase.	
	35,1-17 solemnitas Phase fuse describitur.
23,22 sq. encomium celebratae solemnitatis.	35,18 sq. encomium celebratae solemnitatis.
23,24-27 laus Iosiae.	
23,28 formula, qua concludi consueverunt singulorum regnorum annales.	35,26 sq. formula eadem.
23,29 sq. Mors Iosiae.	[35,20-25 mors Iosiae fusius narratur.]

Ergo utrobique narratio consuetis formulis concluditur, sed 4 Reg. 22,1 habet *nomen* matris Iosiae. Utraque narratio habet acta anni 18^i, sed solum 2 Par. 34,3-7 traduntur acta, quae eum annum antecessere. Sc. ab anno 8°, quo tempore erat Iosias 16 annos natus, *coepit* Iosias efficere restaurationem sacrorum, quam gradatim exsecutus est. Quid hac in re egerit ab anno 8° ad 12um, non accuratius definitur; abstinuit ipse sane ab omni idololatria, prophetis Iahve videtur plenam libertatem concessisse (cf. Ier. 1,2 etc.) edocendi populi. Inde ab anno 12° destruxit sanctuaria superstitionis, primum in Iuda et Ierusalem (2 Par. 34,3-5), dein in reliquo Israel (v. 6 sq.). Quae ipse videtur potissimum praesens effecisse (cf. 4 Reg. 23,16-19), cum eis peractis dicatur *reversus* esse in Ierusalem (2 Par. 34,7; 4 Reg. 23,20).

4 Reg. 22,3 et 2 Par. 34,8 ordiuntur acta anni 18^i, ubi 2 Par. adscribit *nomina* sociorum Saphan. Hic uti 23,21 tradit 4 Reg. solum *mandatum* a Iosia editum, dum hic et 35,1 tacito mandato 2 Par. describat *mandati exsecutionem*. Praeterea 2 Par. 34,8 adscribit generale negotium, ob quod Saphan et socii missi sint ad pontificem (quoad purificationem regionis et templi, cf. *LXX*), itemque speciale

negotium, quod tum illis procurandum erat (ad restaurandum templum Iahve Dei sui).

Reperit igitur Helcias *librum*. Voce ספר CN p. 244 dicebamus designari non solum librum, sed cuiusvis generis aut molis scriptum, etiam meram schedam; uti etiam latina vox *volumen*, quam scribit Vulg. 4 Reg. 22,8.13.18; 2 Par. 34,16.21.30, non necessario designat integrum aliquem tomum, sed folia papyri pauciora vel plura, invicem consuta et baculo circumvoluta. Ergo e solis vocibus ספר et *volumen* non perspicitur, repereritne Helcias scriptum longius an brevius.

Reperit autem *librum thorae Iahve per manum Moysis*, את ספר תורת יהוה ביד משה (2 Par. 34,14; — *liber thorae* v. 15 et 4 Reg. 22,8.11; — *thora* 2 Par. 34,19). Quod factum 2 Par. 34,15 iisdem fere verbis atque 4 Reg. 22,8 renuntiat Helcias Saphano, regis secretario : *Librum thorae reperi in domo Iahve*. Qui liber eo nomine ideo appellabatur, quod contineret *verba thorae* (4 Reg. 23,24), *thoram Iahve per manum Moysis*, ideoque haberetur utique sacer et mosaicus.

Sed idem liber erat *liber foederis* (4 Reg. 23,2.21; 2 Par. 34,30 sec. Hebr.), continens *verba foederis* (4 Reg. 23, 3; 2 Par. 34,31 sec. Hebr.). Neque dicas vocari librum foederis ab eventu tantum, quod eo libro pro documento foederis accepto percusserit Iosias foedus. Aliquid plus edicunt verba 2 Par. 34,32 : « fecerunt secundum foedus Dei, Dei patrum suorum », agi de foedere antea facto Deum inter et patres. Quare 4 Reg. 22,13 sqq.; 2 Par. 34,21 sqq. adstruuntur patres neglectis libri verbis rei fuisse laesi foederis; is est verborum sensus, licet non ibi legatur vox foedus.

Neque tamen, quod liber appelletur *thora per manum Moysis*, ideo affirmatur fuisse ipsum Moysis *autographum*, cum expressio *per manum* saepe scribatur synonyma praepositionis *per* : Num. 15,23 *mandat* Iahve per manum Moysis, et 2 Par. 29,25 per manum prophetae; 3 Reg. 12,15 *loquitur* per manum prophetae; Is. 37,24 *exprobrat*, Ex. 4,13 *mittit* per manum. Quamdiu Moysis autographum apud Hebraeos perseveraverit, nescimus; uti etiam, quae eius autographi fuerint fata, quo tempore arca apud Philisthaeos captiva permansit. Ceterum perinde est, fueritne ille liber revera Moysis autographum. Dummodo exemplar esset vetustatis venerandae, illi homines epigraphiae et critices expertes perfacile librum, quod antiquus esset, habituri erant ipsum Moysis autographum. Quem innoxium populi errorem non erat, cur Deus praepediret.

Reperit — haud concesserim, Helciam librum reperisse *prius* sed, ut de eo reperto regem moneret, ad opportunum tempus distulisse, hoc tempus advenisse ratum esse, quando iussu regis aerarium esset

perquirendum, tum quippe fingi potuisse, in eo negotio forte repertum esse librum. Non satis haec consonant verbis 2 Par. 34,14 : « Cumque efferrent pecuniam, quae illata fuerat in domum Iahve, reperit Helcias librum etc. ». Quorum sensus obvius hic est, non antequam perquireretur aerarium repertum esse librum, repertum autem esse fortuito prorsus. Nescio, cur repertus liber mordicus attribuendus sit humanae astutiae, cum saltem aeque facile attribui queat divinae providentiae.

Saphan 4 Reg. 22,8 legit librum, quod altera narratio non habet, sed intelligitur per se. Porro narratio 2 Par. 34,16-32 potest dici esse narratio substantialiter eadem atque 4 Reg. 22,9-23,3; consonant saepe verbotenus aut fere verbotenus; sunt tamen etiam differentiae haud fortuitae, ut videamur habere duas narrationes non ex invicem sed e communi fonte profectas, quem modo magis, modo minus complete recitent, modo resumant, modo explicent.

Librum repertum Saphan defert praelegitque regi. Ubi 2 Reg. 22,10 ויקראהו, *et legit eum,* 2 Par. 34,18 ויקרא בו, *et legit in eo*. Duae expressiones sunt synonymae et indeterminatae. *Legit librum,* qui aut totum librum legit aut partem eius. *Legere in libro* est legere ea, *quae in libro sunt*, sive omnia sive aliqua : cf. 2 Esdr. 8,8; Ier. 36, 10 sqq. Neutra expressio eum necessarium habet sensum, *totum* librum esse lectum.

Producuntur duae narrationes verbis fere iisdem. Rex, auditis verbis *libri thorae* seu *thorae* scindit vestimenta, mittitque qui Iahven consulant. Qui non adeunt aliquem e prophetis, quibus continuum cum rege et sacerdotibus commercium erat, sed Huldam prophetissam, « quae habitabat in Ierusalem, in Secunda ». Cuius oraculum merito *Dr.* p. XLV authenticum esse agnoscit, cum illud recentiores ob nullam rationem criticam sed ob purum putumque rationalismum in dubium vocent, quod illud rei cuiusdam futurae praenuntium habeat, prophetia vero sit impossibilis. Videntur autem illi viri adiisse prophetissam tacito regis nomine, fortasse etiam mutatis ipsi vestibus, quod fecere etiam alii (1 Reg. 28,8; 3 Reg. 14,2) prophetas adeuntes; quare primum respondit Hulda : « Dicite viro, qui misit vos ad me »; illico tamen, quod alias prophetae fecerunt, prodidit, se oppido nosse quis esset ille vir. De qua autem re consulenda fuerit prophetissa, e textu indubie eruitur. Sc., quod apposite monet *Movers*, XII, 82, 112 (cf. *H. Ewald :* Geschichte des Volkes Israel III, 751,3. Ausgabe, Göttingen 1866), non fuit consulenda de authentia libri, qui repertus est, quae non videtur a quoquam esse in dubium vocata; sed consulendam iubet rex « super me et super populo de verbis

libri huius, qui repertus est ». Timebat sc. sibi rex « iram Iahve, quae succensa esset, quod non audissent » (seu « observassent », merum fortasse mendum scribae) « patres nostri verba Iahve », seu « verba libri huius », « ut facerent secundum omnia, quae scripta sunt in libro hoc ». En tibi perturbatorum animorum rationem. Sincere enisus erat cum suis Iosias inde a pluribus annis restituere cultum Iahve, confidebat se tam piis studiis Iahve favorem promeritum esse; edocetur iam, patrum suorum (Manasse, Amon pluriumque aliorum) impie actis ample promeritum esse populum exitialem ruinam : an ergo effectu carituri erant tot annorum pii conatus? De hoc uno consulendam fuisse Huldam, ex eius item oraculo colligitur, quod libri authentiam omnino supponens illud pronuntiat, minas ib. descriptas effectui quidem fore mandandas, non tamen rege Iosia superstite : « omnia verba thorae » seu « omnes maledictiones » (האלות), « quae scriptae sunt in libro, quem legit rex Iuda », seu « quem legerunt coram rege Iuda » (4 Reg. 22,16; 2 Par. 34,24).

Porro rex, ne quidquam videretur ad placandum numen praetermisisse, solemnem primum instituit *foederis renovationem* 4 Reg. 23, 1-3; 2 Par. 34,29-32. Ubi notes, pro *prophetis* v. 2 scribi v. 30 *levitas*; lecta esse in templo « verba *libri foederis*, qui repertus est in domo Iahve »; finem renovationis fuisse « stabilire » seu « facere *verba foederis* huius, quae scripta sunt in libro illo ».

Divergunt rursum duae nostrae narrationes. 2 Par. 34,3-7 referebatur restauratio sacrorum effecta non in *urbe* quidem Ierusalem, sed per *regionem* (Iuda et Israel), de qua tota re silebat 4 Reg. 22. De restauratione Hierosolymitana iam fuse tractat 4 Reg. 23,4-20, aliqua v. 5.8. 15-20 quae *regionem* spectent admiscens. Unde clarescit, quam misere ante haec prostratae fuerint sanctuarii res, in quo reperiretur omne genus idololatriae et superstitionis, lucus, effeminati etc. Sed 2 Par. 34,33, quod de restauratione antea (v. 3-7) tractatum sit, h. l. rem compendio tantum attingit, sanctuarii diserte ne meminit quidem.

Iubetur 4 Reg. 23,21 celebrari Phase, « uti scriptum est in hoc *foederis libro* ». Quae celebratio fuse describitur 2 Par. 35,2-16 ita, ut simul pateat, cognitas habuisse tum Hebraeos leges de sacris etiam alias, praeter illas quae forte in Deut. legerentur. Sacerdotes, levitae cantores sua officia obeunt, « sicut scripserat » vel « mandaverat David » (v. 4. 15). Monentur v. 6 *edocere* populum de ratione celebrandi Phase « secundum verba Iahve per Moysen », v. 12 holocausta procurare, « sicut scriptum est in libro Moysis », quas expressiones perperam affirmaverit quis synonymas esse expressionis « sicut scriptum

est in thora, quam reperit Helcias ». Deut. perpauca habet de ratione Phase celebrandi et holocaustorum offerendorum : quarum rerum copiosam doctrinam tradunt Ex., Lev. v. 13 iubetur Phase assari, « sicut iudicium est », i. e. more consueto, e quibus verbis illud efficitur, etiam sub impiis regibus non plane intercidisse sacrorum Iahve memoriam. Tandem v. 16 iubentur facere omnia « secundum mandatum regis Iosiae », v. 17 repetitur (cf. v. 1) factum Phase esse celebratum, sed additur azymorum quoque legem esse observatam.

Conspirant rursum duae nostrae narrationes, extollentes eius solemnitatis splendorem. Cuius similem affirmat 4 Reg. 23,22 non fuisse « a diebus iudicum, qui iudicaverunt Israel, et omnium regum Israel et regum Iuda », 2 Par. 35,18 vero « a diebus Samuel prophetae », post quae verba absolute pergitur : « et omnes reges Israel non fecerunt Phase sicut fecit Iosias et sacerdotes et levitae et omnis Iuda et Israel, qui inventi sunt, et habitatores Ierusalem ». Tandem 4 Reg. 23,24-27 adscribitur laus Iosiae, quod strenue laboraverit, « ut stabiliret verba thorae, quae scripta sunt in libro, qui repertus est », quodque ad Iahven conversus sit « secundum omnem legem Moysis ».

Admirationem facit comparari Phase Iosiae cum solemnitate aevo iudicum, i. e. vivente Samuele, celebrata, praetermissis tot aliis aevi regum solemnitatibus. Annon solemniora, quam Phase a Iosia celebratum, illa Phase, quae celebraverunt David et Salomo, reges opulentissimi? Narrat sacer textus primum renovatum per Iosiam foedus, dein mundatum sanctuarium, tandem celebratum Phase. Finge haec, uti narrantur, invicem continuo excepisse, ut una magna haberetur solemnitas, longe augustior mero Phase, quae a die renovati foederis pertingeret usque ad octavam Phase. Eiusmodi foederis renovationem celebraturus erat Esdras, quae 2 Esdr. 8,14 finem habitura erat festum tabernaculorum. Celebraverat Ezechias renovationem 2 Par. 29,10, quam consecuta est v. 17 mundatio sanctuarii et cap. 30 festum Phase : sed eo tempore (29,34) pauci erant sacerdotes numero, ergo non tanta solemnitas, quanta postmodum sub Iosia. Celebraverant antea renovationes Asa (3 Reg. 15,11 sqq. ; 2 Par. 15,12 sqq.) et Ioas (4 Reg. 11,17 sqq. ; 2 Par. 23,16 sqq.), sed non videntur hae simul fuisse cum annua aliqua solemnitate. Non annuum quodque Phase, quantumvis solemniter celebraretur, erat renovatio foederis, sed talis renovatio celebrabatur imprimis tum, quando intermissus fuerat aliquamdiu cultus Iahve, desecratum sanctuarium per idololatriam. Igitur affirmatur Phase Iosiae solemnius fuisse Phase Ezechiae. Samuel vero talem celebraverat renovationis solemnitatem, quae eo aevo esset plane inaudita, cuius memoria apud posteros non

est obscurata : igitur cum hac solemnitate Samuelis comparatur solemnitas Iosiae.

2. Hanc igitur narrationem discussuris nobis, primum examinandum venit recentiorum placitum, quo tempore repererit Helcias librum, fuisse eum librum *plane ignotum* : unde inferunt ipsi, librum non esse Moysis auctoris, sed Iosiae tempore vel paulo ante a quibusdam esse concinnatum. Secundum illos, non reperit Helcias famosam illam Moysis thoram, quae ex hominum quidem aliquamdiu manibus et oculis evanuisset, ex eorum memoria deleri nequaquam potuisset, sed reperit librum aliquem antea nunquam visum, Moysis tamen nomen fronte inscriptum gerentem, quem nimium credulus Iosias pro thora a Moyse conscripta receperit. Quaestio haec, in quantum textum 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34 attinet, tota est de articulis; quibus cum sermo latinus careat, expressiones aliquas claritatis ergo vertimus lingua gallica, quae articulos habet.

2 Par. 34,14 refertur Helcias reperisse *librum thorae Iahve per manum Moysis,* את ספר תורת יהוה ביד משה : quae expressio praefixo את est plane determinata. Non tamen ex ea sola consequitur repertus esse liber antea determinatus et notus. Secundum hebraeae quippe narrationis idioma intelligi commode potest liber non praevia cognitione determinatus, sed sequenti narratione determinandus : reperit Helcias eum librum, qui sequentibus actis demonstretur esse ipsa thora mosaica.

Aliter iudicandum de verbis Helciae ad Saphan 4 Reg. 22,8; 2 Par. 34,15 : *Librum thorae reperi in domo Iahve,* ספר התורה מצאתי בבית יהוה. Secundum regulas syntaxeos hebraeae ספר תורה vertendum esset plane indeterminate « un livre de loi », haberetur liber reperienti ignotus. ספר התורה autem pro usu loquendi longe communissimo vertendum est « le livre de loi » seu, cum in determinato *libro* necessario contineatur determinata *lex,* « le livre de la loi ». Erit sensus verborum Helciae : Reperi notum illum, sed aliquamdiu infeliciter amissum thorae librum.

Obiiciunt, statum constructum sequente nomine habente articulum *posse* etiam verti ita, ut articulus non statum constructum determinet, sed nomen sequens : ergo « un livre de la loi ». Afferuntque sequentia exempla : 2 Reg. 23,11 חלקת השדה, « une partie du champ », eius sc. de quo agit narrator campi; Iud. 13,6 איש האלהים, « un homme du Seigneur »; Ier. 13,4 נקיק הסלע, « une fente du rocher », petrae sc. illius veluti digito demonstratae, quae vel ante nota erat vel ib. narratis nota est effecta; Ps. 119(120),1 etc. שיר המעלות, canticum aliquod illorum notorum graduum; Cant. 3,9 עצי הלבנון, « bois du Mont

Blanc », ligna Libani (cf. Cant. 2,1). Tandem, cum Hebraei nomina generica substantiarum et abstracta articulo instruant, habes Cant. 1,10(11) נקדות הכסף, distinctae argento (cf. Gen. 13,2); 1,12(13) צרור המר, fasciculus myrrhae; 5,13 ערוגת הבשם, areolae balsami; 7,2(3) אגן הסהר, crater rotunditatis seu rotundus; 8,2 יין הרקח, vinum conditum.

Contra quae advertas primum, versionem « le livre de la loi » utique consonare usui loquendi longe communiori; neque deesse plures alios eiusdem constructionis *librorum titulos*, qui omnes libros exprimant omnino determinatos. Cf. eos, qui frequentissime citantur, libros dierum regum, libros dierum Salomonis, etc.; praeterea Ios. 10,13 et 2 Reg. 1,18 ספר הישר, liber Recti; 2 Esdr. 7,5 ספר היחש, determinatus liber census; Gen. 5,1 ספר תולדת אדם, liber Generationum Adam; Nahum 1,1 ספר חזון נחום, determinatus liber visionis Nahum, non : aliquis liber habens visionem aliquam Nahum. Imprimis vero cf. Ex. 24,7 ספר הברית, determinatus liber foederis sinaitici (cf. 4 Reg. 23,2. 21; 2 Par. 34,30), et 2 Esdr. 8,3 ספר התורה, ubi eadem determinata thora intelligitur, quae v. 1 plane determinate scribebatur את ספר תורת משה. Tandem, quid sibi vult « un livre de la loi »? Si התורה accipias veluti pro libri titulo, illud ספר idem fere sonabit atque *exemplar* (*Movers*, XII, 114) : repertum est exemplar aliquod noti illius libri. Vel התורה accipies pro nomine collectivo legum sacrarum, quae tum fortasse variis libris descriptae circumferebantur, ubi comparat *Kl.* p. 108 expressionem βίβλος τοῦ εὐαγγελίου. Erit sensus fere hic : Reperi librum aliquem habentem partem thorae, legem sacram aliquam vel leges. Unde Helcias norat, eam legem esse sacram, si illa supponatur ei ceteroquin fuisse ignota? Idne ex sola inscriptione vel subscriptione inferebat? an e loco, ubi reperta est, quod sola authentica documenta sacra in illo templi aerario reconderentur?

Habemus igitur haec demonstrata. Expressio ספר התורה longe probabilius accipienda est sensu plane determinato : « le livre de la loi ». Id suadet usus loquendi longe communior et analogia aliorum titulorum librorum. Cum tamen secundum usum loquendi minus communem expressio etiam verti *possit* indeterminatius : « un livre de la loi », definiendum superest e contextu narrationis 4 Reg. 22 et 2 Par. 34, fueritne liber, antequam reperirietur, Helciae plane ignotus, necne.

Adverte, si expressionem accipias sensu indeterminato « un livre de la loi », ex ea non effici quidem librum Helciae antea fuisse notum; verum attento contextu neque ex eadem effici fuisse ignotum. Quod

facile demonstratur. Id quod in eo libro Helciam, uti alios post ipsum, maxime perculit, erant *minae* in populum regemque editae; neque poterat ipsum latere, eas regi fore perquam ingratas. Qui toto regno sinceram dederat operam cultui Iahve restituendo confidebatque utique, pio suo studio se Iahven plene habere placatum, atque regni splendorem restituturum : nunc minis illis edocebatur, populum severissimas poenas antea iam esse cumulatissime promeritum, easque oraculo sacro haberi perquam distincte praenuntiatas. Dubio locus erat, essetne rex gratiose accepturus nuntium, eiusmodi librum tale habens vaticinium esse repertum. Prudens vir Helcias noluit rem durius pio regi obtrudere; non dixit : Reperi notum illum summaeque auctoritatis thorae librum, haud impune spernendum; sed : Reperi librum aliquem thorae. Prudentior etiam Saphan 4 Reg. 22,10; 2 Par. 34,18, suppressa voce *thorae* : Librum, inquit, dedit mihi Helcias. Agi de libro sacro fere patebat inde, quod a pontifice liber submitteretur. Habebat igitur gravem rationem Helcias, etiamsi librum antea novisset, ut de illo loqueretur quasi esset ignotus aut minus notus; expressio ספר התורה illud nequaquam efficit, agi de libro antea ignoto.

Agi de libro, qui antea fuerit Helciae ignotus, infert *Kl.* p. 107 sq. exinde, quod non antea narretur liber esse deperditus neque requisitus, neque adscribantur verba « liber, qui deperditus erat », vel « quem a rege iussus requisivi ». Librum antea esse deperditum, nonne inde consequitur, quod idem scribatur esse postea repertus? Helcias certe non est iussus a rege librum requirere, quem in aerario latere haud suspicabatur. Neque est, cur debuerit Helcias cum emphasi verbum מצאתי primo sententiae loco collocare : « Reperi librum thorae », pro : « Librum thorae reperi ». Emphasim habet non fortuita *inventio* sed *liber,* qui regi legendus offertur.

Si librum adstruas fuisse antea penitus ignotum, aegre explicabis, cur rex nullum de libri authentia moverit dubium, nullatenus inquisierit, quomodo liber in aerarium esset delatus (*Movers, XII,* 110 sqq.). Immerito hunc regem adstrues fuisse ita credulum atque praecipitem, ut sola libri inscriptione, fortasse Saphani aliqua opinione perculsus, re minime examinata, librum habuerit genuinum, oracula divina, indeque proruerit ad illum librum foederi divino renovando supponendum. Immerito adstrues, universum omnino populum eum regis pium furorem esse imitatum. Non ita facile a licentia ad severiores mores revocari consuevere homines. Cf. *Cornely, II,* 1, pag. 71.

Ceterum totam eam fabulam, librum repertum esse antea prorsus ignotum, uti monebamus, ideo nullis non conatibus fulciunt adver-

sarii, ut suam firment hypothesin, librum Iosiae tempore aut paulo ante esse conscriptum. Verum eam hypothesin funditus eversam habes iis, quae de collectaneo demonstrabamus. Exinde quippe, quod Iosue et Samuel tradantur sua inseruisse thorae Moysis, quodque Samuelis insertum certe exstet Deut. 12,1-26,15, pars vero inserti Iosue probabilius exstet Deut. 26,16-27,26, indubie efficitur, et narrationem 1 Reg. 10,25 et Ios. 24,26 esse veram, et thoram, quam nostrum Deut. habet, esse eandem quam habuere Iosue et Samuel, ergo thoram Moysis. Mox demonstrabimus, eandem hanc thoram Samuelis collectaneo auctam reperisse Helciam. Etiamsi igitur adversariis demus illud, quod ipsi minime demonstrant, thoram, antequam ab Helcia reperiretur, fuisse aequalibus Iosiae plane ignotam, manet tamen illud, quod est totius disputationis summa, repertam esse ab Helcia ipsam eam thoram, quam Moyses conscripserat, et Samuel collectaneo auxerat. Panditur lugendus plane thorae neglectus posteriorum regum aevo, manet tamen demonstratum eam exstitisse regibus omnibus longe antiquiorem. Tandem iis, quae de collectaneo disputabamus, completur ea, quam supra incompletam relinquebamus, disceptatio de sensu expressionis ספר התורה. Indubie 4 Reg. 22 et 2 Par. 34 designat ea illum determinatum librum, qui a Moyse Deut. 31,24 et a Deo Ios. 1,8 vocatur ספר התורה הזה, Ios. 24,26 ספר תורת אלהים, 1 Reg. 10,25 הספר, i. e. liber κατ' ἐξοχήν.

3. Dicendum porro est de libri ab Helcia reperti argumento et ambitu, quae definiuntur iis, quae 4 Reg. et 2 Par. traduntur de libri *nomine* et *argumento*.

Vocatur ille liber (cf. p. 48) *liber thorae* et *liber foederis*. Porro praeter leges aliquas particulares (legem zelotypiae etc.), quae in textu thorae vocantur, sed h. l. merito praetermittuntur, consideranda veniunt documenta prolixiora (cf. *Klost.* p. 111 sq.) :

a. *Liber Foederis* sinaitici Ex. 21-23, eo nomine vocatus Ex. 24,7; sed idem non appellatur thora; in epilogo 23,20-33 promissiones habet, non minas.

b. *Thora Sacrificiorum* Lev. 1,1-7,38, subscriptione 7,37 thora appellatur; verum liber foederis non vocatur, neque est de foedere Iahven inter et populum, sed est enchiridion ad usum potissimum sacerdotum concinnatum; non habet minas.

c. *Thora Munditiei* Lev. 11-15. Singulae leges subscriptionibus thorae appellantur; sed non agit ea thora de rebus cultum spectantibus, non habet minas, non potest vocari liber foederis.

d. Ea, quam in commentario *Thoram Sanctitatis* vocabamus (Lev. 18-22), in textu neque thora neque liber foederis vocatur, non agit

de Phase, neque de pythonibus. Si ad illam trahas Lev. 26, habebis utique minas, non tamen quae ferantur in regem aut locum sanctuarii (4 Reg. 22,13. 16. 19 sq.).

e. Habes tandem *Thoram restituti foederis*, a Moyse trans Iordanem promulgatam, quae Deut. 4,44 *thora Moysis* inscribitur, et 29, 1 subscribitur *verba foederis*, quaeque.31,9. 34 narratur a Moyse descripta esse in *libro*. Haec igitur una *utroque* illo nomine appellatur.

Idipsum, quod libri nomina suggerunt, confirmant ea, quae de libri *argumento* comperta habemus. Illud, quod Saphan, Iosiae aliorumque legentium animos maxime percellebat, fuere *minae* in populum universum, sed item in *regem* et in civitatem *regni caput* pronuntiatae; etenim urbium obsidionibus plene convelli regnum non potuit, nisi imprimis urbs regni caput, « locus iste » obsidione frangeretur. Fuere ea, quae dicebantur contra Ierusalem et habitatores eius (4 Reg. 22,16 sq. 19 sq.; 2 Par. 34,24 sq. 27 sq.), mala, quae Iahve inducturus esset contra illos (4 Reg. 22,16. 20; 2 Par. 34,24. 28), furor, quem accensurus erat Iahve (2 Reg. 22,13. 17; 2 Par. 34, 25), quo populus vertendus erat in stuporem (4 Reg. 22,19; 2 Par. 34,24) et in maledictionem (ib.) : una voce, fuere *maledictiones* in populum apostatam congestae. Porro haec eadem, iisdem vocibus expressa habet thora, et imprimis cap. 28 : קללה 4 Reg. 22,19 et Deut. 11,26. 28 sq.; 28,15. 45; 29,27 (26); — אלה 2 Par. 34,24 et Deut. 29,12.14. 19 (11.13. 18); — היה לשמה 4 Reg. 22,19; 2 Par. 34, 24 et Deut. 28,37. Ceterum illis minis, quae in actis Iosiae commemorantur, demonstrari minas Deut. 28 communiter iam conceditur. Ubi v. 36 abducendus in exsilium scribitur rex, et v. 52-57 vividissime describuntur urbium, ergo imprimis urbis capitis regni, exitiales obsidiones. Et nota (v. i.), res describi iis circumstantiis, quae aevi regum omnino sunt propriae : mulieres et viri delicatissimi etc., regionis defensio urbes munitissimae etc. Quae aevi regum lectores debuere vehementissime commovere. Quae vero aliqui imaginantur, tam Deut. 28 quam, quae 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34 de illis minis habentur, ea nonnisi post exsilium esse adscripta, nulla ratione exegetica vel critica, sed solo rationalismo fundantur, ideoque sunt a limine reiicienda; quoad Deut. 28 refutantur iis, quae de collectaneo demonstrata habemus, itemque textu Jos. 8,34.

Ceterum secundam Moysis orationem in illo libro fuisse, nemo est qui ambigat : illud quaeritur, an alia praeterea idem liber habuerit. Ubi concedendum illud, habuisse vel tum eum librum *collectaneum*, seu statutum regni a Samuele thorae Moysis insertum. Sc. 4 Reg. 23, 24 narratur Iosias abstulisse « pythones et ariolos et theraphim et

stercora (= idola) et omnes abominationes, ut stabiliret verba thorae scripta in libro, quem reperit Helcias sacerdos in domo Iahve ». His appellatur collectanei lex Deut. 18,9-12; easdem expressiones habes ib. et Deut. 29,17 (16). Iubet Iosias 4 Reg. 23,21 : « Facite Phase Iahve Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro foederis huius ». De Phase non agit ipsa secunda oratio, sed legem de Phase habet collectaneum 16,1-8, ubi etiam de azymis, de Phase assando et in loco a Iahve selecto celebrando (2 Par. 35,13. 17). Praeter hos duos textus, qui collectaneum explicite appellant, habes alios. Cum lege contra prostitutionem sacram Deut. 23,17 (18) sq. cf. 4 Reg. 23,7. Ut sacerdotes de tribu Levi, qui in excelsis sacrificassent Iahvae, ad communionem victus cum reliquis sacerdotibus, non vero ad sacra officia admitterentur (4 Reg. 23,9), omnino e mente statuti Deut. 18,8 sanciebatur.

E quibus illud utique efficitur, librum ab Helcia repertum habuisse secundae Moysis orationi insertum collectaneum : habebatne idem *Verba Iosue* 26,16-27,26? Hanc pericopen in mente habuisse Ieremiam censet *Klost.* p. 87 sqq. 113 sq. Iubetur sc. Ier. 11,2 propheta proloqui (cf. *LXX*), v. 6 *praelegere* e libro aliquo « verba pacti huius », quae tam prophetae quam eius auditoribus supponantur esse ita nota, ut in textu ib. non recitentur. Foedus dicitur quidem v. 4. 7 sancitum esse die, qua eduxerit Iahve populum de Aegypto, sed expressione *de Aegypto* quandoque designatur totum usque ad traiectum Iordanem tempus. Reapse hoc foedus v. 8 affirmatur annexa habere « mala » seu maledictiones, quas non habebat foedus sinaiticum (cf. Ex. 23, et supra p. 55). Commendatur vocibus v. 3 : « Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius », quae sunt non verbotenus quidem, sed fere verbotenus eaedem atque voces Deut. 27,26; et respondetur v. 5 « Amen, Iahve ». Extrema verba v. 4 valde affinia sunt verborum Deut. 26,16-19; 29,13 (12), sed item verborum Ex. 19,5 sq. Habes etiam v. 5 eandem, atque Deut. 27,26, vocem הקים. Quibus omnibus permotus Klost. censet Ieremiam ibi prae oculis habuisse illam pericopen; quod concedi potest. Non utique, uti 4 Reg. 23,21. 24, legitur ea in ipso libro reperto descripta fuisse : potuit eas expressiones nosse Ieremias vel ex alio aliquo exemplari post prius illud reperto, neque enim eundem adamussim textum omnia exemplaria necessario habebant, vel e memoria et traditione. Tamen, quod eae expressiones Ier. 11 tam arcte connectantur cum verbis foederis e libro praelectis, reapse veri simillimum est praelecta esse e libro Helciae, qui adhibitus est foederis iosiani instrumentum. Habuerit igitur is liber pericopen Deut. 26,16-27,26.

Quaeritur porro, fueritne in libro Helciae non sola secunda, sed

prima etiam oratio Moysis 1,6-4,40. Quae 1,5 statuitur esse non *thora,* sed *paraenesis thorae* : atqui paraenesis thorae videtur esse aliud quam thora, sicut commentarius in pentateuchum aliud est quam pentateuchus. Ergo, perpenso textu 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34, non audemus affirmare primam illam orationem fuisse in libro ab Helcia reperto. Neque idipsum de *historia restituti foederis* 29,2(1)-31,13 affirmamus, quam primitus non fuisse thorae partem sequenti capite ostendemus, Iosiae vero tempore iam habitam esse thorae partem demonstrare haud valemus. Neque id consequitur inde, quod impii reges videantur haud minori furore in historiam saeviisse, quam in secundam orationem. Cuius furoris indicia appellari possunt historiae foederis lacunae. Verum enimvero non in unam thoram saeviebant illi reges, sed item in prophetarum libros (Ier. 36,23 sqq.). Quorum aevo narratio item Ex.-Num. imminutiones passa est. Quod duo scripta commune experti sint odium, non efficit in unicum tomum ea fuisse congesta.

Eum quidem librum non solam secundam orationem, sed *totum Deut.* habuisse, efficere conatur *Dr.* p. XLV expressionibus 4 Reg. 23 cum expressionibus Deut. comparatis. Cum « foedere » 23,2. 3. 21 confert Deut. 29,1 (28,69); cum « thora » 23,8. 11 Deut. 28,61; 29,21 (20); cum modo 23,3, quo serviendum sit Iahve, Deut. 6,1. 5. 17. 20 etc. etc. Cultum exercitus coeli (23,4 sq. 11) habes Deut. 17,3; sacerdotes et sanctuaria gentilium (23,5. 13) Deut. 6,14; 11, 28; 17,3 etc.; altaria excelsorum, cippos, lucos (23,8. 13 sqq. 19) Deut. 12,2 sq.; prostitutionem sacram (23,7) Deut. 23,17 (18); Phase apud sanctuarium maximum celebrandum (23,21.23) Deut. 16,5 sq.; pythones (23,24) Deut. 16,5 sq. Iosiae pietati (23,25) comparat Dr. Deut. 6,5. « Lege », inquit, « Deut. 6,4 sq. 14 sq.; 12,2-7; 16,21 sq.; 18,9-15; 28; hi sunt textus Deut., quos imprimis prae oculis videtur habuisse Iosias ». Verum advertat lector, textuum laudatorum nullum esse aut priorem Deut. 5 aut posteriorem Deut. 31. Ergo illa expressionum comparatio illud certe non efficit, Deut. 1-4 fuisse partem libri ab Helcia reperti; neque efficit, eum librum ultra 29,1 (28,69) procurrisse. Confirmat autem etiam ipsa illud, quod modo defendebamus, Helciae librum habuisse collectaneum.

Ceterum quaestio, an liber ille habuerit totum Deut., recidit in alteram, fueritne ille liber *totus pentateuchus.*

Quod primum efficere conantur ex *nomine.* Etenim constat, Iudaeos inde ab Esdra totum pentateuchum vocasse thoram : cur non item thora, quam reperit Helcias, fuerit totus pentateuchus? Quod argumentum sequenti capite discutiemus.

Conantur idem efficere ex *argumento* thorae ab Helcia repertae. Iosias, inquiunt, 4 Reg. 23,21 « fecit Phase sicut scriptum est in hoc libro foederis », fecitque illud 2 Par. 35,1 die 14ª mensis Nisan; atqui eum diem non determinat lex Deut. 16,1, determinant autem Ex., Lev., Num. : ergo hos etiam libros habebat thora ab Helcia reperta. Contra quae advertas eas leges, quae in libro thorae affirmantur fuisse *scriptae* (4 Reg. 23,21. 24), reapse in collectaneo scriptas repe-riri. Sed falso videntur quidam supponere, reliquos etiam libros sacros tum fuisse deperditos, omnemve sacrorum rituum defecisse memoriam. Acta Helciae solius meminerunt thorae. Sine aliqua rerum sacrarum notitia, haud potuit Iosias 2 Par. 34,3-7, vel ante repertam thoram mundare universam regionem ab omni superstitione. Erat tandem pontifex, erant levitae in suos ordines distincti 2 Par. 34,12, gnari musices sacrae, ideoque item gnari sacrorum canticorum. Recensentur etiam quaedam sacra scripta 2 Par. 35,4, statuta Davidis et Salomonis, quibus definiebantur singularum cognationum leviticarum ministeria. Potuitne tam brevi temporis spatio cultus ad perfectum splendorem revocari, si eius ritus supponantur ex hominum memoria plene excidisse? Imo sciebatur harum rerum *praxis*, משפט, quam unam vocem 2 Par. 35,13 perperam vertit Vulg. « iuxta quod in lege scriptum est ». Ergo, ubi iussit rex 4 Reg. 23,21 « fieri Phase, sicut scriptum est in hoc libro foederis », seu 2 Par. 35,6 « fieri secundum verbum Iahve per manum Moysis », celebratum est festum observatis, non solum paucissimis iis quae Deut. 16 habentur, sed iis omnibus, quae traditio aliique libri sacri exigerent. Exinde, quod aliqua lex tempore Iosiae observata esse deprehendatur, immerito infertur eam in thora Helciae fuisse scriptam. Neque affirmantur singuli ritus 2 Par. 35,11 sqq. scripti fuisse in libro Moysis, sed affirmantur esse observati, « ut sacrificaretur Iahvae, sicut scriptum est in libro Moysis », i. e. ut satis fieret legi Deut. 16 regisque praescripto. Quae est alia omnino res.

Nostrae argumentationis summa haec est. *Infuisse libro ab Helcia reperto thoram collectaneo auctam, seu Deut. 5-28, concedunt vix non omnes; aliud quid praeter eam eidem infuisse, nullo argumento demonstratur; ergo censendus est ille liber fuisse ipsa et sola illa thora.* Qui vero dicunt, Helciam profecto integrum aliquem librum reperisse, Deut. vel pentateuchum, non fragmentum libri avulsum Deut. 5-28, ii illudmet pro certo supponunt, quod in tota hac disputatione quaeritur, sc. utrum tempore Iosiae varia documenta mosaica, quae dudum apud Hebraeos circumferebantur, iam exstiterint in unam thoram collecta. Cuius rei affirmandae equidem argumenta non reperi.

Antequam vero in unam cogerentur thoram, singula illa documenta erant completa minimeque ab alio ampliore documento avulsa. Nonne aeque completa est thora Moysis, atque Ciceronis oratio pro Milone?

Quomodo amitti potuerit illa thora atque, rursum reperta, tantam efficere animorum commotionem, dicemus capite sequenti.

6. *Historia thorae ante Christum.*

« Deut., si solum perpendatur et historia Israelitarum supponatur alia fuisse, quam reapse fuit, concesserit quis aevo mosaico esse concinnatum; id tamen concedere nequeo, dum Deut. cum reliquo V. T. comparo : nimis multa sunt, quae ei opinioni repugnant. Non est quidem spes, nos compositionis Deut[i] arcanum et indolem fontium, quibus usus est auctor, plene unquam esse perspecturos; quae vero perspecta habemus, ea nos plane cogunt licet invitos concedere, non posse defendi quam traditam accepimus opinionem de Deut[i] origine et auctore ». Ita *Dr.* XII qui continuo pergit ita : « Dum huic criticorum thesi suffragamur, nihil detrahimus auctoritati Deut[i] ut libri inspirati aut eius valori ad mores religionemque fulcienda. Deut. est unum e mediis potissimis, quibus Deus usus est in populo suo electo educando : verum spiritualis Dei providentia viis incedit analogis iis, quibus naturalis eius providentia incedere consuevit. Revelavit se ipsum Deus homini non semel plene, sed multifariam multisque modis (Hebr. 1,1) et gradatim. Deut. est pars revelationis aevi non mosaici, sed posterioris; collectam tradit eruditionem illam, quam a Deo accepit et in se expertus est non unus aliquis homo, sed generationes plures virorum divinitus inspiratorum ». Verba descripsimus integra, ut illud etiam perspicias, Dr. nequaquam esse animo a revelatione et fide alieno.

Est igitur nobis examinandum, quid in prioribus illis verbis Dr. insit veritatis, quidve non. Etenim *aliquid* inesse veritatis non negamus. Cum enim scripturam ipsam habeamus testem, aliqua post Moysen thorae esse inserta a Iosue et a Samuele, non utique defendimus Deut. totum quantum e Moysis calamo fluxisse. Neque tamen id agentes a doctrina in ecclesia tradita recedimus. Aliqua Deut[o] inesse posse, imo inesse, quae Moysis non sint, communiter conceditur (p. 5 sq.). « Moysen scripsisse librum suum », universim affirmavere auctores antiquiores catholici, uti universim item affirmabant « Samuelem scripsisse librum suum », uti utrumque affirmantem audierant traditionem iudaicam; in fontes pentateuchi non inquirebant neque inquirere poterant, quod quaestiones criticae nondum agita-

rentur. Quod vero ipsi tradebant omnes et semper, illud erat, veram esse scripturam sacram, veriorem etiam traditionibus iudaicis; quae praeter alia plurima habet etiam textus Ios. 24,26 et 1 Reg. 10,25. Hos textus minime ambiguos componendos cum generali illa de origine mosaica pentateuchi affirmatione nobis, qui serius nati sumus, reliquere antecessores nostri. Non recedit a traditione, qui ea, quae tradita sunt generaliter tantum ac veluti in nuce, explicat, complet et iustis limitibus circumscribit.

Critici reliqui, Drivero longe audaciores, nisi imprimis suo illo placito de thora circa Iosiae tempora fabricata, nihil fere totius pentateuchi Moysi concedunt, eiusque opinionis testem appellant universam V. T. historiam. Nos igitur laborem aggredimur thorae cum ea historia comparandae; neque enim satis erat hanc comparationem sexcentis locis commentario interspargere, ad unum caput erat tota quaestio revocanda, cuius nullus aptior locus commentarii Introductione.

Verum bene attendas, quaeso, quid hac historia potissimum efficere in animo habeamus. Non intendimus eam componere historiam, in qua certa et fixa sint omnia. A factis certis procedimus ad facta minus certa, ab his ad hypotheses et coniecturas. Historiam pentateuchi ante Esdram plures fere habere lacunas, quam certa facta, ecquem fugit? Illud demonstrandum aggredimur, historiam thorae, quatenus factis constat aut certis aut probabiliter demonstratis, completurque sapientibus coniecturis, nullo modo evertere doctrinam, documenta, quibus coalescit Deut., paucis exceptis (collectaneo etc.) aevo Moysis esse nata. Quodsi igitur historia haec nostra tibi videatur aut magis probabilis, aut minus improbabilis ea, quam texunt recentiores critici, nisi imprimis iosiana illa sua interpolatione, vicisse nos arbitrabimur. Facta vero, a quibus proficiscitur disputatio, haec sunt:

(1) *Thoram* (5-11; 28; 29,1) *scripsit Moyses.* Id explicite affirmatur 31,9, manifeste confirmatur factis Iosue et Samuelis.

(2) *Thorae a Moyse scriptae inseruit Samuel suum iudicium regni, quod totum habes 12,1-26,15; inserueral ante ipsum Iosue verba sua, quorum fragmentum haberi videtur 26,16-27,26.*

(3) *Hanc thoram, Samuelis scripto auctam reperit Helcias, Iosia rege.*

(4) *Non sola haec thora, sed omnia scripta aevi mosaici aevo Esdrae conspiciebantur in unum pentateuchum coadunata, qui pentateuchus tum et deinceps thora vocabatur.*

(5) *Testimonia quaedam antiqua, comparata pluribus scripturae textibus et imprimis facto Helciae, suggerunt aliquando regum aevo*

libros sacros excidisse summa illa reverentia, qua antea habebantur, imo impiorum regum persecutiones esse expertos.

E quibus factis comparatis inter se et cum sacro textu, varias derivamus conclusiones, historiam aliquam scriptorum Moysis teximus. Systemati criticorum nostrum opponimus systema, alia certiora, minus certa, fortasse imo minus probabilia alia. Non eo continemur, ut argumentis opponamus argumenta : systema obiicimus systematibus, et coniecturas coniecturis, omni armorum genere dimicamus. Illud demonstrare nitimur, etiam religiose admissis factis iis, quae sacer textus affirmat, probabilem posse texi scriptorum mosaicorum historiam, imo ea, quam critici proponunt, longe probabiliorem. Quodsi vero eorum, quae a nobis suggeruntur, aliqua tibi videantur tenuioribus niti rationibus, age, illud etiam perpendas, annon infirmiores etiam sint rationes eae, quibus sua placita superstruunt critici. Ipse enitere, ut firmiora illis substituas : facilius quippe aedes ab alio exstructa diruitur, quam nova a fundamentis aedificatur.

a. Historia thorae a Moyse ad Samuelem.

1. DEUTERONOMII PARTES. — Deut[i] a praecedentibus libris aliquod haberi discrimen, nemo est qui ambigat aut ambigere possit. Ex.-Num. una continua habetur narratio; ipsae, quae inseruntur leges et alloquia, narrationem non interrumpunt sed producunt. In Deut. interrupta narratione prolixa quaedam traduntur documenta. Extrema tantum capita sunt historica, suntque narrationis Ex.-Num. nativa, uti videtur, conclusio. *Videtur reapse primitus exstitisse continua aliqua narratio Ex.-Num.; Deut. 1,1-3; 31,14-34,12, in quam immissa sint illa documenta.* Quod si concesseris, nequaquam concessisti illa duo scripta aut diversorum esse auctorum aut diversis plane temporibus nata : potuere duo eiusdem auctoris scripta sive ab ipso auctore, sive ab alio aliquo post ipsum in unum compingi. Rationes autem asserti proferimus has :

a. Tota narratione Ex.-Num. constanter recitabantur *alloquia Iahve* ad Moysen facta (« Locutus est Iahve ad Moysen dicens »); Deut. non tradit alloquia Iahve, sed *sermones Moysis*, quos ipse non refertur iussu Iahve ad populum habuisse; sed extremo Deut. redeunt illa Iahve alloquia 31,14.23.16; 32,48; 34,4.

b. Deut. 1,3, quod ostendemus, ipsum tradit diem mortis Moysis, qui fuit dies 1[us] mensis 11[i] anni 40[i]. Quo die affirmatur Moyses ad finem perduxisse suum mediatoris officium, communicatis cum populo iis sermonibus omnibus, quos ei Iahve communicandos mandaverat. Cuius supremi diei acta narrantur 31,14-34,12. Sequuntur 1,5-31,13

prolixi Moysis sermones. Quos, etiamsi cap. 12-27 excipias, non potuit Moyses praeter illa unico illo die absolvere. Excedit is labor et oratoris et auditorum vires. Putasne unico illo die conciones celebratas esse saltem tres, et omnes illas orationes habitas, et foedus solemniter cum sacrificiis esse restitutum, et canticum et benedictiones esse pronuntiata? Neque eo die illas prolixas orationes esse habitas textus affirmat. Etenim, ubi v. 3 ille dies 1us mensis 11^{i} est recitatus, prima oratio v. 4 nequaquam affirmatur illo die esse habita, sed aliquando post cladem Sehon, die accuratius haud determinato. Est ea evidens sutura.

c. Extrema item historia foederis deprehenditur hiatus. Narratur 32,14 sq. 23 praesente Moyse Iahve Iosuen iussisse, ut bono esset animo; v. 7 idipsum Moyses coram populo Iosuen monet iis verbis, quae nonnisi e Iahvae mandato pronuntiare potuit. Certe non anticipavit Moyses Iahvae mandatum, quod nusquam facit ipse, neque patitur id reverentia Iahve debita; sed Moyses id, quod v. 14 sq. 23 Iahven audierat dicentem, ipse v. 7 cum populo communicat. Ergo non habetur cap. 31 una continua narratio; refertur primum id, quod postea evenit, cuius tamen inversionis nullam contextus suppetit explicationem; duae, quae pridem divisae erant, narrationes iuxtapositae iam leguntur; traduntur tales, quales in diversis documentis reperiebantur, nullo adhibito conatu hiatus obliterandi. Sc. duae narrationes 31,1-13.14-30 quadamtenus parallelae sunt. Narratio actorum Iahve post eventus Ex.-Num. referebat, quomodo Iahve Iosuen bono esse animo iusserit, Moysen iusserit scribere canticum; narratio verborum Moysis referebat, quomodo Moyses nomine Iahve publice Iosuen iusserit bono esse animo, dein scriptam thoram sacerdotibus tradiderit. Erant igitur duae narrationes rerum partim earumdem (adhortatio Iosue), partim affinium (liber cantici et liber thorae); potuere iuxtaponi impune; verum unus narrator haec omnia continuo enarrans debuit adhortationem Iosue primum referre a Iahve esse pronuntiatam, postea a Moyse promulgatam.

d. In libris Ex.-Num. mons, in quo tradita Moysi est lex, constanter vocatur *Sinai*, in Deut. constanter vocatur *Horeb*; sed 33,2, in actis ultimae diei vitae Moysis, redit nomen *Sinai*.

Quarum rationum vim illustrabit commentarius. Videntur nobis igitur fuisse duo scripta mosaica, acta Iahve per Moysen et orationes Moysis cum historia fœderis, quae aliquando visa sint in unum opus compingenda. Cuius rei efficiendae ea visa sit commodissima ratio, ut orationes illae, quae utique habitae sunt in terra Moab, ante supremi diei vitae Moysis acta insererentur.

2. Habes Num. 36,13 subscriptionem : « Ista sunt mandata et iudicia, quae mandavit Iahve per Moysen filiis Israel in planitie Moab super Iordanem Iericho ». Habes alteram subscriptionem Lev. 26,45 (46) : « Ista sunt statuta et iudicia et thorae, quae dedit Iahve inter se et inter filios Israel in monte Sinai per Moysen ». Ubi notes, non legi singularem *thora*, sed pluralem *thorae*, synonymum vocum *statuta* et *iudicia*, quique non exprimit nomen libri, sed eius universim materiam. Tandem subscriptionem vix non eandem, atque Lev. 26,45, offendis Lev. 27,34 : « Ista sunt mandata, quae mandavit Iahve Moysi ad filios Israel in monte Sinai ».

Igitur acta Iahve per Moysen duas maiores complectebantur sectiones : *acta in monte Sinai*, quae primum claudebantur clausula Lev. 26,45, et *acta in terra Moab*, quae claudebantur clausula Num. 36,13, quaeque CN p. 213 sqq. doceris fuisse copiosiora quam nunc sunt. Erat profecto e re, ut extremae legislationi sinaiticae, qua absolvitur primum foedus Iahven inter et Israelem, adscripta subscriptione declararetur, ubi esset eius legislationis finis. Conveniebat, haec acta augustissima accurate secerni ab aliis, sanctis quidem, sed non in ipso conspectu montis Dei editis. Recole etiam, quod CEL p. 415 monebamus, legem Lev. 27 habere rationem appendicis ad leges praecedentes; quare absoluto per subscriptionem Lev. 26,45 codice legum sinaiticarum, cum addenda esset lex Lev. 27 etiam sinaitica, adscripto v. 34 ea declarabatur eiusdem esse cum praecedentibus originis et auctoritatis. v. 34 vel ab eodem atque Lev. 26,45 et Num. 36,13 adscriptus est, vel ad horum versuum instar efformatus. Adscriptus est, *postquam* Lev. 27 actis sinaiticis adiectum est.

Fuit igitur antiquitus liber bipartitus, continens thoras, statuta, iudicia, quae voces sunt synonymae, qui liber referret non mera Moysis acta, sed *acta Iahve per Moysen* : id enim omnes illae tres subscriptiones habent. Libro bipartito, si is seorsim spectetur, antiquitus fuisse nomen thora, nullo textu efficitur. Libri pars altera, legum moabiticarum, terminabatur Num. 36,13; pars prior, legum sinaiticarum, terminabatur primum Lev. 26,45, sed mox augebatur adscripto Lev. 27. Illas duas partes pro coronide excipiebat historia eorum, quae supremo die vitae Moysis acta sunt, Deut. 1,1-3 ; 31,14-34,12. Genesis nequit affirmari fuisse pars libri bipartiti, cum vitae patriarcharum accenseri nequeant actis sinaiticis, neque tradat Genesis mandata, statuta etc. Iahve.

Adverte porro illas subscriptiones, licet solas *leges* efferant, atque ita librum bipartitum exhibeant ut apparatum legum, tamen affixas nunc conspici non nudis legibus, sed toti Ex.-Num. narrationi, quae

leges tradit veluti vestitas narratione eventuum, inter quos illae leges ortae sunt. Sc. legum mosaicarum obligandi vis tota fundatur earum *historia*, qua et legislatoris auctoritas et illi gravissimi eventus demonstrantur, qui legum promulgandarum exstitere occasiones. Cf. Deut. 1-3, ubi illud observandarum legum argumentum, quod Moyses primo loco ceterisque copiosius explicat, petitur ex historia.

Inde ab *E. Schrader* evasit fere communis inter criticos opinio, librum Iosue cum pentateucho aliquando fuisse unum documentum, *hexateuchum* : habebis ergo librum non bipartitum, sed tripartitum. Iudaei posteriores librum Iosue semper severissime a thora distinxerunt, et inter prophetas relegarunt. Certe non habetur extremo libro Iosue subscriptio similis subscriptionum Lev. 26,45; 27,34; Num. 36,13. Quod dicunt, extremam narrationem oportuisse ea omnia impleta habere, quorum praecedens narratio germina veluti contineret, ergo etiam impletas habere promissiones possidendae terrae promissae, infirmius est argumentum. Ex.-Deut. utique *commemorantur* eae promissiones, sed tota post legislationem sinaiticam narratio (C N 1 sqq.) in eo est, ut describat Israelis et Moysis peccatum eiusque poenas, ingressum terrae promissae tot annis dilatum, Moysis in limine terrae promissae obitum, seu ut primum foedus sinaiticum misere violatum, altero foedere moabitico feliciter restitutum demonstret : concluditur ergo aptissime narratio morte Moysis. Promissiones illae *narrantur* potissimum in Genesi, quam totius pentateuchi esse introductionem quamdam in comperto est; narrantur, cum quod ad praeambula historiae Israelis omnino spectent, tum quod illis suppressis historia Israelis et Moysis intelligi nequeat. Ceterum quaestionem, statuendusne sit pro pentateucho hexateuchus, remittimus ad commentarium in librum Iosue.

Licet vero librum Iosue non censeamus fuisse libri bipartiti partem, producentem narrationem ad mortem Iosue usque, censemus tamen libri bipartiti partem ac veluti epilogum fuisse acta supremae diei vitae Moysis. Quem epilogum solemnius inchoat Deut. 1,1-3, textus nunc quidem mancus, qui tradit stationum inde a monte Sinai respectum summarium, tradebatque totius inde ad Iordanem peregrinationis temporum rationem. 1^{am} diem mensis 11^{i} anni 40^{i} censeo esse ipsum supremum diem vitae Moysis (v. i.), atque Deut. 1,3 primitus inchoasse narrationem actorum eius diei 31,14-34,12 : « 40° anno etc. dixit Iahve ad Moysen etc. ». Qui dies habuit canticum et benedictiones. Id ut adstruamus, exigere etiam videtur narrationis Ex.-Num. indoles, quae ad Moysis mortem tamquam ad suum naturalem terminum tendit, aliaeque quas supra indicabamus rationes.

3. Praeter libri bipartiti extrema habet Deut. documenta tria, quae sunt *verba Moysis* tantum. Licet enim Moyses aliqua Iahve verba in suis orationibus recitet, v. g. decalogum (cf. etiam 1,6-8 etc.), at orationes ipse profundit suas, quin affirmet, se ad illas pronuntiandas divino mandato esse adactum. Sunt vero haec documenta :

a. oratio 1,6-4,40, quae 1,5 inscribitur *paraenesis thorae,* et cum notula 4,41-43, tum titulo 4,44 a sequentibus discernitur;

b. oratio 5,1-11,32; 28,1-46 (cf. 85); 29,1, quae 4,44 inscribitur : « Haec est *thora* », et 29,1 subscribitur : « Haec sunt *verba foederis*, quod mandavit Iahve Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, praeter foedus, quod pepigerat cum ipsis in Horeb ». Cuius orationis habitae 4,45 sq. tempus et locus describitur, uti 1,4. 5ª praecedentis orationis describebatur tempus et locus; quam 5,1 ad universum populum habet Moyses, quem ipse perquam solemniter alloquitur : « Audi Israel » (5,1 ; 6,3 sq.; 9,1). Igitur haec oratio simul est *thora* et *liber foederis.*

c. *Historia solemnitatis restituti in terra Moab fœderis* 29,2 (1)-31,13, cuius aliqua videntur esse deperdita. Extrema hac historia Moyses thoram sacerdotibus tradit asservandam.

4. Quid thora. — Horum documentorum primo loco discutienda est *thora.* Ubi necesse est ante omnia sensum vocis *thora* circumscribere. ירה, *iacere,* hinc hiphil veluti iacere seu mittere digitum, i. e. *monstrare* (Ex. 4,12. 15), *docere.* Sic Deut. 24,8 sacerdos, coram quo se sistit leprosus, *docet,* non explicat textum Lev. 13 sq. sed applicat, suum privatum iudicium profert, habeatne ille vir symptomata leprae lege descripta, quod iudicium fit viro illi norma *agendi,* quia hac in re sacerdos cum auctoritate docet. Lev. 10,11; Deut. 33,10 Levitae *docent* populum iudicia et statuta Iahve, eorumque hac de re doctrina seu explicatio observetur oportet, quia cum auctoritate docent. Ez. 44,23; Mich. 3,11 sacerdotes *docent* discrimen inter mundum et immundum. Hiphil הורה nunquam habet significationem obligandi. Nomen תורה comparantes cum aliis quibusdam nominibus synonymis, deprehendimus משפט esse oraculum profectum ab eo, qui legitimam *auctoritatem* habet decernendi inter rectum et non rectum; מצוה est oraculum, quod *constitutum* est et *firmum* stat, cui hominum actiones de se incertae conformentur oportet; חק est illud, quod *definitum* est, limites recti et non recti accurate circumscribens; תורה est *doctrina,* ergo agendi *norma,* via (Ex. 18,20) qua incedere oportet. Quatuor haec nomina designare possunt *legem*; sed latior secundum etymon *thorae* significatio, quam *legis.* Profecto Deut. 17,11 thora dicit sententiam a tribunali supremo in particulari aliqua causa latam,

quae proprie non est lex omnes obligans, et quandoque idem tribunal diversis temporibus diversas de eadem re fert sententias, quae singulae sunt thora seu norma agendi pro iis, quoad quos feruntur. Ex. 18,16. 20 singulae obligationes, quas recta ratio suggerit aut maiorum statuta sanciunt, vocantur thorae. Ubi תורה parallele scribitur cum חקים; Lev. 26,45 (46) cum חקת et משפטים. *Leges universim* vocantur thora Ex. 13,9; 16,4. 28. Sed plures etiam *leges particulares* inscriptionibus vel subscriptionibus declarantur esse thorae : leges Thorae Sacrificiorum (Lev. 6,9. 14. 25 [2. 7. 18]; 7, 1. 11. 37 sq.; et cf. Lev. 7. 7; Num. 15,15 [16]), leges Thorae Munditiei (Lev. 11,46 sq.; 12,7; 13,59; 14,2. 32. 54-57; 15,32 sq.), leges zelotypiae (Num. 5,29), nazaraeorum (6,13. 21), aquae lustralis (19,2. 14), lex de divisione praedae (31,21).

In his igitur thora semper dicit normam agendi, quandoque particularem, sc. iudicis vel sacerdotis sententiam in causa quadam particulari latam, sed vix non semper universalem, publicam, i. e. *legem*. Dicit legem aut unicam aut plures in unum collectas : Lev. 7,37 sq.; 15,32 sq.; Deut. 33,4. Non semper dicit legem, ut ita dicam, substantivam, sed etiam *addititiam*. Ita Thorae Sacrificiorum eae tantum leges inscribuntur thorae, quae legibus de sacrificiis antiquioribus a Moyse fuere additae : cf. CEL Schema ad p. 355, et cf. ib. p. 362. Ita Num. 19,2; 31,21 scribitur חקת התורה, *statutum thorae*, i. e. statutum antiquius additam habens thoram recentiorem (CN p. 150).

Ante Deut. thora semper designat non narrationem aliquam neque paraenesin, sed dicit vel legem unam, vel leges plures in unum collectas. Quae ante Deut. inscribuntur vel subscribuntur thorae, omnes sunt documenta non ita prolixa.

Illa etiam, in quam inquirimus, thora κατ' ἐξοχήν Deut. 4,44 sq. explicatur constare « testimoniis et statutis et iudiciis », ergo legibus pluribus (cf. 32,46). Quae leges sexcenties dicuntur esse *observandae*; sed non observantur narrationes et paraeneses. Quae leges si non observentur, gravissimae sequentur poenae. Habentur autem eae leges descriptae in *libro* 28,58. 61; 30,10; 31,9. 11 sq. 24. Thoram, non librum thorae, iubetur Iosue inscribere lapidibus (27,3. 8.26), rex recens creatus describere in libro aliquo (17,18; ubi conferas, quae ad h. l. dicturi sumus).

5. His de sensu vocis thora disputatis, quaenam sit illa thora κατ' ἐξοχήν inquirimus. De *lege* h. l. quaerimus, non de *libro*, cui ab hac lege nomen « thora » seu « liber thorae », quique alia praeter eam legem seu thoram fortasse continebat. Eam includi oratione 5,1-11, 32; 28, 1-46; 29,1, vel ex ipsa inscriptione. 4,44 patet : « Haec est

thora », neque a sensato quoquam negabitur. Quae oratio constat praeambulo cap. 5, pentalogo 6,1-7,11, paraenesi 7,12-11,32, benedictionibus et maledictionibus 28,1-46. Ubi illico perspicies, *pentalogum esse thoram aut certe thorae partem potissimam*. Id suadent verba Christi pronuntiantis (Matth. 22,38; Marc. 12,28. 30), primum pentalogi mandatum esse mandatum maximum et primum in thora; secundum nos illud mandatum est « primum in thora » non dignitate solum, sed etiam loco et ordine. Pentalogus vere est *lex*, dum paraenesis non est lex sed legis paraenesis, benedictiones et maledictiones neque sunt lex, sed legis servatae vel neglectae futurae sequelae. Priores thorae, quas Lev. Num. offendebamus, non erant ita prolixae, neque in prolixas diffundebantur paraeneses : eiusdem indolis documentum est pentalogus, paraenesin habet non legibus intextam, sed ad calcem subnexam. Suadet haec etiam analogia, nomine thora primum et potissimum solum pentalogum esse designatum. Convenit sane nomen thorae ei potissimum pericopae, cuius paraenesin tradit prior oratio, quae « paraenesis thorae » inscribitur. Est vero ea oratio paraenesis quarti, primi et tertii pentalogi mandati, et generatim totius pentalogi (p. 17). Pentalogus certe intelligi censendus est, quoties urgetur, ut « fiant omnia verba thorae huius ». Quod urget 32,46 auctor libri bipartiti, 29,29 (28) restitutor textus, 28,58 propheta. Fiunt quippe ab homine seu exsecutioni mandantur ipsa pentalogi mandata, non paraeneses, non maledictiones. Ergo thora illa κατ' ἐξοχήν est pentalogus, non vero paraenesis 7,12-11,32, neque benedictiones et maledictiones.

Sed ambigi potest, annon nomine thora designetur praeter pentalogum etiam praeambulum cap. 5, quod decalogum repetit et priores leges a Moyse latas summatim attingit, earum inculcans observantiam. Tamen proferuntur haec ibi non per modum thorae, sed per modum praeambuli thorae. Si ea thorae accenseas, defendas oportebit, a Iosue etiam cap. 5 fuisse lapidibus inscribendum. Dices, ea thorae omnino esse accensenda, quod praefixam habeant inscriptionem : « Haec est thora ». De qua re v. infra. Nos igitur censemus, nomine thorae primitus venisse solum pentalogum; si quis defenderit, illud nomen primitus pertigisse etiam ad praeambulum, non repugnamus.

6. Non sunt plane idem *thora* et *verba foederis*. Sc. thora sensu nativo est norma actionum humanarum, solum id, quod hominibus est praestandum, attingit. Foedus est contractus bilateralis, et habeat necesse est utriusque partis conditiones aut expressas aut certe subintellectas. Foederis sinaitici documentum fuit decalogus habens Ex. 34, 28 « verba foederis decem »; et nihil praeterea. Quando sc.

foedus initur cum Deo, congruum utique est, ut Deus conditiones ab homine servandas scriptas tradat, ob animi humani imbecillitatem et inconstantiam; sed non est necesse, ut scriptas tradat conditiones a se ipso observandas. Etenim Deum observaturos mandata esse remuneraturum, neglecturos puniturum, ex ipsa eius sapientia et iustitia consequitur, firmaque fide est tenendum, etiam si nullo edito documento id Deus affirmaverit, multoque magis si id Deus, non authentico quidem documento, sed tamen explicitis verbis edixerit: cf. Ex. 19,5 sq. Ceterum poenarum minas et praemiorum promissiones habes ipsi decalogo interspersas Ex. 20,5.6.7.12. Concinnavit autem vel in ipso foedere sinaitico Moyses Ex. 24,7 *Librum Foederis* (Ex. 21-23), qui praeter decalogi novellas habet 23,20-33 praemiorum promissiones. Quo loco poenae reticentur, licet omnino subintelligantur. Quorum sc. non est obscurata amicitia, ii foedus ineunt nulla poenarum facta mentione; ubi aliquo praeter mutuum officium opus esse videtur fidei incitamento, promittuntur praemia; ubi vero irrepsit diffidentia, statuuntur etiam poenae. Poenas cum praemiis reapse indixit Iahve Lev. 26, quod tamen non fuit foederis documentum. Post gravissimam apostasiam cadesianam Deut. 28 cum praemiis Iahve sanxit poenas omnino gravissimas. Reapse eo differebat foedus moabiticum a foedere sinaitico, quod hoc fuerit *foedus tantum*, illud *foedus et maledictum* (29,12.14[11.13]); cuiusmodi foederis *verbis* omnino et necessario accensenda est poenarum annuntiatio. Ergo ad *verba foederis* moabitici, praeter thoram seu pentalogum, omnino etiam spectant promissiones et minae Deut. 28, 1-46. Id exprimit subscriptio 29,1 (28,69), id merito sensere Iosiae aequales.

7. Non necessario idem est *thora,* sensu nativo intellecta, et *liber thorae,* cum liber thorae alia praeter thoram habere queat. Consuevere Iudaei appellare libros, non semper ab universo, sed ab aliquo eorum argumento; cf. p. 2. Potuit igitur vocari liber thorae liber ille, non quia praeter thoram nihil haberet, sed quia praeter alia etiam thoram haberet. Eum vero appellandorum librorum usum non esse recentiorum Iudaeorum tantum, disce e sequentibus. Iosue, sua inserens « libro thorae Dei », prima verba 26,16-19 conformavit (v. i.) non solum primo versui cap. 28, sed item extremis verbis paraeneseos 11,32. Ergo Iosue tempore paraenesis 7,12-11,32 iam erat pars libri thorae, hic liber praeter thoram stricte dictam habebat paraenesin.

Imo, ne a parte quidem *potiore* eae librorum denominationes semper petebantur : duae populi « numerationes » non sunt sane

res potissima, quam « liber Numerorum » habet. Tamen nomen « liber thorae » desumptum esse a parte potissima, et per se patet, et confirmatur inde, quod eius libri verba dicantur constanter esse observanda, facienda. Ergo argumentum potissimum libri thorae utique est thora stricte dicta seu pentalogus. Pars libri potissima non est necessario ceteris prolixior. Dixeris, Geneseos partem potissimam esse cosmogoniam : at ea est aliis concinnior, v. g. narratione diluvii et actis patriarchae Ioseph.

Nota, ipsam vocem *thora* duplici sensu posse scribi, pro lege et pro libro, pro contento et continente. Quod discrimen illustrare iuvabit. *Exodus* est ipse Israelitarum ex Aegypto egressus, qui transitu Maris Rubri est absolutus; *liber Exodi* est liber eum egressum et praeterea alia multa enarrans; sed idem liber vocatur etiam *Exodus*. Similiter *numeros* habent duo census populi ad radices montis Sinai et in transiordanica habiti; *liber Numerorum* est liber recitans eos census et alia plura; sed idem liber etiam *Numeri* audit. Pari ratione *thora* sunt conditiones, quas Moyses Israeli in foedere moabitico observandas proposuit; *liber thorae* est liber, in quo Moyses has conditiones et alia aliqua descripsit; sed ille idem liber vocatur etiam *thora*.

Nota tandem, libri thorae, seu thorae quatenus ea vox librum denotat et non solam legem, diversis temporibus diversam esse potuisse amplitudinem, illum librum potuisse decursu temporum *crescere*. Iudaei post Esdram totum pentateuchum vocabant thoram; Hebraeorum ante Samuelem thora utique carebat collectaneo; thora, qualem scripsit Moyses, carebat verbis Iosue. Thoram iteratis incrementis auctam esse demonstratum habemus. *Quaeritur iam de ambitu eius libri thorae, quem scripsit Moyses.* Non cognoscitur h. l. quaestio, scripseritne Moyses totum pentateuchum necne, sed de solo verborum Deut. 31,9 ambitu quaeritur : affirmeturne *eo textu* Moyses scripsisse totum pentateuchum, totum Deut., aliquam tantummodo Deut[i] partem. Dices, quaestionem iam haberi praeiudicatam inscriptione 4,44 « Haec est thora », quae affirmet libri thorae initium haberi 4,44. Verum illud praecise h. l. inter alia nobis est definiendum, quo sensu 4,44 vox *thora* scribatur : estne ea nomen *legis* tantum, ut 4,44 affirmetur ea thora, illae foederis conditiones initium sumere; an est nomen *libri*, ut affirmetur ibi incipere liber thorae seu thoram continens; et, si hoc alterum, quaeritur porro, an ille liber thorae solam thoram p. 67 sq. descriptam habuerit, an alia quaedam praeterea.

8. Quem librum thorae Moyses scripserit Deut. 31,9. — Scripsit

Moyses praeter omne dubium totam *secundam orationem* Deut. 5-11; 28.

a. Scripsit *pentalogum*. Licet enim liber thorae potuerit et alia praeter thoram habere, at debuit omnino habere documentum illud, cui nomen thora competit sensu maxime nativo et stricto, i. e. pentalogum. « Mandata et statuta » (30,10; 31,12; cf. 28,58), quae in illo libro descripta fuisse traduntur, sunt ipsa pentalogi mandata.

b. Scripsit *paraenesin* 7,12-11,32. Quae cum tempore Iosue et Samuelis iam esset pars libri thorae, iuremerito pronuntiatur ab ipso Moyse in eum librum esse relata. Etenim sensus obvius verborum Ios. 24,25 sq. et 1 Reg. 10,25 is est, Iosuen et Samuelem in thora Moysis mutasse nihil praeter hoc, ut adderent ille sua verba, hic suum regni iudicium; non collegerunt thoraeque Moysis adnexuere aliqua a Moyse profecta documenta, quae eo usque thorae non essent adscita.

c. Scripsit *benedictiones et maledictiones* cap. 28, etenim :

α. Liber foederis prioris Ex. 21-23 habebat benedictiones Ex. 23, 20-33; ergo oportebat librum foederis moabitici item praeter pentalogum habere benedictiones; ergo has, et consequenter etiam maledictiones, scripsit Moyses cap. 28.

β. Primum foedus fuerat *foedus tantum*, cuius foederis verba, i. e. decem mandata scripsit Deus; secundum foedus fuit *foedus et maledictum*, ergo oportuit Moysen scribere, praeter eius foederis mandata seu pentalogum, etiam maledictiones cap. 28.

γ. Tandem maledictiones 29,27 (26) diserte affirmantur fuisse « scriptae in libro hoc », i. e. « in libro hoc thorae » (v. 21), e quo praelectae « audiuntur » (v. 19).

d. Si Moyses scripsit pentalogum, paraenesin 7,12-11,32 et maledictiones, scripsit idem etiam *praeambulum* cap. 5, uno verbo scripsit totam secundam orationem. Quod praeambulum libere citatur 18,16 sq. : ergo tempore Samuelis habebatur textus sacer.

Ergo liber, quem scripsit Moyses 31,9 simul erat liber thorae et liber foederis (secundi) : 4,44 et 29,1 (28,69). Uti Iosiae tempore ita aevo mosaico, utroque nomine appellari potuit, et etiam appellabatur. Licet porro thora sensu nativo solum pentalogum designet (vel ad summum pentalogum cum praeambulo), tamen liber thorae, qualis a Moyse primum conscribebatur, praeter nudam thoram habebat certe paraenesin et benedictiones cum maledictionibus. Potuit utique fieri, ut vel ante populi concionem 5,1, v. g. Cadesae, scriptis mandaverit Moyses solum pentalogum, seu thoram sensu nativo intellectam : tamen de hac re cum taceat scriptura, neque nos quidquam affirmare oportet.

9. Manet quaestio, an praeter secundam orationem alia aliqua habuerit ille liber a Moyse conscriptus.

Orationem primam et historiam secundi foederis eodem atque secundam orationem stilo esse exaratas, fatentur etiam critici. Efficiat istud, orationes eodem esse aevo natas atque ab eodem auctore profectas vel ab eodem scriptore esse retractatas : non efficit, eas a Moyse in unum omnes librum esse congestas. Habitae sunt aliis quam secunda oratio populi concionibus, is enim est sensus obvius verborum 5,1; 29,2 (1) : « Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eos ». Sed potuere etiam variarum concionum orationes in unum librum compingi. Verum

a. *Primam orationem* non censemus primitus exstitisse partem libri thorae illius, quem Moyses Levitis tradidit.

α. Inscriptio 4,44-49 non est, aut certe non tota est Moysis auctoris, certe non v. 45-49. Etenim scriptor ter (v. 46.47.49) regionem ad orientem Iordanis sitam describit esse *trans* flumen, quam Moyses in eadem fluminis ripa constitutus descripturus erat esse *cis* flumen. Quem loquendi modum in Deut. secus offendis solum in inscriptione 1,1. 5, in eo quod certe est adiectitium 4,41, et 3,8 in pericope ab antiquario recusa. Praeterea, ut v. 45 totum tempus itineris ab Aegypto Iordanem usque vocetur « egressus ex Aegypto », id non sapit Moysen auctorem sed scriptorem aliquem, qui Moyse recentior omnes illos 40 annos tamquam unum quid contuetur. Moyses commorationem in transiordanica semper distinguit ab exodo. Igitur inscriptionem 4,44-49 vel certe 4,45-49 censeo non esse Moysis auctoris, sed recentioris cuiusdam. Porro fingat sibi aliquis, recentiorem coram habuisse orationem primam cum secunda in unam thoram compactam, inter illas insinuasse suam inscriptionem : at quorsum id egerit, cum 1,4. 5ª iam haberetur descriptio loci et temporis re eadem, quae vere et facile posset ad utramque eam orationem trahi? neque habet eiusmodi loci et temporis descriptionem tertium documentum, potuit igitur eadem carere secunda oratio, lector descriptionem 1,4. 5ª applicitururus erat tribus ex aequo documentis. Profecto explanatio facilior ea est, inscriptionem 4,44-49 additam esse tum, quando duas orationes, quae eo usque documenta fuerant duo, in unum librum conscribere placuit; vel praefixam esse secundae orationi, quo tempore de ea cum altera oratione iungenda nondum cogitabatur. Si scriptor ille unicum traditum acceperat documentum, Moysis thoram, cuius ex aequo partes essent prima et secunda oratio, aususne esset textui omnium sanctissimo violentas inferre manus, ut insereret descriptionem aliquam loci et temporis

ceteroqui superfluam, quod descriptio 1,4.5[a] pro utraque oratione esset satis?

β. Prima oratio seu paraenesis thorae multo minus arcte iungitur secundae orationi, quam historia foederis : atqui historia foederis non erat pars thorae a Moyse conscriptae, quod statim demonstrabimus.

b. *Historia foederis,*

α. ubi mentionem fecit libri thorae, si sensu obvio exponatur, supponit eum librum scriptum in manibus oratoris fuisse. Quando 29, 20 (19) dicebat Moyses : « Et incubabit ei omnis maledictio, quae scripta est in libro hoc », scriptum prae manibus habebat librum. Item v. 21 (20) : « Separabit eum in malum secundum maledictiones foederis, quod scriptum est in libro hoc thorae »; et v. 27 (26) : « ut inducat super eam regionem omnem maledictionem, quae scripta est in libro hoc ». Cf. 30,10.

β. Thora erat *documentum foederis* in terra Moab restituendi. Quandocumque foedera solemniter sanciuntur, conditiones foederis documento inscribuntur, illud documentum iuramentis foederis supponitur. Id fiebat apud antiquos populos communiter, Babylonios imprimis et Phoenices. Id a Moyse factum est in primo foedere in monte Sinai sanciendo, cui ritui ipse credendus est in secundo foedere proxime adhaesisse. Ex. 24,4. 7; Hebr. 9,19 primum descripsit librum foederis prioris, dein foederis victimas immolavit, librum sanguine victimarum aspersit. Similiter, quando Deut. 29,9 (8) aiebat : « Custodite verba foederis huius », verba scripta habebat prae manibus; v. 19 (18) verba « audiebantur » e scripto praelecta.

Dices, ex 31,9 effici videri, Moysen librum nonnisi extrema tertia concione scripsisse : etenim *post* sermones 29,2 (1) — 31,8 dicitur « scripsit thoram ». Quod ibi potissimum narratur est libri *traditio*, fit autem incisiva mentio *scriptionis :* scripserat et tradidit, seu : scriptum tradidit. Formam ויכתב verti posse *scripserat,* grammatica hebraea doceris; h. l. ita verti debere, efficiunt quas modo explicabamus rationes duae : liber scriptus exsistebat 29,9. 20. 21. 27 (8. 19. 20. 26); 30,10, ergo non scribebatur tandem post verba 31,8; verba foederis Moyses scripta attulit in eam concionem, in qua foedus erat sanciendum.

γ. Moyses certe totum librum scripserat, antequam illum traderet sacerdotibus prope arcam reponendum, neque postea illum repetiit, ut aliquod adderet postcriptum. Si ergo tertia oratio est pars thorae, antequam thoram traderet sacerdotibus, scripserat Moyses 31,9-13, narraverat acta nondum facta. Atqui id non consuevere facere histo-

riarum narratores, neque id sine gravissimis rationibus affirmandum est ab auctore inspirato esse factum. Ob quam rationem etiam concedunt omnes Moysen non scripsisse extrema capitis 34, quod sc. non sit supponendus suam mortem et sepulturam narrasse ante eventum, neque potuerit narrare mortuus. Item non est supponendus Moyses ante traditum librum scriptis mandasse, quomodo quibusve sermonibus librum esset traditurus.

Tamen, quod historia fœderis nulla interiecta inscriptione iungatur secundae orationi, coniiciat aliquis, illam cum hac in unum coaluisse librum, et thorae partem haberi coeptam esse *antea*, quam inscriptiones 1,4 sq. et 4,44-49 orationibus praefigerentur.

Qui nobiscum pericopen 26,16-27,26 tribuat Iosue auctori, oportebit etiam ut concedat *aliquam historiae cum Verbis Iosue affinitatem*. 26,16-19 Iosue, concionis a se coactae propositum explicans, imitari videtur Moysen 29,10-15(9-14) suae concionis propositum explicantem. 27,26 Iosue, uti 29,16-21(15-20) Moyses, dehortatur ab idololatria secreta. Quae fere efficiunt Iosuen novissse historiam foederis, habuisse sacram et mosaicam. Tamen neque hinc certo efficitur, historiam Iosue aevo habitam esse thorae partem : non enim, quaecunque Moysi tribuerentur scripta, necessario ei uni libro erant adscribenda.

Verum aliquam nobis ea affinitas suggerit coniecturam. Adverte illos viros, qui thoram describebant vel describi curabant, fuisse tandem sui, non nostri aevi homines. Pii erant, prudentes erant, neque eorum pietati et prudentiae deerat divina providentia. Sed critici non erant, systematici non erant. Acumen criticum et systematicum non erat pars sapientiae Aegyptiorum, Babyloniorum, filiorum Theman et Agar ; neque erat pars sapientiae Hebraeorum. Profecto leges pentateuchi non recitantur ordine systematico (*Cornely* II. 1. 64). Habes lev. 19 congeriem multarum legum nullo certo ordine descriptarum, affinem omnino hac in re collectanei Samuelis. Quid in votis habebant homines illi, quando thorae apographa « plane et lucide » exarabant? non illud sane ut apographum criticum, editionem veluti criticam procurarent. Crediderim viros illos pios et prudentes in generatione sua illud apographum habituros fuisse ceteris excellentius, quod *plus* haberet verborum indubie mosaicorum. Licet igitur illud Moysis autographum, quod penes arcam asservabatur, solam haberet secundam orationem seu librum thorae stricte dictum, at veri simillimum est, in alia mox apographa praeter illam thoram relatas etiam esse duas illas orationes, quarum una thorae paraenesin, altera promulgatae thorae historiam traderet. Coniecturam confirmat stilus unus idemque primae et secundae orationis idemque historiae foederis; e quo facto infero, illa tria documenta mature consuevisse una describi, postea fortasse item una

retractari. Haec quoque apographa thorae vocabantur, et merito quidem, cum ipsam thoram, eius paraenesin et historiam haberent, Habebant plus thorae quam illud Moysis autographum, habebant quidquid de thora scripserat Moyses. Circumferebantur iam duo genera thorarum, sacra ambo. Quarum aliae, numero fortasse pauciores, solum Moysis autographum sacerdotibus creditum descriptum habebant, aliae orationem praeterea primam, aliae tertiam, aliae utramque. *Non est credenda thora crevisse uniformibus, ut ita dicam augmentis,* ut unum aliquod aliorum scriptorum mosaicorum aliquando omnibus pariter adscriberetur thorae apographis, essentque eiusdem aevi apographa etiam aequalia inter se. *Sed augmenta thorae incerta et varia :* exarabantur uno eodemque aevo apographa, quorum aliqua plura, aliqua pauciora documenta mosaica complecterentur. Irrepebat fortasse quandoque documentum aliquod dubie mosaicum, v. g. 4,41-43, simili ratione atque nascentis ecclesiae auctores aliqui scripta quaedam apocrypha pro sacris et divinis habuere. Ut genuinam nos tandem mosaicam scripturam acceperimus, id non critica antiquorum scribarum diligentia effectum est, sed Dei providentia, quae ab hominum pia imperitia ac postmodum ab impiorum regum furoribus servavit ea, quae humano generi profutura essent in aevum ad salutem et eruditionem (29,29 [28]). Ita rem actam esse coniicimus.

Quibus rursum illustrantur ea, quae modo dicebamus de titulis 1,4. 5[a] et 4,44-49 vel 4,45-49. Sc., qui solam secundam orationem describebant, ei praemittebant titulum, qui tempus et locum habitae a Moyse orationis indicaret; qui solam describebant primam orationem, suum item adscribebant titulum; alii post ipsos utramque orationem cum utroque titulo in unum referebant apographum.

c. Ut *librum bipartitum* partem fuisse affirmem eius thorae, quam 31,9 Moyses tradidit sacerdotibus, animum inducere haud valeo. Nulla rei video argumenta. Affirmandus esset Moyses scripsisse primum et librum bipartitum et tria documenta deuteronomica, et haec documenta ipse inseruisse libro bipartito. Id haud probabile apparet : Moyses calamo magis aequali suas orationes contexuisset narrationi libri bipartiti, abstinuisset hebeti sutura 1,4. 5[a] et hiatu cap. 31. Nomine thora 31,9 idem designatur liber, qui 4,44 thora inscribitur, et 29,1 verba foederis subscribitur. Quae thora rursum comparanda est ei, quam 27,8 Iosue lapidibus inscribere, et 17,18 rex describere iubetur. Quam non esse totum pentateuchum, suis locis demonstrabimus.

Igitur facta, quae p. 61 sq. statuebamus, sequentibus iam complemus assertis :

(6). *Deut. constat tribus documentis mosaicis, in narrationem libri bipartiti immissis.* Librum bipartitum habes Ex. 1,1-Deut. 1,3; 31, 14-34,12. Immissa est paraenesis thorae Deut. 1,6-4,40; thora Deut. 5-11; 28,1-29,1; historia foederis restituti Deut. 29,2-31,13.

(7). *Ea lex, quae nomen nacta est thora κατ' ἐξοχήν, est pentalogus Deut. 6,1-7,11.*

(8). *Haec thora est pars verborum foederis (29,1), quorum altera pars sunt benedictiones et maledictiones cap. 28.*

(9). *Liber thorae, quem Moyses tradidit sacerdotibus, praeter verba foederis habebat praeambulum cap. 5 et paraenesin 7,12-11,32.*

(10). *Quod vero huius libri antiquissima apographa attinet, potuere ea praeterea habere aut paraenesin (priorem) aut historiam foederis aut utramque, atque nihilominus thorae nomine appellari.*

Hanc Moysis thoram praelegit Iosue in priore, quam Galgalis habuit, renovatione foederis Ios. 8,34 sq. : « Legit omnia verba thorae benedictionem et maledictionem, omnia prout scripta erant in libro thorae; non fuit verbum ex omnibus, quae scripsit Moyses, quod non praelegerit Iosue coram universa concione Israel, mulieribus et parvulis et advenis, qui versabantur in medio eorum ». Quibus proxime imitatus est Iosue Moysen Deut. 29, 11 (10), qui item cum viris alloquebatur mulieres, parvulos, advenas, quando eadem thora usus instrumento foedus restituit in terra Moab. Praelegit autem Iosue verbotenus solam et totam thoram, ex ipso uti crediderim Moysis autographo. Cuius thorae partes enumerantur, primum *thora* sensu strictiore accepta, pentalogus cum praeambulo et paraenesi, dein *benedictio et maledictio*, i. e. 28,1-46. Ergo thora illis duabus partibus constabat, erat sola secunda oratio Moysis. Poteris tamen verba interpretari etiam ita : legit totam thoram, nequaquam omissis benedictionibus et maledictionibus. Ita hae exhibentur ut sint ea thorae pars, quae vehementissime audientium animos esset commotura : demonstratur rursum thora 4, 44, cuius prior pars est pentalogus (cum paraenesi), altera sunt benedictiones et maledictiones.

10. Thora a Iosue et Samuele aucta. — Uti patet, autographum thorae ab Hebraeis sacerrimum habebatur, non hominum manibus credebatur, non permittebatur scribarum arbitrio. Quamdiu perseveraverit ipsum Moysis autographum, an et quando apographum aliquod in eius locum fuerit sufficiendum, ignoramus. Neque gratuito supponendum, illud idem autographum omnes temporum vicissitudines, arcae exsilia, iniquorum odia evasisse incolume. Sed in re, de qua silet scriptura, satius est in neutram partem affirmare quidquam. Bis, et bis tantum ante Esdram, compertum habemus eam Moysis thoram maius aliquod accepisse incrementum. Iosue voluminibus, quibus Moysis thora descripta erat, inseruit suorum verborum volumen vel volumina; Samuel suum inseruit iudicium regni. Non cogimur adstruere, alterutrum horum virorum violentas veluti manus

intulisse Moysis autographo. Erat illud necessario pluribus pellibus aut papyris inscriptum; extrema paraenesis unum volumen claudebat, cap. 28 in capite sequentis voluminis ordiebatur; inter haec duo volumina novae inserebantur scripturae.

Iudicium regni, quod nihil esset nisi collectaneum aliquod legum, aptissimo loco inseruit Samuel, extremo sc. pentalogo paraenesi aucto, inscriptionem etiam 12,1 conformans initiis pericoparum 5,1; 6,1. Leges subnexuit legibus; simul effecit, ut et paraenesis thorae esset collectanei paraenesis, et benedictiones et maledictiones cap. 28 scirentur in collectanei etiam observatores et praevaricatores esse latae. Verba Iosue, quae magis affinia sunt maledictionum, cum his individue cohaerent : plura v. in commentario.

Samuel collectaneum inserens thorae illud intendebat, ut *aequalem collectaneo cum thora, ad tempus saltem, vindicaret auctoritatem*. Ad tempus, inquam; etenim, quod ab uno propheta inserebatur, non est cur non ab alio postmodum propheta annuente Deo posset revocari; atque indulgentiae a Samuele in statutis mosaicis concessae reapse brevi post plures revocabantur. Verum ad tempus suis legibus Samuel aequalem cum thora auctoritatem vindicabat, imo maiorem auctoritate earum legum mosaicarum, quae neque thora neque libri foederis sinaitici pars essent. Etenim collectaneum explicituri demonstrabimus, non omnes Moysis leges habitas esse aequalis inter se auctoritatis.

Inserens porro collectaneum thorae addidit Samuel inscriptionem, quae legum earum observationem inculcaret, nequaquam proderet quis eas inseruisset. Sc. novellam 12, 8-19 explicaturi ostendemus, Samuelem in collectaneo inserendo, leges suas nomine Moysis et in persona Moysis loquentem prolocutum esse, quo eis aequalem atque legibus ab ipso Moyse editis auctoritatem conciliaret. Vicissim acta Samuelis referebant, aliquod iudicium regni Samuelem thorae adscripsisse, hoc iudicium esse ipsum collectaneum reticebant. Collectanei praeterea leges aliquae ita erant concinnatae, ut e Moysis ore profectae esse viderentur. Erat ea occasio eius aevi viro alicui critices perito, ut scripta notula explanaret, collectaneum istud aliis characteribus, alio atramento scriptum esse quam thoram, alio stilo, habere quaedam quae a Moyse profecta esse non possent, desiderari in apographis Samuele antiquioribus, esse ipsum iudicium regni a Samuele conditum. Sed, eheu! carebat aevum istud viris criticae peritis, comparandis characteribus et stilis non vacabat. Ita brevi factum esse videtur, quod natura fieri debuit, *ut homines obliviscerentur collectaneum esse Samuelis, non esse Moysis*. Certe

in historiis posteriorum temporum leges collectanei affirmantur esse leges thorae, thora collectaneo aucta vocatur thora Moysis. Ita 4 Reg. 14,6 et 2 Par. 25,4, in actis Amasiae, lex collectanei Deut. 24, 16 de filiis non plectendis pro delictis patrum, affirmatur « scripta esse in libro thorae Moysis ». In actis Iosiae, lex de Phase Deut. 16,1 sqq. et ea contra pythones etc. 18,10 sq. referuntur 4 Reg. 23,21. 24 scriptae fuisse in eo libro, qui 2 Par. 34,14 vocatur « thora per manum Moysis ». 2 Esdr. 13,1 lex contra Ammonitas etc. praelegitur e volumine Moysis. Quod Deut. 20,5 sqq. habetur de dimittendis e castris, 1 Mach. 3,56 dicitur haberi in « thora ». Quae omnia *vere* dicebantur : habebantur ea in thora postsamuelica, aucta collectaneo, quae una ante exsilium penes arcam asservabatur, post exsilium in pentateucho haberetur. Produnt tamen eae expressiones, oblitos iam esse eorum temporum homines, aliqua in thora haberi, quae Moysis non essent; produnt illos homines omnes leges existimasse esse eiusdem originis et eiusdem auctoritatis. De qua re dicemus plura infra.

Coniiciebamus supra, oportuisse apud Hebraeos nasci thorae apographa plurimum diversa inter se, quorum aliqua solam secundam orationem seu librum thorae stricte dictum haberent, alia praeterea aut priorem orationem, aut foederis historiam, aut documentum utrumque. Coniicimus, eam apographorum diversitatem non parum auctam esse eo, quod autographo Moysis prope arcam asservato sua addiderint Iosue et Samuel. Gratuito supposueris, quicunque apographa haberent, illico eisdem adscripsisse et verba Iosue et iudicium Samuelis. Plura crediderim apographa his caruisse, vel hominum incuria, vel quod cuperent aliqui in suis thoris habere ea tantum, quae vere essent Moysis auctoris. Alii adscripserint sola verba Iosue, alii solum iudicium Samuelis, alii utrumque. Certe, quo aevo iudicum vel in ipsa re sacrificiorum unusquisque « faciebat id, quod placitum esset in oculis suis », non est facilius supponendum, in apographis thorae concinnandis certam regulam esse observatam. Non omnia fortasse haec documenta in omnium scribarum manibus erant; agebant scribae singuli illud, quod pietas, utilitas, angustiae temporis et documentorum suggerebant. Non erat illud criticarum editionum aevum. Unum videtur hominum mentibus alte insedisse, documentorum mosaicorum nucleum et thoram vere primigeniam esse secundam Moysis orationem, atrocissimas illas habentem minas. Nisi id omnes firmissime habuissent persuasum, non fuisset aevo proxime sequenti impiis regibus tam violenter contendendum, ut eam thoram e medio tollerent. Neque deficiebat interim

Dei providentia, quae quanto imperfectiora essent humana media praeservandi sacri textus, tanto magis praecavebat ipsa, ne communiter reciperentur ea, quae a thora essent plane aliena, efficiebatque, ut in tanta thorarum varietate nunquam deficerent Hebraeos ea, quae ad salutem sanctamque eruditionem essent necessaria. Quae Dei quoad documenta mosaica providentia explicite affirmatur Deut. 29,29 (28).

b. Historia thorae a Samuele ad destructam urbem.

11. Ex iis, quae hucusque de historia thorae disseruimus, sequentes fluunt conclusiones, quae complent ea facta, quae p. 61 sq. 76 recensebamus.

(11). *Leges mosaicae non erant absolute immutabiles.* Admittebant *augmenta*, cum Iosue et Samuel earum legum sacratissimam, thoram suis auxerint additamentis. Admittebant *mutationes*. Non mutabantur neque mutari poterant quinque illa thorae in pentalogo mandata; neque, quod postea demonstrabimus, mutabantur leges libri foederis prioris (Ex. 21-23, itemque Ex. 34) : duo foederum documenta, foederis inquam tam sinaitici quam moabitici, non mutabantur. Reliquarum legum plures a Samuele in collectaneo sunt mutatae.

(12) *Lex mosaica erat lex non mortua, sed viva;* non litera tantum, sed litera spiritu animata. Erat sc. lex credita *prophetis,* qui aevo iudicum pauciores, mox aevo regum plurimi fuere. Quorum officium princeps nequaquam erat futura praenuntiare, sed Moysis legislatoris opus continuare et perficere, foedus per Moysen datum conservare, explicare, et novum foedus, per Christum dandum praeparare. Cf. *Cornely* II 2. 271; *Prat S. I. :* Études 1898, IV, p. 40 sqq.

Sunt, qui in has disquisitiones nescio quid inferunt protestantismi, cum tacite supponant, unicum fidei fontem et regulam Hebraeis fuisse scripta mosaica : non magis solis *scriptis* mosaicis vivere potuit ecclesia hebraica, quam solis scriptis evangeliis ecclesia christiana vivere potuit. Solam literam habens post Esdram ecclesia iudaica obriguit. Habebant praeter scripturam Hebraei etiam traditionem, cuius interpretes potissimi erant prophetae. Non magis e solis scriptis mosaicis cognoscere poterant aevi regum Hebraei, essetne unico tantummodo loco sacrificandum, quam e solis evangeliis certior fieri potest christianus, teneaturne fratrum lavare pedes. Quare ratas habuit Samuel eas legum mosaicarum mutationes quasdam, quae ante ipsum usu invaluerant. Quare, licet collectaneum Samuelis

non sit postmodum e thora excisum neque, quod novimus, aliud iudicium regni scriptum in eius locum suffectum, tamen eae indulgentiae, quas ob praecedentis aevi vicissitudines concesserat collectaneum, aut omnes aut aliquae auctoribus prophetis fuere revocatae, Abrogabatur a prophetis facultas offerendi sacrificia Iahve aliis etiam locis, quam apud sanctuarium maximum; non tamen illico abrogabatur, cum ipse Salomo 2 Par. 1,6 approbante Iahve sacrificia obtulerit in colle Gabaon. Solemnitates annuae statutis a Moyse diebus celebrabantur, sacerdotum et levitarum officia et iura accurate circumscribebantur, etc. Sc. viva lex Israelis non erat mera litera, quae occidit, sed litera spiritu prophetico explicata et perfecta.

Accepit igitur thora maiora *augmenta* successiva duo. Quorum augmentorum adverte tempora. Non enim prophetarum cuivis obtigit sua Moysis voluminibus addere volumina, sed singulis ordientibus historiae Israelis gravioribus epochis id uni cuidam insigni viro concedebatur. Addidit thorae sua Iosue *incipiente* aevo iudicum, addidit alia Samuel *incipiente* aevo regum : conieceris fere, alia quaedam addita esse *incipiente* post destructum regnum novo aevo. Sed non sine solidis rationibus concedes, sacrosancto thorae apud arcam apographo aliqua addita esse *durante* regum aevo, aliqua, inquam, non minora uti Deut. 28,47-68, sed integrum librum bipartitum.

Vix credendi sunt David (cf. 3 Reg. 2,3; 1 Par. 22,13), Salomo, vel aliquis propheta horum regum aequalis illud documentum ita funditus mutaturi fuisse, quod Samuel recens vita functus tantaeque auctoritatis propheta veluti pro magna charta regni reposuerat coram Iahve. Post Salomonem discissum est regnum, secuta sunt tempora agitatissima, religionis neglectus plurimus. Non illis temporibus maiora augmenta sumpsit thora. Non quidquam certe Iosias thorae repertae addidit, sed ipsam legem a « patribus » (4 Reg. 22,13) neglectam sui foederis adhibuit instrumentum. Nulli eorum regum vel prophetarum similem circa thoram susceptum laborem attribuit scriptura, qualem attribuit Iosue et Samueli; imo nulli Iudaeorum traditio.

Pius rex *Josaphat* 2 Par. 17,7 sqq. circummisit, qui docerent populum « habentes librum thorae Jahve », eum sc. librum, qui post Moysen a Samuele prope arcam repositus fuerat, quique Iosiae item tempore eodem illo nomine appellabatur, a Moyse scriptum et a Samuele collectaneo auctum, instrumentum foederis a Moyse restituti et ab Asa renovati 15,12 (ubi perperam Vulg. addit « de more »). Rursum edocebatur populus conditiones foederis recens renovati, quo fidelius illud servaret. — Sed 4 Reg. 11, 12; 2 Par. 23, 11 non agitur de thora : *Ioas* non *induebatur* sane diademate et thora. עדות *testimonium*, non est liber thorae, sed Ex. 25,21 etc.

sunt tabulae mandatorum, quae in arca asservabantur, et Ex. 16, 34 est res illa sacrosancta, quae item asservabatur in antiquo tabernaculo praemosaico (cf. CEL p. 178), quamque nos comparantes Iud. 8, 27 suggerebamus (Das vormosaische Priesterthum in Israel, Freiburg i. B. 1899, p. 80) fuisse ipsum Urim et Thummim, quod postmodum pectorali inclusum gerebat pontifex aaronita. Quo certe commodius quam thora induebatur rex Ioas.

12. Reges thorae infensi. — Verum, en tibi mox turbarum initia. Lex de unico loco cultus intime connexa erat imperio domus David super universum Israelem : unum altare, thronus unus. Haud mirum, reges Samariae eam legem mox respuisse, atque prophetis Iahve apertum indixisse bellum. Illud potius mirandum, reges etiam Iuda hac in re trivisse vestigia regum Israel : nonne ipsi debuere nihil sanctius habere, quam ut in suis finibus unus Iahve in unico templo coleretur, eiusque prophetae debito honore haberentur? nonne ea futura erat certissima regni protectio? At erant idololatriae illecebrae, uxorum alienigenarum consortia, ratio politica. Atque ita tandem factum est, ut mox Hierosolymis etiam essent factiones duae, theocratica una, politica altera; illa prophetarum, haec pseudoprophetarum; illa unius Iahve fisa auxilio, haec gentium (Assyriorum, Aegyptiorum) ambiens foedera; illa cultus mosaici tenax, haec ad omnem superstitionem prona; illa librorum sacrorum studiosa, haec eorumdem immemor.

Post Roboam et Abiam, reges inconstantes, regnavit Asa; qui exstirpavit superstitiones matris suae Maacha instauravitque foedus, et Iosaphat, rex eximie pius. Secutus est Ioram, cuius uxor Athalia, et Ochozias, reges nequam. Post quos Athalia septennio religionem paene subvertit. Ioas, rex primum pius et foederis renovator, postea Zachariam prophetam occidit, filium Ioiadae pontificis. Amasias, primum pius, postea idololatriae reus fuit. Ozias plura bene egit, sed traditur idola non destruxisse. Ioatham rex bonus, sed pessimi filii Achaz pater. Hucusque reges etiam pii referuntur non abolevisse cultum Iahve in excelsis. Sc., cum a lege collectanei altaria privata tolerante, exstructo iam templo oporteret ad perfectiorem cultus rationem transiri, et in unico tantum altari sacrificia offerri, illi reges segnius egere, sive quod rei necessitatem non plane perspicerent, sive quod desides essent in hac re aliisque curis se absorberi paterentur. Ezechias eximie pius foederisque renovator, etiam ideo laudatur, quod excelsa abstulerit. Lex divina rursum religiose observari coepta est, abolitae superstitiones, Levitis de sustentatione liberaliter provisum; iidem adacti officiis in templo accurate exsequendis; templum sumptuose ornatum, festa solemniter celebrata, cultus ad normam

statutorum Davidis exactus, Isaias, Michaeas aliique prophetae honore habiti. Verum pessum iere haec omnia, ubi patri successit impius Manasses. Constitutum in ipso sanctuario idolum, arca a piis, uti videtur, Israelitis in locum tutum remota. Ubique per urbem et regionem idola, altaria, luci. Neque violenta solum haec rerum vicissitudo, sed imo cruenta : « Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os » (4 Reg. 26,16; cf. 24,4). Post breve Amon regnum successit Iosias, quo rege rursum refloruit religio, summa auctoritate fruebantur Ieremias aliique prophetae. Verum Iosiam secuti sunt reges imbecilli Ioachaz, Ioakim, Ioachin, Sedecias : rediere superstitiones et prophetarum persecutiones. Cf. *Movers* XIV. 103 sqq. *Habebantur igitur extremis regum temporibus reges pessimi plures, quorum male acta pauci aliqui reges eximii summo conatu studerent reparare.* Patet, fuisse in Ierusalem constantem aliquam *factionem*, perversam et potentem, quae sub optimis regibus reprimeretur ad tempus, succedente rege infirmiore caput attolleret rebusque potiretur. Porro, dum antiquiores prophetae (Elias etc.) potissimum regno Israel ad cultum Iahve revocando operam navabant, identidem tantum aliquis propheta vel vir Dei narretur reges Iuda adiisse, inde a rege Ozia habetur in regno Iuda *continua series insignium prophetarum*, eorum quorum libros habemus, et aliorum.

Erant impiis regibus exosi testes prophetae, exosa testimonia prophetarum oracula. Quare *prophetas* repudiabant, persequebantur, interficiebant. Querebatur iam in regno Israel Elias : « Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, prophetas tuas occiderunt gladio, derelictus sum ego solus et quaerunt animam meam, ut auferant eam » (3 Reg. 19,10. 14; cf. Rom. 11,3). Iezabel 3 Reg. 18,4. 40 occidit omnes prophetas Iahve praeter centum, qui salvati sunt; vicissim Elias e 450 prophetis Baal occidit 400. Iehu 4 Reg. 10,19. 25 interemit omnes prophetas Baal. Pseudoprophetae occasionem nacti interimebant prophetas Iahve. Similia horum fiebant in regno Iuda : « Recesserunt a te, et proiecerunt legem tuam post terga sua, et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos, ut reverterentur ad te » (2 Esdr. 9,26). Sane de prophetis etiam, imo potissimum intelligenda verba Hebr. 11,37 : « lapidati sunt, secti sunt etc. ». Iudaeorum traditio habet, Isaiam supplicio esse exanimatum. Sanguis a Manasse fusus imprimis fuit sanguis prophetarum. Hi erant veluti in prima acie eorum iustorum, quorum sanguinem Thren. 4,13 effundebant pseudoprophetae et sacerdotes nequam. Ezechias Michaeam subtraxerat furori populi; principes item Ieremiam servaverunt,

quando sacerdotes, prophetae et vulgus eum ad mortem raptabant; sed Urias propheta revera morte mulctatus est (Ier. 26). Invisi sc. testes erant prophetae, quorum os morte claudebatur, ne infausta ederet vaticinia.

In hoc perversorum hominum contra pios et imprimis contra prophetas agone, mox evasit *thora* veluti certaminis tessera. Non, quod non alia etiam scripta mosaica idololatriam reprobarent, idololatris divinas castigationes indicerent: sed thora semper credita fuerat scriptorum sacrorum sacerrimum, atque de ipso veluti latere arcae atrocissimas minas iactabat.

Non consuevere homines etiam nequam, dum ea quae sancta sunt impetunt, ingenue fateri esse sancta, sed rationes effingere, quibus et sibi et aliis persuadeant sancta non esse. Crediderim idipsum egisse illos thorae osores. Lex Israelis erat thora viva, litera prophetarum oraculis explicata, applicata, in quibusdam etiam mutata : illi literam mortuam impetebant. Nonne prophetae thorae patroni, ut unico loco cultus Iahve celebraretur, continuo exigebant? nonne thora altaria privata tolerabat? Contradicebat igitur haec thora ipsis suorum patronorum dogmatibus, repudianda communi consensu ut pseudothora. Praeterea plura circumferebantur thorae apographa, quorum alia plura, alia pauciora continerent scripta mosaica : quo tandem iure una illa thora, quae eadem « verba fœderis » subscribebatur, habebatur ceteris sanctior, sanctior etiam libro bipartito, sanctior libro foederis, sanctissimi foederis sinaitici instrumento? Haec horumque similia effutierint thorae osores illi. Quae nos tentantes suggerimus, quod coniiciamus illos homines, uti prophetis Iahve pseudo-prophetarum nomen, ita thorae Moysis nomen pseudo-thorae inussisse.

13. Thora tempore Iosiae. — Inquirunt critici, *quomodo circa Iosiae tempora thora et amitti potuerit et amissa reperiri.* Factum testatur textus, neque res est plane inaudita libros quandoque amitti et amissos reperiri. Difficilius res explicatur in libro sacro, quamdiu is ab omnibus veneratione habetur; facile in thora, cui factio praepotens adversabatur. Oderat ea factio thoram, oderat et interficiebat prophetas, thorae defensores. Verum, quid proderat prophetam ad silentium redegisse, si eius *liber* in omnium manibus esset, et edita pridem oracula constanter iteraret? Quid proderat *testem* eliminasse, si *testimonium* perseveraret? Necesse profecto erat, ut, qui in prophetas saevirent, in libros item prophetarum saevirent. Qua de re vix quidquam habet noster textus V. T., qui de sacrorum textuum vicissitudinibus pie silet. Tamen rei exemplum habes Ier. 36,23 sqq., quando Ioakim, filius Iosiae dissimillimus, combussit librum, quem

scripserat Baruch dictante Ieremia. Qui rex hac in re fortasse imitabatur exemplum Manasse, quem, nescio quo auctore, refert *Theodoret.* (Praefatio in Cant.; *M.* 81,29), « sacra volumina partim combussisse », et, quod censet *Chrys.* (cf. p. 11), aliorum item praeter Manassen exemplum. Quorum vestigia rursus trivit 1 Mach. 1,59 sq. Antiochus Epiphanes : « et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos; et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicunque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum ». Res ita est plana, ut eam factam esse probabiliter affirmaremus, etiamsi nobis textus Ier. 36,23 sqq. et 1 Mach. 1,59 sq. non suffragarentur : e demonstratis prophetarum persecutionibus et suppliciis legitime infertur, in libros etiam prophetarum et imprimis thoram esse saevitum. Simili ratione, atque sub Ioakim et Antiocho, alias etiam aevo regum in libros sanctos saevitum est, imprimis in thoram. Isti libri undique conquirebantur, destruebantur, comburebantur; pii interim homines, quae poterant apographa, celabant, praeservabant; celabant alii minus pii, qui librum servatum sibi aliquando aut laudi aut lucro futurum sperarent. Vides, quam facile eiusmodi liber et amitti potuerit et amissus reperiri. Quis ignorat, quam infeliciter saepenumero gubernia contra librum aliquem dimicaverint! Frustra ferus Herodes enititur parvulos illos interimere : non vagiunt, non matres requirunt, quieti latitant in thecis, in cellis, in angulis, in ipsis quandoque persecutorum arcibus; ubi consedit tempestas, alacres prosiliunt in lucem, tanto cariores, quanto rariores. De uno unius thorae apographo aliqua refert sacer textus, quod Iosiae regi occasio fuerit renovandi fœderis : fortasse aliorum item librorum sacrorum quandoque laetae celebrabantur resurrectiones.

Is regum furor fuerit ratio, cur scripta mosaica ad nos devenerint manca, in fragmenta discissa et e fragmentis resarta. Immerito hanc sacrorum librorum miseram conditionem attribueris solis Chaldaeis Hierosolymam vastantibus. Erant hi Iudaeorum regno infensi, non Iudaeorum sacris. Si vero ex ea strage, ut tradunt Iudaei 2 Mach. 2, salvari potuit arca, cur non item libri sancti, quorum partem certe in Babyloniam asportavere captivi, eorumque ib. studio sedulo incubuere? At extremis regum temporibus acriter saevitum est in quosdam libros sacros, thoram imprimis, quae modo perdita penitus habebatur, in frusta discerpta in angulis latitabat, modo reperiebatur, communi tripudio et veneratione salutabatur, ipsi foederi renovando supponebatur.

Idem regum furor occasio fuit eius augmenti, quod 28,47-68 male-

dictionibus accrevit. Erat tum thora liber non mortuus, sed vivus, non loquelae expers, sed loquens verbo et calamo prophetarum. Impetebant thoram conviciis adversarii, pseudo-thoram dictitabant, eius maledictiones inanes esse minas proclamabant; ipsa aliquando thora in sui defensionem alte sustulit vocem. Per *prophetam* aliquem capiti 28 adscripsit v. 47-68, minas dudum praenuntiatas v. 15-46 non suppressit neque attenuavit, sed corroboravit iis verbis, quae osores thorae vehementissime commoverent et horrore implerent. Propheta vero ille utebatur iure suo, erat enim propheta, vindex thorae. Fecit ipse, quod postmodum fecit Ieremias (Ier. 36,32), qui, cum Ioakim rex eius librum aliquem combussisset, eundem verbotenus librum rescripsit, additis sermonibus multo pluribus. Hoc prophetae additamentum habebat illud, quod postea Helcias reperit, thorae exemplar, quando ante Iosiam regem in aerarium templi (2 Par. 34,14) abdebatur. Propheta autem ille thorae suae accensebat tam pentalogum quam maledictiones (Deut. 28,58. 61).

Quomodo factum est, ut in *aerarium templi* abderetur liber? Reposuerat Moyses, uti canticum, ita etiam thoram ad latus arcae; ib. 1 Reg. 10,25 reposuit Samuel thoram collectaneo auctam. Illata igitur est thora etiam in templum Salomonis, licet 3 Reg. 8,4 non exprimatur, seu verius expressione « vasa sanctuarii » includatur. Arca vero 2 Par. 35,3 sub regibus apostatis e sanctuario remota fuerat, sane ne profanaretur; servabatur alicubi in templo, idem quippe textus suggerit sacerdotes illam ad manus habuisse, neque sine summa populi admiratione et commotione arca e templo efferri potuit. Non affirmatur arca eodem loco ubi thora esse abdita, licet illud probabile sit, cum in sanctuario haec una fuerint, sitque veri simile ea simul inde fuisse remota. Ceterum neque nos id pro certo affirmamus. Verum quinam tutior inter omnia templi cubicula locus, quam templi aerarium, quod certe continuo erat obseratum, nonnisi pontificis et aliquorum fidissimorum ministrorum accessui patebat? Erat is sane locus eximie tutus. Neque improbabiliter coniicit *Movers,* XII, 84 exemplar illud, quod repertum est, ipsum fuisse *sacrum exemplar*, quod ad latus arcae vel certe prope arcam antea asservabatur, puta tempore Ezechiae; licet, si hoc sacrum exemplar supponatur a Manasse flammis esse absumptum, adstruendum erit sacerdotes aliud aliquod exemplar in aerarium abdidisse. Non est sufficiens ratio affirmandi, exemplar ab Helcia repertum fuisse ipsum Moysis autographum; cf. p. 76.

Latebat interim in aerario liber, *ignotus* non erat. Sciebatur eiusmodi librum aliquando exstitisse, et in « patrum » manibus fuisse;

senes illum fortasse oculis viderant, auribus audierant; sciebatur libri argumentum, mandatum monolatriae et maledictiones; aliqua fortasse magis minusve fideliter memoria tenebantur, a patribus ad filios transmissa. Sciebatur, illum librum a Moyse ad latus arcae fuisse repositum, *testem* futurum contra populum praevaricatorem. In illo libro praesens adfuerat Moyses posterioribus Iudaeis legem inculcans, promissiones et minas obtendens. Saevierat Manasses in prophetas aequales suos eorumque prophetarum libros : certe nullas accepimus prophetias, quae ferantur pronuntiatae esse in diebus Manassae (cf. Is. 1,1; Ier. 1,2 etc.). Suppresserat testes et testimonia. Sed quid proderat suppressisse *testimonia secundaria,* integro perseverante *testimonio primario,* thora? Ergo hunc etiam testem suppressit Manasses. Verum teste e medio sublato, circuibat interempti testis spectrum. Supervixerat in omnium mentibus libri *memoria.* Cuius aliqui norint solum nomen et generale argumentum, alii longe plura et accuratiora. Norant imprimis, librum habuisse atroces minas, non in populum tantum totamque late regionem, sed in regem urbemque regni et sacrorum caput. Haec non alte proclamabant per compita, sed in angulis mussitabant, regem veriti. Erat ea non ipsa Moysis vox, sed vox repercussa, non authenticum testimonium, sed testimonii memoria, non testis, sed spectrum. Terrebat impios, piis augebat fiduciam. Verebantur illi, se exosum testem non penitus confecisse, subito illum e latebris erupturum in lucem, sanatis vulneribus resurrecturum vegetem, multiplicandum fecunda apographorum prole, editurum altas voces. Piis vicissim Israelitis memoria libri non erat spectrum, sed angelus. Poteratne ad silentium redigi testis divinus, tolli de medio verbum Iahve? Obtinebat eos suavis suspicio, librum illum non plane interiisse, alicubi in latebris opperiri tempus a Iahve praestitutum, proditurum aliquando, locuturum et omnia ad meliorem statum esse revocaturum.

En quomodo ille liber potuit esse *et vere deperditus, et simul minime ignotus.* Librum reperit Helcias, legit, non totum necessario ab initio, neque enim is (cf. p. 49) necessarius est sensus expressionis קרא בספר. Norat libri argumentum, aut certe ex analogia Ex. 23 et Lev. 26 coniiciebat maledictiones adscriptas esse *extremo* libro. Adest dein Saphan acturus de pecuniis; imaginare viri sensus, dum audit Helciam dicentem : Reperi librum quemdam thorae — si eum improbabilem sensum lubeat affigere verbis. Imaginare sensus regis nuntiante Saphan : Librum aliquem sacrum dedit mihi Helcias. Verba vertimus ita, uti criticis quibusdam placuit : verba indeter-

minata, at simul plena terroris. Quibus auditis debuit regi unus ille liber obversari animo, qui in « patrum » manibus fuerat. Eratne aerarium templi commune receptaculum quorumlibet scriptorum? Erantne antiquarii Helcias et Iosias, ut de quolibet reperto manuscripto illico Helcias certiorem faceret regem? Accedebat, ut adversariorum retorqueam argumentum, Helciam non primam pronuntiasse vocem מצאתי, quae primo loco pronuntianda erat, si de libro ceteroqui ignoto reperto agebatur, sed vocem ספר, quae prima utique elapsura erat ex ore loquentis, si omnium mentes obsidebat determinati cuiusdam libri deperditi memoria. Praelegit Saphan librum regi, non necessario illico totum, non ab initio. Merito suggerit *Movers*, XIV. 114, Saphanum, dum praelegeret, regis attentionem ad minas illas direxisse : quod commodissime praestabat, minas praelegendo ante cetera omnia. Quibus auditis iam non erat dubio locus, essetne liber authenticus, mosaicus, thora. Coram adstabat redivivus antiquus foederis testis. Postea leges legere, non necessario omnes : unde increvit terror, cum perspicerent, quantopere iam illis minis et ipsi et universus populus obstricti tenerentur.

Nonne haec planior narrationis 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34 explicatio, magisque conformis indoli Iudaeorum et thorae, quam quae gratuito supponunt alii, librum exstitisse antea prorsus ignotum, nobis defendendum esse (*Cornill* p. 29), illum totis 700 annis, qui a Moyse ad Iosiam effluxerint, in latebris fuisse, aut librum reapse fuisse recens concinnatum et supposititium?

14. Libri bipartiti fata. — Sed iam ad librum bipartitum redeat oportet oratio. Hic liber regum aevo exsistebat. Eius quippe textus aliquando est decurtatus (CEL p. 3 sqq.; CN p. 213 sqq.), excisis actis sacerdotum praemosaicorum, quae sequentium turbarum radix fuisse videntur, excisa item historia apostasiae cadesianae, quae 37 fere annos complectebatur. Haec gratuito affirmaverit aliquis excisa esse a Iudaeis Babylone degentibus vel ab Esdra, qui toti incumbebant sacris libris colligendis et, ubi opus esset, restituendis, non vero decurtandis. Neque excisa sunt post Esdram, cum habeatur eadem in Sam. Ergo inquirendum est, sintne excisa *aevo regum*.

Quod aevum unicum est in historia Hebraeorum, de quo illud probatum habemus, Hebraeos cum sacris textibus egisse irreverenter. Habemus alterum scriptum mosaicum, thoram, quod eius aevi reges omni conatu nisi sunt non decurtare, sed omnino de medio tollere. Habemus historiam foederis, ubi adscripta notula textus restitutor testatus est, quam gravem difficultatem expertus sit restituendi textus. Ergo probabile apparet, eodem aevo excisas esse

illas libri bipartiti partes. Quam opinionem confirmat Amos propheta (5,25 sq.), Oziae regis aequalis; qui apostasiae cadesianae historiam accuratius novit, ergo probabilius in suo libro bipartito legebat. Cf. CN p. 169 sq. Atqui·tempus ab Ozia ad Sedeciam praecise illud est, quo insigniores in regno Iuda prophetae esse coeperunt, et quo mox exarsit illa duarum factionum contentio, quarum altera prophetas et thoram exsecrabatur. Si aevo regum libri bipartiti decurtationem factam esse negas, cui antea aevo factam adscribes? Num aevo Samuelis, iudicum? Quibus rationibus coniecturam fulcies?

Redit porro hic, quod CN p. 219 sq. statuebamus. Liber, antequam decurtabatur, exsistebat; imo diu ante exstiterit necesse est. Id patet per se. Neque Amos, in acerrima aliqua totius populi et imprimis sacerdotum increpatione, citaturus erat factum aliquod tam grave, non ex historiis populi sacris et authenticis, sed e scripto nescio quo vel traditione minus certa depromptum. Non consuevere viri prudentes gravissimam aliquam accusationem ferre in totam nationem eiusque nominatim principes, quam non valeant documentis demonstrare omni exceptione maioribus. Solent prophetae ea facta antiquarum historiarum appellare, quae in libris sacris antiquioribus descripta habentur.

Inquirebamus locis citatis in *causas, ob quas decurtata fuerit narratio libri bipartiti*. Videtur autem nobis nostra de thora disputatio potissimam eius facti pandere rationem, qua rationes ante a nobis propositae illustrantur et complentur. Non enim iam soli studio praetermittendorum eorum, quae in actis patrum posteris pudorem moverent, mutilatum attribuimus textum sacrum, sed impiorum etiam odio, qui secundi foederis in Moabitide pacti memoriam obscurare thoramque, eius foederis documentum, eliminare haberent in votis. Sc. *sancita fuere a Moyse foedera duo*, non unum : « foedus in terra Moab, praeter illud foedus, quod cum eis pepigit in Horeb », Deut. 29,1 (28,69). Fuit vero illud foedus moabiticum foederis sinaitici non renovatio, sed *restitutio*, fuit verum *secundum foedus*. Habetur renovatio foederis alicuius, quando, conditionibus foederis utrimque manentibus iisdem, foederis mutua obligatio iterata conditionum acceptatione confirmatur. Habetur novum foedus, quando gravis aliqua conditionum mutatio intercedit.

Iamvero in foedere moabitico obtinuit gravis mutatio conditionum foederis sinaitici. Fuerat hoc *foedus tantum*, fuit illud *foedus et maledictum* (29,12. 14 [11. 13]). In hoc pactus est Israel decalogi observationem, pactus est Iahve observati decalogi praemium (Ex. 23,

20-33); in illo pactus est Israel pentalogi observationem, qui omnino includit decalogum, imo illum in praeambulo recitat, et Iahve pactus est non praemia tantum observaturis, sed atrocissimas poenas neglecturis pentalogum. Quodsi deinceps Israel a cultu Iahve deficeret, debebantur ei iam illae poenae *vi foederis*. Dices Israelem, etiam quando sub primo foedere fuerat constitutus, certo novisse Iahven apostasiae severas poenas esse sumpturum, quod id exigeret infinita eius iustitia. Omnino : at, ubi illae tam atroces poenae factae sunt *foederis conditio*, norat iam Israel sibi imminere poenas omnino determinatas, plures numero, certiores et graviores, nulla relicta spe earum evadendarum. Praeterea non solemus poenas pacisci, quando foedus inimus cum eo cuius fidem et generositatem perspectam habemus. In secundo igitur foedere longe iniquiore loco constituebatur populus, quam in foedere priore. Hoc ingressus fuerat Ex. 4,22 ut filius Iahve primogenitus et dilectus; illud ingrediebatur etiam ut filius primogenitus, at simul ut filius discolus dubiaeque fidei. Erat foedus secundum humilius priore. Quare coniicio *Hebraeos posteriores iniquissime tulisse hoc alterum foedus et, quod illud censerent sibi esse perquam probrosum, eius memoriam pro viribus obliterasse.*

Videtur mihi illud fuisse exosum ob aliam etiam rationem, eamque graviorem. Qui Cadesae apostasia et idololatria deliquerant (Am. 5,25 sq.), iudicandi erant secundum legem Ex. 22,20 : « Qui immolat diis, occidetur ». Erat tum haec unica lex in illud scelus lata. Quae eadem poena infligenda erat etiam iudicum aevo (Deut. 13,12 [13] sqq.), ubi tota aliqua *urbs* in idololatriam incidisset. Mortem corporalem consequebatur, uti patet, mors civilis. Quodsi idololatra hebraeus fuga se ex Hebraeorum finibus proriperet, mortem utique evadebat corporalem, manebat vero *civiliter mortuus*, a gente electa penitus praecisus, omnibus Israelitarum iuribus destitutus, semen Abrahae carne tantum, non spiritu. Ubi plures idololatria deliquissent, plures erant morte tam corporali quam civili plectendi. Sic, qui in superstitionem vituli aurei conspiraverant, Ex. 32 trucidati sunt omnes; qui Num. 25 initiati fuerant Beelphegor, lue divinitus immissa e vivis sublati sunt. Ea vigebat lex tempore apostasiae cadesianae, cuius rei exstitere non singuli quidam tantum, non integrae aliquae urbes, sed totae quaedam tribus, maior, uti videtur, populi pars. Non potuit tanta hominum multitudo morti addici, quod promissiones quaedam tribubus essent factae, et tribus oporteret permanere : quare neque Iahve illos immissa plaga interemit omnes, neque Moyses tale quidquam efficere attentavit. Tamen secundum eam, quae tum vige-

bat, legem hi omnes, qui a Iahve et Moyse defecerant, erant *civiliter mortui*. Carne erant filii Abrahae, non spiritu; non habebant partem iurium neque promissionum Israelis, in communionem harum rerum, si per Iahven aliquando liceret, recipiendi fere proselytarum ritu, non ob originem ex Abraham derivatam, sed ob liberalem Iahvae indulgentiam.

Non poterat tamen maior populi pars foedere permanenter excludi; oportebat conservari tribus, quibus singulis benedixerat Iacob patriarcha. Iam antea locutus erat Iahve ad Moysen Ex. 32,10 post vituli aurei apostasiam : « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam ». Item exorta post reditum exploratorum rebellione Num. 14,12 : « Feriam igitur eos pestilentia atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorem quam haec est ». Ubi monebamus, non potuisse Iahven has minas plene et ad literam effectui mandare, quod promissiones quaedam singulis tribubus essent datae, ideoque debuerint tribus permanere omnes. Quare etiam utraque vice Moyses non est passus suam obtinendae pro populo veniae fiduciam labefactari, sed veniam flagitare perrexit et obtinuit. Verum longe iniquior earum tribuum conditio, quae Cadesae in idololatriam prolapsae erant : foedere ipsae excesserant, se ipsas veluti excommunicaverant. Nonne id ipsae actu professae sunt, quando tot annis (Ios. 5,2 sqq.) circumcisionem, signum foederis abrahamici, intermiserunt? Neque tamen post eam apostasiam poterat eis Iahve perpetuo veniam denegare, quia tribus singulas oportebat promissis sibi in terra sancta benedictionibus frui. At plurium annorum poenitentiam exegit; non reis ipsis, sed eorum dumtaxat filiis veniam indulsit. Tandem celebrata est a Moyse in terra Moab foederis non mera renovatio, sed *restitutio*, « alterum foedus praeter illud, quod pepigit in Horeb ». Alia tum erat rerum conditio, quam quae ad radices montis Sinai fuerat. Ibi omnes omnino foedus inibant. In terra Moab erant Moyses et, qui ei fideliter adhaeserant : hi foedere sinaitico minime exciderant. Apostatae igitur poenitentes his rursum iungebantur. Quae fortasse aliqua fuit ratio, cur restituti foederis verba non proferantur ut verba Iahve, sed ut verba Moysis : recipiebantur in ecclesiam Iahvae, in monte Sinai ante constitutam, a Moyse eius ecclesiae capite. Verum perpende inflictae poenae gravitatem, ut, *qui origine essent filii Abrahae, titulo non iam originis, sed gratuitae Iahve indulgentiae, suo in gente electa statui restituerentur*. Recole, quae C N p. 215 dicebamus de posteriorum Iudaeorum immoderata carnalis ex Abraham originis aestimatione : nonne debuit ea plurimum augeri aevo regum, quando

vere tandem ac plene facti essent populus, perfectiorem adepti essent rei publicae formam, regibus gloriarentur Davide et Salomone? Perspicitur profecto, cur aevi regum homines in restituti foederis historiam saevierint, eam e suis historiis exciderint.

Fuit igitur restitutio illa foederis Moysi concessa simul favor et poena. Simul illa providebat futuris, si quae acciderent, totius populi apostasiis. Editae fuerant minae vel antea. Lev. 26; nunc eaedem minae factae sunt pars instrumenti foederis. solemniter profitebatur Iahve ipsum se eas apostasias fore ulturum. non populum exterminando. sed diris plagis percutiendo. Quo novo statuto opportune complebatur lex Ex. 22, 20. Plagae illae futurae erant loco mortis corporalis et civilis : habebatur in hoc necessaria quaedam relaxatio legis Ex. 22. 20.

Longius etiam tum Iahve progressus est. Non erat quidem in ipso foederis instrumento locus proponendae conditionis, qua foederis futuri praevaricatores in gratiam essent recipiendi. Id praestitit Iahve altero documento. quod item ad latus arcae Moyses reposuit in testimonium, cantico (quocum cf. Deut. 4.25-31; 30,1-10), ubi inculcat Moyses solam requiri poenitentiam, qua post apostasiam in plenam Jahvae gratiam redeant Hebraei. Populus idololatriae peccato non excidebat foedere, iuribus et promissionibus suis : non erat deinceps opus *restitutione* foederis. sed sola poenitentia. Reapse post Moysen non est celebrata, novis suppositis conditionibus, alia aliqua foederis restitutio, sed *renovationes* tantum : post populi apostasias a Samuele, Ezechia, Iosia, Esdra; nulla intercedente apostasia bis a Iosue.

Erat ea rursum prioris legis mitigatio haud exigua. Quae aliqua fuerit ratio, cur foederi moabitico additae sint minae tam atroces. Celanda veluti erat indulgentia futuris populi apostasiis concessa; augendus erat poenarum aliquando infligendarum terror, ne veniae facilius obtinendae spes augeret audaciam. Sed ea mitigatio penitus fugiebat mentes eorum, qui aevo regum restitutionem foederis in terra Moab factam perhorrescebant. Non intelligebant mirabilem illam Iahve circa Israelem oeconomiam, qua apostasiae quidem severissimae indicebantur et exigebantur poenae, at poenitentibus semper patebat salutis aditus. Caeco illi furore ferebantur in secundum illud foedus, suae gentis, ut ipsi existimabant, ineffabile opprobrium. Habentes oculos non videbant, habentes aures non audiebant.

Ergo in locum foederis sinaitici successit alterum, quod nihil revocabat obligationum priore foedere Israeli impositarum, nihil benedictionum illi antehac promissarum, sed additam habebat novam et erubescendam conditionem, admissae apostasiae perpetuum futurum monumentum, minas atrocissimas Israeli indictas, si quando in apostasiam relaberetur. Eas minas non solum uti Lev. 26 fuisse in Israelem editas, sed iam factas esse partem et conditionem novi foederis, explicite affirmatur verbis Deut. 29,1 (28,69), confirmatur testimonio Ios. 8,34 et immensa totius populi commotione, quando Iosia rege eae maledictiones in apertum diem prodiere, postquam plane deperditae et exstinctae fuerant reputatae. Tamen negari non potest, iustam huius secundi foederis narrationem in sacro textu esse

obscuratam. In historia solemnitatis restituti foederis, maior pars lacunis videtur esse absorpta. *Desideratur vero omnino eius rei narratio in libro bipartito, qui de secundo foedere silet.* Foederis mentionem 31,16. 20, si solus seorsim liber bipartitus spectetur, referet aliquis ad primum foedus. Thora, cuius meminit Moyses 33,4 in benedictionibus, utique designat secundam orationem vel pentalogum solum, sed e solo libro bipartito nemo eruet, ea voce non exprimi leges a Iahve latas universas, sed unum aliquod documentum secundi foederis instrumentum. Et tamen debuit liber bipartitus habere huius secundi foederis iustam et accuratam narrationem, qualem habet prioris foederis, qualem habebat aliquando peccati et apostasiae cadesianae. Erat ea necessaria pars actorum Moysis ut edoceremur, quibus conditionibus post eam apostasiam populus in gratiam Iahve redierit, et quo loco Moyses, dum vita cederet, Hebraeorum res reliquerit. Neque sufficiebat ea narratio, quam nunc truncatam habet historia foederis. Quae historia, duabus orationibus Moysis intimius iuncta, cum his a libro bipartito primitus erat aliena, atque in eundem aliquando est immissa (p. 62 sq.). Neque obiicias, non fuisse eosdem eventus narrandos bis : plura enim in orationibus fuse narrat Moyses, quae eadem in libro bipartito narrabantur, v. g. magnam theophaniam, superstitionem vituli aurei.

Ubi liceat nobis proferre coniecturam, *quo fere libri bipartiti loco ea secundi foederis narratio primitus legeretur.* Illud quippe inter alia nobis haec nostra thorae historia videtur efficere, ut lucem affundat pluribus quaestionibus obscurioribus. Admirationem facit, Num. 27,12-14 iuberi a Deo Moysen montem Abarim conscendere moriturum, mandati vero impletionem illico *differri*, ut aliqua Moyses negotia ante expediat, Iosuen instituat ducem, indulgentiam revocet concessam antea quoad mincham sacrificiis addendam, legem condat de irritatione votorum, Madianitas plectat, regionis divisioni prospiciat. Cur non *primum* Deus haec Moysen facere iussit, *postea* iussit montem conscendere? Si illud mandatum Deus dedit *sponte,* quin ad illud dandum induceretur quibusdam, quae ante Moyses dixisset, videatur Deus mandatum dedisse *praepropere*. Aliter omnino res habet, si mandatum illud dedit tamquam *responsum* ad aliquod Moysis *petitum;* merito mandatum continuo subnectebatur petito, etiamsi mandati exsecutio ob sapientes rationes aliquamdiu esset postponenda. Ad quae CN p. 327 respondebamus : « Moyses, ut sibi dies nefastus (mortis) differatur, efficere studet; monet, superesse negotium ante mortem procurandum, successorem designandum. Cui assentitur Deus mandato Num. 27,18 sqq. atque re illud *statim*

revocat. Tandem Deus Deut. 32,48 mandatum conscendendi montis iterat Moysesque illi obsequitur. Si ita res habuerit, quaeres, cur ea h. l. non enarretur distinctius. Id, quod narrator h. l. potissimum intendebat, non erat Moysis supplicatio a Deo reiecta, sed principatus in Iosuen translatus. Praeterea recolas, quaeso, quae inde ab Exodo non semel observabamus : supprimuntur sc. narranda aliqua, quae ad aedificationem lectoris hebraei haud censerentur esse factura ». Quae nostra illa verba illustrantur iis, quae nunc de historia thorae statuimus. Deut. 3,23 sqq. distinctius quaedam narrantur, quae mandatum conscendendi montis immediate antecessere, sc. Moysen *petiisse,* ut sibi Iordanem traiicere liceret, petita iratum *recusasse* Iahven. Ergo illud mandatum Num. 27,12-14 reapse erat *responsum* ad aliquod Moysis petitum.

Petieratne illud *unicum* Moyses? Deut. 3 totam referri Moysis petitionem, gratuito supposueris. Attingit ibi orator facta eatenus, quatenus id exigit propositum orationis : meminerat v. 21 Iosue futuri Hebraeorum ducis, v. 23-27 enarrat, qua occasione Iosue constitutus sit dux, sc. sibi petenti, ut permitteretur populum trans Iordanem ducere, renuit Deus petita concedere, ergo necesse fuit alium ducem constitui. Num ergo ea occasione Moyses praeter repulsam tulit nihil? Num unicum favorem rogavit, et sibi quidem, non populo? Alias offendebamus Moysen flagitantem animo magno, populo potissimum, non sibi. Ex. 32-34 plenam populi gratiam precibus a Deo veluti extorsit; Num. 14 rursum veniam populo impetravit; rebellibus scelus morte luendum fuit, uti prioribus illis rebellibus Ex. 32 : credo, item Num. 27 Moysen flagitasse et impetrasse gratiam pro populo. Quanam gratia tum populo opus erat? Opus erat *restitutione foederis,* quo plurimi Cadesae exciderant. Hanc rogavit, hanc *obtinuit;* revocationem autem sententiae mortis in se latae non obtinuit, uti neque revocata est sententia Num. 14 in populum, sententia Num. 20 in Aaronem lata.

Coniecerim igitur, divinum restituendi foederis mandatum primitus descriptum fuisse ante Num. 27,12; ipsam foederis restitutionem narratam esse extremo Num. 36 : etenim, quando ea restitutio celebrabatur, iam erat (Deut. 3) transiordanica attributa duabus tribubus et dimidiae. Verum foedus illud restitutum erat foedus cum maledicto, Hebraeis apostasiam continuo in memoriam revocabat, magnam populi partem declarabat non iure nativo, sed liberali Iahve indulgentia semini electo accenseri. Id Hebraeis posterioribus durum, exosum. Quare totam restituti foederis historiam e libro bipartito expunxerunt.

Censemus igitur, sicut acta cadesiana fuere e libro bipartito excisa, ita etiam indidem esse excisam narrationem restituti foederis. Utriusque imminutionis textus una est ratio.

Quae de librorum sacrorum fatis aevo regum comperimus, plurimam lucem afferunt ei sacrorum librorum stragi, quam Ps. Esdram potissimum secuti admisere Patres p. 9 sq. recensiti, quamque Chrys., Theodoret. merito impiis Iudaeorum regibus effectam attribuere. Quibus addas *Rup.* (De victoria Verbi Dei VII. 32; *M.* 169,1380): « Legem ipse » (Esdras) « renovavit, scripturas sanctas, quae propriae voces sunt Verbi Dei, dispersas vixque babylonico igne superstites ipse congregavit ac reformavit ». Igitur factis p. 61.76. 79 a nobis enumeratis adscribimus iam facta sequentia :

(13) *pentateuchus non, qualis nunc est, e Moysis calamo fluxit, sed e pluribus scriptis mosaicis coaluit;*

(14) *haec scripta non integra in manus eorum pervenerunt, qui pentateuchum congesserunt, sed plus minus defigurata, discerpta, resarta.*

(15) *Pentateuchi textus noster est textus plurimo et arduo negotio restitutus, estque ut textus restitutus a nobis explicandus.*

Qua in re consentientem nobis habemus *Hier.*, qui contra Helvidium (n. 7; *M.* 23,190) ait : « Sive Moysen dicere volueris auctorem pentateuchi, sive Esdram eiusdem instauratorem operis, non recuso ». Nota, nullam esse apud Hier. auctoritatem 4 Esdr., non Ps. Esdrae h. l. recitat fabulam; habet tamen vir in Hebraeorum traditionibus versatissimus ob alias rationes persuasum, pentateuchum non esse merum apographum scripti mosaici, sed eas hoc scriptum aevo esdrino passum esse mutationes, ut sibi non censeat esse obsistendum, si quis Esdram potius quam Moysen pentateuchi nostri affirmet esse auctorem. Superest porro, ut in earum mutationum naturam inquiramus et ambitum. Externa hucusque textus vulnera contemplati sumus, paginas avulsas, lacunas. Videndum superest, ipsene, quatenus ad nos perlatus est textus, integer sit atque sanus; videndum, qua ratione varia scripta mosaica in unum coaluerint pentateuchum; videndum, quos ob fines Deus eam sacrorum librorum stragem admiserit; videndum, utrum aevo esdrino soli characteres antiqui mutati sint in quadratos, an etiam stili aliqua mutatio intercesserit. Ubi belle *Rup.* (De victoria Verbi Dei III. 24; *M.* 169,1288 sq.) : « qui voluit primum tabulas frangi, voluit etiam per Esdram literas mutari, ut omnia, quae tunc instituit Deus nondum homo factus, pertransirent ». Adstruit igitur Rup. aliquam a Moyse ad Christum textus V. T. deteriorationem, ut *omnia* quodammodo *pertransierint* et mutata sint, apparente tandem

Verbo Dei incarnato. Cuius mutationis unum effert exemplum, literas quadratas. Videndum, utrum hanc unicam textus sacer passus sit mutationem, an alias fortasse, ut ob sapientissimas divinae providentiae rationes, dum immineret incarnationis tempus, fortasse textus legis evaserit, non insufficiens quidem, sed minus criticus minusque integer, quam ante fuisset. Haec omnia, inquam, accurate discutienda.

c. Historia thorae aevo esdrino.

15. PENTATEUCHUS. — Thorae historiam produximus usque ad extrema regum tempora, quibus nefarii homines et thoram perdere studebant et librum bipartitum mutilaverunt. Interim homines pii et religiosi sacros libros omni studio restituere conabantur. Colligebant fragmenta, uti redactor ille 29,29 (28), circumspiciebant ea, quibus evidentes lacunas complerent. Eiusmodi amplam lacunam habebat liber bipartitus, in quo desiderabatur restituti foederis historia. Igitur ipsi tria documenta mosaica, duas sc. Moysis orationes et historiam restituti foederis deuteronomicam, quae essent de eadem illa restitutione, immisere in extremum librum bipartitum, hunc addita thora et Genesi effecere *pentateuchum*. Mox nomen thora, quod solius secundae orationis primitus fuerat proprium, evasit totius pentateuchi appellatio.

Quandonam tria documenta mosaica cum libro bipartito in unum coaluere pentateuchum? *Id non factum esse post Esdram* sequentes efficiunt rationes :

a. 2 Esdr. 8-10 praelegit Esdras populo totam aliquam thoram, postea nomine populi seniores scripto protestati sunt, se eam thoram habituros esse pro regula seu canone vitae; reapse ea solemnitate vere « canonizavit » Esdras thoram illam. Atqui ea thora praeter thoram Moysis, a qua nomen thora nacta est, habebat collectaneum et librum bipartitum. Ergo complectebatur omnes libros Ex.-Deut.

α. Inerat 2 Esdr. 13,1 in illa thora lex de Ammonitis et Moabitis ab ecclesia excludendis, quae legitur in solo collectaneo legum Deut. 23,1-8.

β. 2 Esdr. 10,31 inculcatur sabbatum, cuius in toto Deut. non habetur mentio, et annus sabbaticus, de quo leges habentur tam Lev. 25 quam Deut. 15.

γ. 2 Esdr. 10,33 sq. recensentur panes propositionis, sacrificium quotidianum, sacrificia sabbatorum et festorum, quorum nulla mentio in collectaneo legum, iterata mentio in Ex., Lev., Num.

δ. 2 Esdr. 10,35 sqq. praecipiuntur tradi sacerdotibus primogenita et primitiae, levitis decimae, qui decimarum decimas solvere iuben-

tur sacerdotibus, omnino sicuti id Num. 18 etc. definitur; et ignorantur indulgentiae hac in re concessae in collectaneo legum Deut. 12,11. 17 sq.; 14,22-29; 15,19-23.

b. Superstite Esdra, quod mox demonstrabimus, thora ad Samaritanos pervenit. Sed thora Sam. est verus pentateuchus. Ergo etiam thora Esdrae pentateuchus erat. Quod argumentum illud evincit, quod praecedens argumentum non efficit, in thora Esdrae fuisse etiam Genesin.

Dices : liber ab Helcia repertus fuit sola Moysis thora collectaneo aucta, non vero liber bipartitus; thorae nomine veniebat tempore Esdrae totus pentateuchus, i. e. thora Moysis iuncta non solum primae orationi et historiae foederis restituti, sed ipsi etiam libro bipartito; sed tempus ab Helcia ad destructam urbem fuit perbreve idemque agitatissimum; difficilius credetur tali tempore aliquis laborem suscepisse thorae cum libro bipartito in unum librum compingendae; ergo ille labor effectus est post destructam urbem, sive a Iudaeis Babylone degentibus sive ab ipso Esdra. Cui tamen argumento non plane assentimur. Ignorat quippe illud, probabiliter adstrui exstitisse (p. 74 sq. 78) ante exsilium apographa thorae diversae omnino molis, quorum alia solam thoram stricte dictam haberent, alia primam praeterea orationem aut etiam historiam restituti foederis. Cur non vel ante exsilium aliqui in illud devenerint consilium mutilatum librum bipartitum, quam optime possent, complendi insertis prope eius finem duabus orationibus mosaicis cum illa historia? Imo, cur non aliqui hoc opus ita completum magis etiam compleverint praefixa Genesi? De cuius ceteroqui historia cum nihil nobis prodat textus Deut., neque censemus in hoc commentario Deut. plura nobis esse affirmanda. Dices, quando tria documenta mosaica immittebantur libro bipartito, fuisse illa iam post persecutionem restituta, habuisse notam restitutoris Deut. 29,29 (28), additamentum prophetae 28,47-68, lacunam post 29,21 (20); similiter fuisse tum item iam decurtatum librum bipartitum, cum ad eius in re secundi foederis lacunam explendam adstruamus illa documenta in librum bipartitum esse immissa. Verum adverte, nos minime adstruere totam illam librorum mosaicorum stragem effectam esse unica persecutione regis Manasse, licet hanc ceteris iudicemus exstitisse atrociorem. Fuere plures deinceps et prophetarum et librorum persecutiones, et varia omnino *diversorum apographorum* (fata ll. cc.); fuerint item vel ante Manassen variorum restitutionis tentamina. Neque enim pii homines, ut restituendis scripturis admoverent manum, distulere quoad post iteratas

persecutiones earum nonnisi incerta veluti frusta circumvolitarent; sed pari fere gressu coniecerim processisse et destructiones et restitutiones. Neque restitutionis tentamina omnia censeo facta esse in urbe, ubi acerrima persecutio. Non consuevere violentae ac diuturnae persecutiones ubique locorum aequabiliter grassari. Saeviunt potissimum in urbe et sub principum oculis; pagani de libris non curant; sunt magistratus pie caeci. Ne putes, sacros libros paucorum virorum labore (R, R^{je}, R^{d}, R^{jed}) semel impenso evasisse tales, quales nunc sunt : est ibi plurimorum labor per diversa tempora distributus. Neque nostrum Deut. supponas directe derivari ab apographo ab Helcia reperto; quod nullo certo argumento demonstrabis. Quo magis haec acta esse supposueris non semel, non a paucis, non uno uniformi consilio, non critica mente, tanto propior ad veritatem accedes. Quare, licet non repugnemus iis, qui laborem congesti in unum pentateuchi Esdrae tribuunt, viro de libris sacris in paucis bene merito, tamen neque repudiamus opinionem, eum laborem iam ante exsilium, imo ante Iosiam regem a quibusdam esse inceptum. Ubi sequenti etiam movemur ratione.

Schola babylonica doctorum iudaeorum, cuius nobilissimum ornamentum exstitit ipse Esdras, debuit necessario in re sacrorum librorum esse perquam « conservativa ». Toti erant in servandis atque restituendis libris, quales traditi fuerant a patribus. Ut fragmenta vaga adscripserint extremis libris iis, quibus illa evidenter essent maxime affinia, facile concedo. Ita adscripserint narrationi Iud. 1-16 alias duas eiusdem aevi narrationes Iud. 17-21, libris Samuelis fragmenta 2 Reg. 21-24. Sed aliud est affirmare, eos libros diversos duos vel tres in unum confudisse pentateuchum, narratione etiam libri bipartiti discissa. Quorum mox posteri 1 Mach. 4,46, quid de lapidibus exsecrati altaris esset faciendum, non ausi sunt definire, « quoadusque veniret propheta et responderet eis ». Horumne antecessores, qui post destructam urbem Babylone vixerunt, censendi sunt sine tali oraculo libris sacris manus fuisse illaturi? Atqui eos hac in re propheta aliquo usos esse auctore, non demonstratur; inceperat tum aevum illud, « quo non est visus propheta in Israel » (ib. 9,27). Aggaeus, Zacharias, Malachias, quantum novimus, in Iudaea potissimum, non Babylone consolandis Iudaeis operam navavere. Superstites post exsilium in Babylonia aliquamdiu fuere Ezechiel, Daniel, Baruch, in Aegypto Ieremias. Hos in re restaurandorum librorum sacrorum quidquam egisse, proditum non habemus. Crediderim et hos et eorum aequales omnes debuisse esse in ea re eximie « conservativos ». Id temporum ratio exigebat.

16. Pentateuchus samaritanus. — Quaestio, quando scripta mosaica in pentateuchum coaluerint, nequit seiungi ab altera quaestione, quando ortus sit pentateuchus samaritanus, i. e. textus hebraeus literis samaritanis descriptus (Sam.). Qui textus est substantialiter unus cum nostro Hebr. et cum LXX; quem si quis demonstraverit diu ante exsilium exstitisse, illud item demonstratum habebit, diu ante exsilium exstitisse pentateuchum hebraeum. Porro de tempore, quo ortus sit Sam., habentur opiniones tres : cf. *Cornely* I 266 sqq. Alii censent inde a Ieroboam pentateuchum penes decem tribus semper fuisse; alii post destructam Samariam eo allatum esse per sacerdotem illum, de quo 4 Reg. 17,27; alii tandem allatum esse tempore Alexandri Magni a Manasse sacerdote, Iaddi pontificis fratre, qui Hierosolymis profugus pontificatum suscepit templi recens aedificati in monte Garizim. De quo fuse *Ios.* Ant. XI. 8. 4. Neque tamen eo loco, neque 4 Reg. 17 *libri* mentio habetur.

Post captam Samariam rex Assyriorum incolas potissimum urbium captivos abduxit, paganorum sat multos remanere passus est. In urbes autem pro Hebraeis submisit Cuthaeos, Avaeos et Emathaeos. Accesserunt postmodum alii, ut 1 Esdr. 4,9 sq. decem omnino gentes recenseantur. Igitur Samaritani hi posteriores vix gens eadem fuisse affirmari possunt, atque antiquiores regni decem tribuum cives. Quod 1 Esdr. 4,2 cupierint cum Iudaeis e Babylonia reducibus in unam gentem confundi eosque in templo restaurando adiuvare, id non tam e religione fecisse censendi sunt, quam ut participes fierent privilegiorum in Iudaeos a Cyro collatorum, neque aliquando cogerentur suis finibus cedere in gratiam Iudaeorum. Certe nihil in textibus prodit, gentem Samaritanorum aut ante eam regni Samariae cives fuisse sacrorum Iahve scriptorumve Moysis eximie studiosos. Admirationem facit eosdem, qui cultum Iahve constanter admiscerent idololatriae, in thora pluribus saeculis conservanda fuisse tam eximie diligentes, ut Sam. generatim inspectus dici queat unus idemque cum nostro Hebraeo textus. Thoram Esdras, qua in re Iudaeorum traditionem videtur confirmare textus sacer (v. g. 1 Esdr. 7,11 sqq.), non reperit in Palaestina, sed e Babylonia attulit : ut tempore multo longiore perseveraverit in finibus Samaritanorum textus thorae vix non intactus, id non sufficit gratuito affirmare, sed solidis rationibus demonstretur oportet.

Cum Cuthaei aliique, qui in terra Iahve propria libere indulgebant idololatriae, infestarentur a leonibus, rex Assyriorum, ut suos ab ea infestatione liberaret, non ut paganis hebraeis gratiam exhiberet, misit sacerdotem *unum*, probabilius *non Levitam*, qui eos edoceret

non thoram, sed *praxin* (משפט 4 Reg. 17,26 sq.) colendi Iahve, qui sedem fixit non Samariae, sed in *Bethel*. Regem ei providisse de aliquo pentateuchi exemplari, aut sacerdotem ipsum illud in sarcinis attulisse, aut apud paganos reperisse, e textu non eruitur. Ad efficiendam morum emendationem tam exiguam, ne dicam nullam, qualis 4 Reg. 17,28-41 describitur, sane non opus fuit pentateucho.

Manasses, frater Iaddus pontificis, uxorem duxerat Nicaso, filiam Sanaballati Cuthaei, qui a Dario Codomanno constitutus fuerat satrapa Samariae. Iussus a principibus hierosolymitanis, ut uxorem alienigenam dimitteret, Samariam ad Sanaballatum se recepit. Hic vero ab Alexandro Magno, qui devicto Dario Tyrum obsidebat, veniam obtinuit exstruendi templi in monte Garizim, atque Manassae ib. pontificis instituendi. Ad quem transfugere alii etiam Hierosolymis sacerdotes, habentes uxores alienigenas, et quicumque a principibus Hierosolymitanis dissentirent.

Haec Iosephi narratio, in qua tamen ipse videtur duos eventus in unum confudisse. Et templi quidem in monte Garizim constructio erit temporibus Alexandri Magni permittenda. Sed Ant. XI, 5,1 et 5; 7, 1 et 2 sequentem Ios. tradit pontificum genealogiam : Iesus, qui aequalis fuit Zorobabelis, Ioakim, Eliasib, Iuda, Ioannes, Iaddus, cuius frater Manasses. Quacum cf. genealogiam pontificum 2 Esdr. 12,10 sq. : Iesus seu Iosue, Ioakim, Eliasib, Ioiada, Iohanan (ita v. 22 contra v. 11 Ionathan) i. e. Ioannes, Iaddua. Est evidenter eadem utrobique pontificum genealogia. Habetur porro Sanaballat satrapa, aequalis Nehemiae 2 Esdr. 2,10 etc., affirmatque Nehemias 13,28, se filium aliquem Ioiadae pontificis, eundemque Sanaballati generum ex urbe expulisse. Nota, voce *filii* etiam designari nepotem; apostatae autem illius nomen supprimit Nehemias. Iam tota res clara est; Manasses non fuit aequalis Alexandri Magni, sed Nehemiae; pontificatum apud Samaritanos suscepit, sed templo in monte Garizim caruit, quod diu post ipsum permittente Alexandro exstructum est. Iosephus rem narravit, sicut a sui temporis Iudaeis narrabatur : illi nolebant posteris tradere, tempore insignium virorum Nehemiae et Esdrae factum esse schisma. Cur Manasses solum pentateuchum ad Samaritanos transtulit? Quia hunc solum in suum canonem recipiebat : non erat recepturus « prophetas », qui unicam sedem cultus norunt Ierusalem.

Profecto opinio, quae tenet pentateuchum ad Samaritanos delatum esse tempore Manassae (Nehemiae), si sola perpendatur, probabilior apparet altera opinione id factum affirmante brevi post captam ab Assyris Samariam. Explicat, quomodo pentateuchus Sam. universim

inspectus unus idemque textus sit cum pentateucho esdrino. Ubi Manasses statuitur Nehemiae aequalis, evanescit simul difficultas, pentateuchum Sam. antiquis characteribus esse exaratum, dum tempore Alexandri Iudaei iam assueverint scripturae quadratae.

Qua nostra opinione de tempore, quo Samaritani accepere pentateuchum, confirmatur illud, quod p. 96 sq. suggerebamus, scripta mosaica fortasse vel ante destructam urbem in quibusdam apographis in unum congesta exstitisse pentateuchum. Quodsi enim id factum esset tum plane recenter, imo ab ipso Esdra, fortasse Manasses, qui schismate ab Esdra recedebat eiusque auctoritatem repudiabat, non Esdrae thoram suam fecisset, sed aliam minoris molis aliquam. Aliud ipse censebat auctoritatem Esdrae, aliud auctoritatem pentateuchi. Esdras vero in thora augenda fere egit idipsum, quod egerat Samuel. Samuel leges collectanei, quarum pleraeque se essent antiquiores, thorae Moysis accensuit; hac thora aucta videtur 1 Reg. 11,15 usus esse in renovando occasione instituti primi regis foedere, uti eadem certe ad eundem finem usus est Iosias. Esdras usus est exemplari aliquo thorae antiquiore se, in quod congesta erant scripta mosaica omnia, eoque usus est renovandi foederis instrumento. Esdras « canonizavit » pentateuchum ita, uti Samuel « canonizaverat » collectaneum.

Cur vero Esdras illud exemplar aliis praetulit? Fortasse, quod alia non haberet : neque enim totum aliquem apparatum manuscriptorum Iudaei urbe destructa Babylonem asportaverunt, conficiendae editioni criticae thorae idoneum; sed ea exemplaria, quae furori primum regum ac postea excidio urbis essent subtracta. Si plura prae manibus habuit Esdras exemplaria, cur hoc unum praetulit? fortasse, quod aliis esset magis integrum, quod sciretur nulla habere scripta, quae genuina et mosaica non essent, quod penes homines eximie pios longo tempore asservatum maiorem videretur mereri fidem. Exemplar, quod plus haberet scriptorum indubie sacrorum, fortasse ob eam ipsam rationem iudicabatur esse praeferendum. Esto, non sint eae criticae rationes : erant fortasse optimae opinione eius aevi hominum; humani vero ingenii imbecillitatem supplebat Dei providentia.

At, nonne erravit Esdras thoram Moysis reputans esse totum pentateuchum? Pentateuchus revera erat thora, sc. thora legitimis incrementis aucta, non enim prophetis repugnantibus censemus omnia tandem scripta mosaica in unum pentateuchum coaluisse. Thora sc. illa non data fuerat Hebraeis tamquam litera mortua, qualis editionibus criticis definiri consuevit, sed tamquam liber in manibus pro-

phetarum vivus, qui explicaretur, cresceret, mutaretur. Sicut partium Esdrae non erat verba Iosue aut collectaneum Samuelis e thora eliminare, ita neque eius partium erat librum bipartitum aut Genesin expungere, dummodo constaret ea esse genuina scripta sacra.

Dices, ita saltem apud Iudaeos obscuratam esse notionem thorae, impositum illis esse teste S. Petro onus intolerabile, quod nunc iam obligarentur *vi foederis* observare plurima, quae antea non fuerant pars conditionum foederis. Id concedo, sed providente Deo factum esse infra ostendam, quo via apud Iudaeos pararetur novo foederi et messiae.

17. **Thora Babylone redux.** — Aevum illud, quod proxime excepit destructam a Chaldaeis Ierusalem, compertum habemus fuisse studio sacrorum librorum plane conspicuum. Iudaei tum Babylonem devecti plurimi erant in colligendis et restituendis scripturis. Palladium gentis iam habebatur thora Moysis, i. e. pentateuchus. Reges iniqui persecuti erant thoram; destructo regno inter exsules Babylone degentes revixit librorum sacrorum et imprimis thorae studium et amor. Per neglectum thorae interierat regnum : per reverentiam et observationem thorae impetranda iam erat restitutio regni longe gloriosior, regnum messianicum. Quam thoram, Babylone degens, eloquenter celebrat *Baruch* propheta 3,9-4,4. Ubi primum *mandata vitae* Israeli tradita affirmat esse *doctrinam sapientiae;* quorum mandatorum neglectus causa sit, cur Israel inter inimicos exsulat [1].

3, 9 Audi, Israel *mandata vitae*, — ausculta *doctrinam sapientiae*.
10 Quid factum est Israeli, — et cur versatur in terra inimicorum, deperit in terra aliena, — et cum mortuis coinquinatur?
11 Cur similis factus est descendentibus in infernum, — v. 12 et dereliquit fontem vitae?
13 Si ambulasses in viis Iahve, — pacem invenisses perpetuam.
14 Disce, ubi reperiatur *sapientia*, — ubi robur, et ubi prudentia, ubi intellectus et longiturnitas vitae, — ubi illuminatio oculorum et felicitas.

Describit porro Baruch, reliquas gentes ignorasse hanc sapientiam, quam Deus unis Israelitis concesserit. Qua in re secutus esse videtur Baruch exemplum antiquius, sapientiae laudes Iob 28; qui affirmabat, sapientiam de se esse hominibus imperviam, soli Deo notam, qui eam hominibus revelaverit monens : « Ecce timor Domini ipse est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Similiter Baruch describit,

1. Textum graecum cum versione aethiopica comparavit *I. K. Zenner S. I.* : Zeitschrift für Kath. Theologie, Innsbruck 1897, XXI, 555 sqq. Quae versio textum habet in quibusdam concinniorem et fortasse veriorem. v. 37 aethiops : *et facta est sicut homo*, « de quo dicere possumus : Ibi habitat, hac via eum assequeris » (*Zenner*).

quomodo a viris aliarum gentium sapientissimis et potentissimis sapientia non sit reperta; eum autem intelligere potissimum sapientes antiquissimos exinde efficitur, quod v. 37 affirmet sapientiam *exinde* revelatam esse in thora per Moysen, ergo intelliguntur prae ceteris sapientes Moyse antiquiores. Affirmat item, sapientiam exstitisse antiquitus imperviam, soli Deo notam, quam nullus homo valuerit neque de coelo afferre, neque traiecto mari procurare. Quam Deus revelavit Israeli :

3, 35 Hic est Deus noster, cui alius comparari nequit; — v. 36 ipse adinvenit omnem viam *sapientiae*, et impertitus est eam Iacob servo suo — et Israeli dilecto suo.
37 Exinde reperitur in terra, — et inter homines versatur.
4, 1 *Hic est liber mandatorum Iahve, — et thora duratura in aevum.* Qui eam observant, vivent; — qui eam derelinquent, morientur.
2 Age, Iacob, amplectere eam, — et ambula in lumine eius.
3 Ne tradas alteri gloriam tuam, neque praerogativam tuam genti alienae.
4 Beati nos, Israel, quia manifestata sunt nobis, — quae Deo sunt placita.

Ait igitur Baruch, sapientiam illam divinam hominibus de se inaccessam Israeli communicasse Deum per thoram. Qua in re consonat Moysi Deut. 30,11 sqq. affirmanti, post datam thoram mandata Iahve nequaquam esse inaccessa, non e coelo afferenda, neque traiecto mari procuranda. Consonat tandem tam Iobo quam Baruch *Eccli.*, qui de antiquis quidem sapientibus silet, sed aeternum sapientiae progressum de thesauris Dei describens tandem ait (24,32; *LXX* 24,23) : « *Hic est liber foederis altissimi, thora quam dedit Moyses, haereditas synagogarum Iacob* ».

Utrum porro laudata verba Baruch studium thorae apud Iudaeos Babylone degentes excitaverint, an ante excitatum foverint, non lubet inquirere. Ostendunt profecto, quo animo eius aevi Iudaei erga thoram fuerint affecti. Quantopere tum studium thorae Babylone floruerit, demonstrant laudes Esdrae tributae ob peritiam legis, qui vocatur 1 Esdr. 7,6 סופר מהיר בתורת משה אשר נתן יהוה אלהי ישראל, scriba peritus in thora Moysis, quam dedit Iahve Deus Israel, *LXX* ὡς γραμματεὺς εὐφυὴς ὢν ἐν τῷ Μωυσέως νόμῳ, *Ios.* (Ant. XI. 5.1) τῶν Μωυσέως νόμων ἱκανῶς ἐμπείρος. Imo 1 Esdr. 7,21 eadem fere verba a rege Artaxerxe Esdrae nomini adiiciuntur veluti titulus quidam officii : « ut, quodcunque petierit a vobis Esdras sacerdos, scriba thorae Dei coeli, absque mora detis ». Videtur Esdras speciali ratione de thora esse bene meritus : norat igitur sane accuratius, quaenam ad illam scripta pertinerent, quaeve non. Et cum v. 26 rex iubeat hanc thoram Dei aeque ac thoram regis observare, censendus est non approbare tam

solemniter legem sibi plane ignotam, sed fortasse antea commiserat Esdrae, ut thorae exemplar plane authenticum compararet. Tamen Esdras *propheta* non est, a prophetis se ipse distinguit 1 Esdr. 9, 11 : *scriba* est, eorum scribarum antesignanus, qui in locum prophetarum successere. Esdras vero in Palaestinam advectus, 2 Esdr. 8 sq. pentateuchum populo praelegit, eoque usus est renovandi foederis instrumento.

Rediit igitur in Palaestinam thora, redintegratura, quod Iudaei sperabant, rei publicae fortunam. Aliter tamen res cessit, quod plurimum differret thora redux a praecedentis aevi thora. Fuerat haec viva et veges, redibat iam ę Babylonia vix non moribunda.

Viva fuerat thora in manibus prophetarum, qui non solum eius observationi invigilabant, sed eam etiam pro temporum necessitatibus interpretabantur, complebant, mutabant (p. 79.84 sq.). Sed brevi post reditum ex exsilio defecere prophetae. Fuit illud tempus, « quo non est visus propheta in Israel » (1 Mac. 9,27). Aliquando Iuda Machabaeo et sociis cogitantibus secum, quid esset faciendum de altari holocaustorum, quod fuerat profanatum, « incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud... Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta et responderet eis ». Quaestio haec, quid faciendum esset de istis lapidibus, erat sane quaestio de re minori : tamen definienda reservabatur prophetae aliquando venturo. Erant vero sexcentae quaestiones, hac quaestione graviores, quarum una haec erat, essetne fas constituere Machabaeos principes perpetuos : « Iudaei et sacerdotes eorum consenserunt, eum » (Simonem) « esse ducem suum et summum sacerdotem in aeternum, donec surgat propheta fidelis » (1 Mach. 14,41). Ergo constituebantur Machabaei principes veluti ad interim. Sacerdotes ii, qui non possent certis documentis demonstrare, se esse stirpis aaronicae, iubebantur 2 Esdr. 7,65, « ut non manducarent de sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus ». Nonne talis sacerdos aderat Esdras? Sed merito dices, voce « sacerdos » ibi designari pontificem. Omnino. Sed tum « doctus et eruditus », pro qua utraque voce *LXX* habent φωτίζων, accipiendum erit ut sit mendosa versio pro « Urim et Thummim », quas easdem voces 1 Reg. 14,41 mendose vertunt Vulg. « ostensionem — sanctitatem », *LXX* δήλους — ὁσιότητα (cf. CR p. 152 sq.). In exsilio defecerat etiam oraculum Urim et Thummim. Iubentur ergo illi sacerdotes postulatis carere usque ad tempus perquam incertum, quando reviviscat genus prophetiae per Urim et Thummim. Tandem 1 Mach. 2,29 sqq. (cf. 2 Mach. 5,25 sq.) multi Iudaei sabbato se trucidari passi sunt, quod nefas censerent eo die se

ab hostibus defendere, neque haberent prophetam, qui eos edoceret eam defensionem licitam esse; tamen, qui cum Mathathia erant, mox perspexere in hac re tutius esse, prophetam non opperiri. Sunt haec exempla aliqua quaestionum, quarum solutio summopere esset in votis, sed persaepe ad prophetam venturum remittebatur. Alia non poterant incerta relinqui : statuebant ergo principes, sacerdotes id, quod optimum videbatur, quae statuta necessario erant omnia temporaria et conditionata, ab illo propheta fortasse revocanda. Nonne debuere his omnibus exerceri piorum hominum conscientiae, et augeri desiderium maximi illius prophetae venturi? Cogita populum aliquem habentem sapientes leges scriptas, habentem etiam vivam aliquam auctoritatem, parliamentum, quae leges pro temporum necessitatibus explicet, compleat, revocet; supponas hanc vivam auctoritatem de medio tolli, nulla alia ad eundem effectum in eius locum suffecta : nonne brevi leges, quae ante erant sapientissimae, evadent insufficientes, graves, intolerabiles?

Ceterum urgebat necessitas, ut ipsae leges thorae *explicarentur*. Quod deficientibus prophetis praestitere *scribae legis periti*. Verum hi in Palaestina se mox exhibuere servos literae, quae occidit, alienos a spiritu vivificante, in rebus morum tutioristas, qui sepibus sepes circumducerent, ne quod lex detrimentum caperet. Arctabantur fidelium conscientiae. Cum 1 Mac. 4,47 cf. CEL p. 212.

Leges mosaicae, ubi in unum omnes collectae cernebantur pentateuchum, mox etiam videbantur esse eiusdem omnes auctoritatis et gravitatis. Collectaneum explicaturi ostendemus, legum collectanei auctores non omnibus legibus a Moyse editis parem tribuisse auctoritatem, leges Libri Foederis Ex. 21,1-23,33 habuisse magis sacras reliquis legibus Ex.-Num., has mutasse, illas non mutasse. Leges secundi foederis seu pentalogi, fuisse item immutabiles, patet per se, cum non sint de rebus particularibus, sed de supremis erga Iahven officiis. Ipsae e contra collectanei leges natura sua erant mutabiles, atque pleraeque indulgentiae ib. concessae mox revocatae fuere. Tamen haud est mirandum, quae leges scriptae fuerant veluti e Moysis ore profectae (p. 77 sq.), easdem vulgi sermone Moysi tributas esse auctori. Totam illam thoram ab Helcia repertam uni videntur tribuisse Moysi, quem in suo libro veluti resuscitatum contuerentur, contra populum testimonium ferentem (*Cornely* II 1. 72); omnibus eius legibus aequalem fere concedebant auctoritatem. Res periculo carebat, quamdiu Iudaei leges religiose servaturi essent : tum credendus est Iahve, leges quasdam pro necessitate temporum per prophetas abrogaturus vel mutaturus fuisse. Verum Iudaeos foederis reos Jahve

« dimisit ingredi vias suas », eis subtraxit prophetas. Habes 2 Esdr. 13 Esdram urgentem legem in collectaneo Deut. 23,1-8 (2-9) contra Ammonitas, Moabitas, Philisthaeos latam. Urget illam potissimum, quod « inventa sit scripta in libro Moysis ». Certe illa lex erat natura sua mutabilis, neque apparet ratio, cur Moabitae et Ammonitae ob factum Balaam, Philisthaei ob angustias Samueli paratas perpetuo constituerentur inferiore loco, quam aliae gentes, v. g. Aegyptii, qui graves Hebraeis intulerant iniurias. Durius sola Iudaeorum quorumdam cum Moabitis, Ammonitis et Philisthaeis coniugia proscribebantur, aliis gentilium foederibus toleratis. Durius res exigebatur, non ob eiusmodi foederum generale periculum, sed unice quod lex contra illas tres gentes lata « scripta esset in libro Moysis ». Lex illa per prophetam utique tum potuit mutari : sed Esdras non erat propheta, insistere debuit literae legis, secutum est schisma Samaritanorum.

Habebant post exsilium Iudaei una eademque thora, i. e. pentateucho, conclusas leges cum Moysis Ex.-Num., tum collectanei, leges nequaquam omnes concordes inter se (p. 23 sqq.). Quomodo haec omnia in praxin erant deducenda? Ante exsilium difficultati occurrebant prophetae. Licet collectaneum plures legum mosaicarum ad tempus concessisset indulgentias, essetque pars thorae, quae tum esset sola secunda Moysis oratio, prophetae aevi regum, indulgentiis neglectis, severiorem legum observationem exigebant. Iubebant, unico loco Iahve offerri sacrificia, festa statutis diebus celebrari, sacerdotibus et levitis pendi ea, quae illis lege obtingebant. Efficacior tum erat viva prophetarum auctoritas quam nudus textus. Atqui haec viva auctoritas defecit brevi post exsilium, atque ad componendas leges re aut specie discordantes, praeter traditionem aliquam incompletam (cf. 1 Esdr. 3,12), sola supererat incerta scribarum interpretatio. Unde v. g. factum est, ut reputarent Hebraei se lege obligari ad duas quotannis decimas, quandoque tres solvendas (cf. ad Deut. 14,22-29), sane praeter vectigalia regibus pendenda. Erat illud utique grave onus.

Neque tamen de singulis plura dicam, sed ut generalem post exsilium rerum conditionem perpendas, rogo. Habebantur tum in thora, i. e. in pentateucho, legum apparatus duo, diversis temporibus accommodati, quorum neuter accuratius congruebat necessitatibus aevi, quod post exsilium fuit. Iudaei autem persuasum habebant, se ex aequo teneri ad leges illas omnes observandas. Satis erat, ut ostenderetur lex aliqua scripta esse in libro Moysis, ut eadem etiam crederetur omnino esse observanda. Finge tibi hominem Gallum, qui sibi vitam censeat esse componendam cum secundum antiquorum

regum decreta, tum secundum Codicem Napoleonis. Aut animum reflecte ad illos aevi apostolorum iudaizantes christianos, qui censerent se ad legem veterem cum nova observandam teneri. Oportuit igitur plurimis dubiis Iudaeorum animos distineri; erant iam non merae « obscuritates » textus, sed « obscuritates » conscientiae, quas homines timorati cogebantur Iahve commendatas habere, donec veniret propheta ille diu et ardenter expetitus.

Alii sola observatione externa tot mandatorum contenti, internam sanctitatem non attendebant, quaerebant iustitiam ex operibus legis. Alii, qui sua se officia satis perspecta habere reputarent, illa aliis quidem praedicabant, ipsi minime faciebant : « Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? » (Io. 7,19).

Haec fieri debuisse, per se patet; facta esse sequentibus N. T. confirmatur testimoniis. Math. 23,4 de iis, qui in locum prophetarum subintraverant, et in cathedra Moysis sedebant, ait Christus : « Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum ». Luc. 11,46 sq. : « Et vobis legis peritis vae, quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. Vae vobis, qui aedificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos ». Act. 15,10 : « Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? » Iesus e contra commendat oneris, quod ipse imponit, levitatem : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... Iugum enim meum suave est, et onus leve » (Math. 11,28. 30). Itemque sensere apostoli Act. 15,28 : « Visum est nihil ultra imponere vobis oneris ».

Et tamen non erat intolerabile onus lex, quando a Moyse edebatur : erat illud sapiente legislatore indignum, imponere legem intolerabilem. Eam facilem esse, ipse Moyses profitebatur Deut. 30,11 sqq.; non erat ob hanc legem acceptam tanto beatior Israel ceteris gentibus (4,7 sq.), si lex ipsa erat intolerabile onus. Sed speciali providentia sapientissimi numinis factum est, ut lex, quae pridem fuisset facilis, postmodum fieret intolerabilis. Praeparandus erat Israel ad novam legem novumque prophetam suscipiendum. Si populus thorae Moysis fideliter adhaesisset, ab idololatria abstinuisset, amasset ex toto corde Iahven, a quo ex toto corde amabatur; concessisset fortasse Iahve continuam usque ad messiam prophetarum seriem, per quos leges veteres constanter explicasset, complesset et, ubi opus esset, mutasset; tandem populus messiam laetus excepisset, ab umbra transiisset in plenam lucem, a typis ad antitypum, factus vere peculium de cunctis gentibus, regnum sacerdotale et gens sancta. Populus vero rebellis

factus in iis puniebatur, quae ei ad salutem data fuerant. Occiderat prophetas, privabatur prophetis. Thoram vix non abiecerat; concedebatur ei thora veluti e fragmentis collecta, utilior futura nobis quam ipsi, quod plenam quidem exhibeat seriem promissionum ab exordio mundi, leges vero habeat variorum temporum non sat clare discriminatas. Promissiones illae nobis sunt lux, leges illae factae sunt Iudaeis onus. Thora, prophetis carens interpretibus divinitus institutis, tandem effecta est pondus intolerabile, quo Israel induceretur, ut totis votis expeteret novam thoram, novum prophetam, novum foedus. Thora, licet quadamtenus moribunda, fuit Israeli paedagogus ad Christum.

Factis igitur, quae p. 61. 75. 79. 94 describebamus, subiicimus facta haec :

(16). *Scripta aevi mosaici tandem in unum pentateuchum congesta sunt aut per Esdram, aut universim per Iudaeos Babylone degentes, aut in quibusdam apographis vel ante destructam urbem.*

(17). *Hunc pentateuchum Esdra superstite Manasses detulit ad Samaritanos.*

(18). *Postquam scripta illa, disiecta primum et defigurata, in unum tandem coaluere pentateuchum, defecere prophetae vivae thorae interpretes, litera mortua thorae facta Iudaeis intolerabile onus viam stravit novae legi novoque foederi per messiam sanciendis.*

18. Ex ea, quam describebamus, thorae historia pro coronide conclusiones quasdam derivamus.

a. Non sunt supponendi Hebraei ante Christum, in describendis et conservandis libris sacris, *artis criticae fuisse praecociter expertes.* Critica, uti aliae scientiae quae « exactae » dicuntur, illis saeculis erat hominum ingeniis vix non impervia. Non sunt hac in re affirmandi Hebraei fuisse politiores, aut certe multo politiores, aliis gentibus circumincolentibus, imprimis Babyloniis, Assyris, Aegyptiis. Qui libros sacros inter Hebraeos describebant, credi possunt fuisse ut plurimum pii et religiosi : sed pietas sola non supplet defectum scientiae criticae aliusve scientiae « exactae ».

Tamen eximium, imo miraculosum studium criticae artis scribis illis affingebant Iudaei post Esdram. Id patet ex eorum de origine et indole versionis septuagintaviralis pentateuchi commentis, quibus praeter Ios. et Philonem assensere Iustin., Iren., Clem. Alex., Cyrill. Hier., Hilar., Aug., Epiphan. aliique; de quibus, uti etiam de universa illa narratione v. *Cornely* I. 338 sqq. Patet idem ex fabula 4 Esdr. 14, cui item assensere Patres plures, libros sacros, imprimis pentateuchum, antea plane deperditos, ab Esdra inspirante Deo restitutos

esse tales, quales ante fuissent. Porro his duabus narrationibus affinia sunt alia de sacris scripturis rabbinorum placita bene multa. Quae licet ab antiquis scriptoribus christianis identidem fuerint recepta, non tamen sunt verae et divinae traditionis, sed traditionis mere humanae, imo rabbinicae. Sc. ecclesia Dei ab apostolis accepit quidem libros sacros V. T., quales penes Iudaeos sive palaestinenses sive hellenistas erant; particularem traditionem de modo, quo singuli libri orti et praeservati sunt, non accepit; haec doctorum virorum investigationi relicta. Patrum vero et scriptorum ecclesiasticorum plures, qui cum eruditiores essent et traditionum hebraicarum haud ignari, eiusmodi traditiones pro veris recepere, minime reprehendendi sunt in eo, quod unicas, quae proferrentur traditiones, quaeque summam sacri textus spirarent reverentiam, suas fecerint. Et historiam quidem de « cellulis » septuaginta virorum ipse Hier. explosit; fabulam de Esdra nemo iam sensatus defendit; aliae eiusdem farinae traditiones communi consensu repudiantur, aliae repudiabuntur. In quibus non est quidquam prudenti interpreti recipiendum, nisi accuratissime discussum. Certe non est recipienda illa opinio, scribas hebraeos in re critica fuisse tam eximie praecoces.

b. Neque in illis viris tantum acumen ideo erit adstruendum, quod videatur fuisse necessarium ad scripta mosaica conservanda talia, qualia Deus conservanda decreverat. Ad quod efficiendum abunde satis erat *specialis Dei providentia*, quae defectum mediorum humanorum supplet et, quo haec sunt infirmiora, tanto gloriosius ipsa manifestatur. Providentia illa divina primum ea scripta, e quibus tandem pentateuchus coaluit, suis quaeque temporibus auctoribus inspiravit; textum sacrum per infinitas populi vicissitudines praeservavit, ab impiorum funestis odiis defendit, atque tandem in unum pentateuchum coegit. Dein eadem thora, quae Hebraeis data fuerat ad salutem, usa est ad eorum perfidiam puniendam; textum, qui « Dei sapientia » esset et « haereditas synagogarum Israel », passa est in pluribus obscurari et imminui, ita tamen ut recti cultus Iahve ille textus semper maneret certus index (Deut. 29,29); legibus omnibus in thoram foederisque instrumentum adscitis, exstincta simul thorae viva interprete prophetia, effecit ut pentateuchus fieret grave onus, atque ita piorum animos ad poenitentiam novaeque legis desiderium stimularet.

c. Quod *Ios.* c. Apion. I. 8 de libris sacris usque ad Esdram editis ait : « Cum tantum tempus iam praeterierit, nemo ausus est in illis quidquam aut adiicere aut demere aut mutare », id quoad pentateuchum a vero utique aberrat. *Pentateuchus est liber imminutus et*

auctus. Augmenta accepisse diserte affirmatur Ios. 24,26 et 1 Reg. 10,25. Passum esse aliquam textus imminutionem conqueritur restitutor textus Deut. 29,29 (28). Et cf. quae dicebamus p. 80 sqq., itemque CN p. 213 sqq. Textum haberi post ruinam *restitutum*, affirmat scriptor Deut. 29,29 (28), confirmat narratio de thora ab Helcia reperta, atque narratio 4 Esdr. 14, cuius omnes meminerunt Introductiones.

Eam, quam descripsimus, pentateuchi indolem prae oculis habeat oportet pentateuchi interpres. Etenim liber sacer quisque secundum suam indolem est interpretandus : liber stricte historicus ut liber historicus, liber poeticus ut liber poeticus, liber restitutus ut liber restitutus.

Nonne facili ope potuit efficere Deus, ut liber hic non restitutus sed integer in nostras manus deveniret? Potuit, sed ob sapientes rationes non fecit. Deus causas naturales non supprimit, sed eis moderatur. Si textus tot manibus critices expertibus versatus, tot tempestatibus agitatus integer mansisset, fuisset id miraculi instar, quod minime exigebat finis, quem Deus intendebat.

Hebraeorum religio potissimum nitebatur factis in scriptis mosaicis narratis, exigebat observationem legum ib. recensitarum. Dedit ergo Hebraeis Deus primum integram eorum factorum narrationem earumque legum textum authenticum.

Ubi foederis rei facti sunt Hebraei, in poenam permisit Deus, ut et factorum narratio decurtaretur et obscuraretur, et ut legum obligatio confunderetur. Per textum punivit eos, qui textum respuerant; per textum interpretibus carentem confudit eos, qui prophetas interpretes trucidaverant. Dum puniebat, simul medicinam parabat : parabat viam novae legi et novo foederi.

Neque erat, cur intuitu christianorum Deus aut illas vicissitudines textus praepediret, aut post illas textum ad nativam integritatem revocaret. Religio christiana non item, atque religio mosaica, factis nititur in pentateucho narratis; imo ipsius auctoritatis Christi messiae argumenta non necessario e pentateucho sunt repetenda. Praeceptis legis mosaicae non adstringuntur christiani ita, uti adstringebantur Hebraei. Non erat nobis opus textu accurate historico, continua narratione actorum illorum 40 annorum, subtili temporum ratione (cf. Gen. 5, 11). Non erat opus, ut unico obtutu perlustraremus et apostasiae cadesianae, et secundi foederis ad primum foedus rationem. Nobis futurus erat satis textus, qualis nunc est, imminutus, restitutus.

7. *De stilo Deuteronomii.*

Expediendum nobis est primo loco systema illud, quod inter systemata « critica » fere est recentissimum.

C. Steuernagel (Der Rahmen des Deut., Leipzig 1894; Biblisch-theologische Untersuchung über die Entstehung des deuteronomischen Gesetzes, Halle 1895; Die Entstehung des deut. Gesetzes, Halle 1896; Das Deut. übersetzt u. erklärt, in : Handkommentar zum A. T., 1898) in Deut. 4,44-30,20 duo distinguebat documenta, quorum unum haberet pronomina et suffixa 2. pers. plur., alterum 2. pers. sing. Contra quem pluribus argumentatur *E. König* (The unity of Deut., in : Expository Times, vol. X 1898, p. 16 sqq. 124 sqq. 227 sqq.), conaturque mutationis pronominum varias congerere rationes. Adverte, quam saepe plane arbitrarius habeatur transitus a pronomine vel suffixo plurali ad singularem, et a singulari ad pluralem, saepe in eodem versu. 31,26 : « Sumendo librum thorae huius *ponetis* in latere arcae foederis Iahve Dei *vestri*, et erit ibi contra *te* in testimonium ». Sexcenta huius rei habentur exempla. Unice vera nobis videtur explicatio *P. de Lagarde* (Mittheilungen, Goettingen 1884, p. 21), in antiquis codicibus saepe omissas esse terminationes ה, ם, ת, superscripta praecedenti consonanti lineola. Dubio erat locus, quodnam suffixum sacer auctor in mente habuisset. Postmodum igitur scribae coeperunt illa suffixa integre scribere, non omnia simul, neque omnes eadem. Postea varia apographa comparabantur inter se : deprehendebatur eiusdem sententiae vox una in uno apographo habens suffixum sing., vox altera in altero apographo habens suffixum plur. : suffixa haec iam pro sacrosancti textus particulis habebantur, religiose describebantur. Ita oriebatur suffixorum ubique commixtio. Et hoc quidem in ipsa Introductione monendum censuimus lectorem, ne commentarius infinitis suffixorum comparationibus inutili labore gravaretur.

Critici omnes profitentur, Deut. 1,1-31,13 *universim* eodem stilo esse descripta, quem stilum *deuteronomicum* vocant, scriptorem vero vocant *Deuteronomistam*. Cap. 27 crux est non interpretum solum, sed item criticorum : non est cur de eius seu pericopae 26,16-27,26 (Verborum Iosue) stilo seorsim agamus. Incumbit autem nobis stilum collectanei comparare cum stilo deuteronomico.

a. De stilo collectanei.

1. Ex iis, quae de indole et origine collectanei disputabamus

perspicies laborem, quem critici recentiores impendere stilo Deut. definiendo, magna ex parte esse retexendum, quod illi eum definierint coniectis in unicum acervum collectanei et reliqui Deut. idiomatibus, cum collectaneum omnino sit documentum sui generis. Etenim collectaneum est collectio 54 legum de rebus diversis latarum, diversis temporibus editarum, a collectore hinc inde congestarum. Non est tractatus ab ipso collectore ordine digestus, sed sunt varia documenta, uti fors ferebat, ab ipso undequaque in unum coacta; praemisit aliqua de sacris, adnexuit alia de magistratibus, reliqua nullo certo ordine adscripsit. Potuit ipse aliquas leges de novo condere, alias suis additamentis et explicationibus augere; at eum universas leges funditus retractasse ita, ut nativum stilum exutae iam totae legantur stilo collectoris, nulla est sufficiens ratio affirmandi.

Nihilominus tamen *Kue.* p. 103 sq. pronuntiat, collectaneum unius esse auctoris, unoque consilio esse conscriptum, ut sit « thora Iahve » omnia explicans officia a Iahve populo imposita : religiosa, politica, civilia, domestica, moralia. Quo non excludatur, collectorem varios adhibuisse fontes, sive ii fuerint singulae leges sive legum apparatus, atque ita explicari eam, quae inter cap. 21-25 et reliquum collectaneum deprehendatur stili diversitas. Neque tamen cap. 21-25 deficere illa idiomata, quae efficiant cap. 21-25 eiusdem esse auctoris cum cap. 12-20, sed item cum cap. 5-11. Idque demonstrat Kue. enumeratis p. 106 sqq. idiomatibus 40, quae iterato legantur cap. 12-26, praeter Deut. vero nullatenus aut raro tantum. Ex his 40 idiomatibus p. 111 sq. 27 reperiuntur item in pericope cap. 5-11, alia 8 ibi scribi non potuere, quod pericope de rebus, quas illa exprimant, non agat. Supersunt tandem e 40 idiomata non plus quam 5, quae cum pericopae cap. 12-26 sint propria, in pericope cap. 5-11 desiderentur. Quod censet Kue. esse necessarium argumentum, unum esse totius sermonis Deut. 5-26 auctorem. Nos infra demonstrabimus ea idiomata, si quid probent, probare rem toto coelo diversam ab ea, quam Kue. vult, unitate pericopae cap. 5-26.

Idiomata 5, quae cap. 5-11 desiderantur, sunt : ברך in expressione « ut Iahve benedicat vobis »; נדה; נחל hiphil; עשה in expressione מעשה ידים; שלח in expressione משלח ידים.

Idiomata 8, quae ob subiectam materiam non potuere scribi cap. 5-11. sunt : אכל in expressione « manducare coram Iahve »; בחר in expressione « locus, quem elegit Iahve »; בער; סקל adscripto באבנים; עבט; שמח in expressione « laetari coram Iahve »; שכן in expressione « Iahve facit habitare nomen suum »; שמע in expressionibus « audiant et timeant ». « omnis populus audiat ».

E 27, quae supersunt, idiomatibus repudiamus אלהים in expressione frequentissima « Iahve Deus tuus » et similibus, quae idiomata non sunt; אלהים אחרים, quae

cum sit expressio maxime propria ad exprimenda falsa numina, non video cur iis locis fuerit supprimenda, qui de iisdem agunt; גֵּר in expressione « advena, pupillus et vidua », quae iam in Exodo habetur, et est propria et obvia ad illas hominum classes exprimendas; הלך, verbum simplicissimum ad exprimendam sequelam Iahvae aut falsorum deorum; לב pro לבב, et שמע cum אל vel cum בקול, quae facillime librariorum genio tribuuntur; שער, quod duos plane diversos sensus inducere demonstrabimus. Has solas expressiones interim repudiamus. Supersunt e 40 idiomata 20 :

אהב, de amore Israelis in Iahven, et Iahvae in Israelem; ארך hiphil, cum ימים; זכור, « memento, quod servus fueris etc. »; חוים; חקים, nunquam numero sing.; ידע in expressione « deos, quos non novisti »; ירם in expressione « omnibus diebus »; יטב, « ut tibi bene sit »; יטב, cuius hiphil הטיב scribitur pro adverbio; ירא, forma ליראה; ירש; למד; נחלה, nunquam vero אחזה; פדה; צוה in expressione « quae ego mando vobis »; המצוה sensu collectivo; שבע de iuramento a Iahve patriarchis praestito; שמר, cum המצוה aut voce synonyma, vel cum לעשות; שמר cum ל sequente pronomine; תעב.

Idiomata haec, et alia praeterea infra discutiemus, ubi de stilo deuteronomico agemus. Interim de sola eorum 20 idiomatum per collectaneum *distributione* quaeritur. Primum tamen aliam rem moneamus lectorem oportet.

2. Recole, quae CEL p. 17. 473 sqq. de legibus Ex. et Lev. dicebamus. Scriptor legibus divinam auctoritatem conciliat, non solum praefixis verbis : « Locutus est Iahve ad Moysen », sed appensa etiam extremis legibus legùmve paragraphis formula « Ego Iahve ». Hoc veluti sigillo leges usque munit. Simili, non tamen plane eodem modo agit collector noster, hoc etiam indicio prodens se esse hominem ab illo scriptore diversum : affigit identidem legibus sigillum auctoritatis non tam Iahve quam suae ipsius, quam utique a Iahve derivatam supponit. Hinc collectaneo praefigit *titulum* 12,1 : « Haec sunt statuta atque iudicia, quae facere debetis in terra, quam Iahve dabit vobis ». Extremis praeterea quibusdam legibus legumve paragraphis adscripsit *formulas* quasdam, quarum is est sensus, ut declaret, statuta a se collecta *in posterum vim legis esse habitura*. Colligebat sc. ipse varia variae auctoritatis documenta : praeter aliqua, quae leges ab omnibus vel a pluribus haberentur, erant ibi alia, antiqua sine lege consuetudine consecrata, alia quae axiomata potius morum et consilia honeste agendi eo usque habita essent, quam veri nominis leges. Oportebat collectanei lectorem certum fieri, haec omnia vim legis iam obtinere et ab omnibus religiose esse observanda. Singula perpendamus.

Habes Deut. 12 gravissimam omnino legem de loco cultus, habentem novellas tres. Extremae secundae novellae v. 28 adscribit collector verba haec : « Assidue observa *verba* haec omnia, quae *ego mando* tibi », et *Sam. Syr.* addunt « *hodie* »; extremae tertiae novellae,

ad calcem totius legis adscribit v. 32 (13,1) : « Totum *verbum,* quod *ego mando* vobis » (*Sam. LXX hodie*), « observate facientes, neque addentes quidquam neque subtrahentes ».

Sequitur lex Deut. 13 de poenis idololatrarum, cui extremae v. 18 (19) adscribuntur verba : « Audi vocem Iahve Dei tui, ut observes omnia *mandata* eius quae *ego mando* tibi *hodie* ».

Ubi auctor breviter primum explicuit *verbum* (15,2) de anno sabbatico, addit v. 5 : « Tantummodo assidue audi vocem Iahve Dei tui, ut custodias et facias omnia *mandata* haec, quae *ego mando* tibi *hodie* ». Dein continuans eiusdem verbi explicationem, extremae cuidam paragrapho adscribit v. 15 : « Memento, quod servus fueris in terra Aegypti, et liberaverit te Iahve Deus tuus : propterea *ego mando* tibi verbum hoc *hodie* ».

Ad calcem sermonis de festo Pentecostes 16,12 : « Memento », ait, « quod servus fueris in terra Aegypti, et observa et fac *statuta* haec ».

19,7, antequam aliquod legis de civitatibus refugii additamentum adscribat : « Idcirco », ait, « *ego mando* tibi » (*LXX verbum* hoc) « dicens : tres civitates separabis mihi ».

24,18 post brevissimam legem de iustitia et misericordia erga indigos : « Memento », inquit, « quod servus fueris in Aegypto, et liberaverit te Iahve Deus tuus inde ; *ego mando* tibi, ut facias *verbum* hoc ». Atque illico 24,22 post aliud mandatum de misericordia erga egenos : « Memento », ait, « quod servus fueris in terra Aegypti : ideo *ego mando* tibi, ut facias *verbum* hoc ».

Habes novies eandem formulam, quinquies breviorem, quater auctam recordatione liberationis aegyptiacae. Hoc quippe maximum beneficium Israeli collatum et ceterorum veluti omnium radix, prae ceteris memoria constanter versandum. Quod appellatur item in altero decalogo Deut. 5,15. Id, quod *mandatur,* vocatur semel *statutum* (חק), bis *mandatum* (מצוה), quinquies *verbum* (דבר). Quod antea non erat nisi *verbum,* hac formula evehitur ad dignitatem *mandati, legis.* Varia Deut. 12-26 documenta, omnia aut fere omnia, ore antea circumferebantur tamquam regulae agendi, sed non ab omnibus neque indubie agnoscebantur esse leges : cum Moyses leges suas scriptas reliquisset, haud mirum minoris auctoritatis habita esse verba illa, quae orali tantum traditione circumferebantur. Noster auctor illa conscripsit in unum codicem, atque illis insertis formulis pronuntiavit, ea deinceps habenda esse non verba tantum, effata fortasse anonymorum auctorum, sed habenda esse vera mandata, veras leges, suum scriptum habendum esse codicem legum. Repetita voce *hodie* indicat, suum codicem complecti leges Deut. 12-26. Repetita cum emphasi

voce *ego* protestatur, sibi talis legum codicis concinnandi genuinam esse auctoritatem.

Verum ad singula descendamus. Deut. 12 recitatae legi v. 2-7, quae re certe est mosaica, adscripserat auctor novellas duas v. 8-27 eam legem adaptantes circumstantiis sui aevi. Igitur v. 28 adscripta formula inculcat haec omnia, tam legem quam novellas, habenda esse pro vera lege ab omnibus stricte observanda. Idem affirmat v. 32 de prohibitione, ne ritus gentiles cultui Iahve adhiberentur; idem 13,18 de poenis contra idololatras sancitis. Non adscribit formulam, pericopae 14,1-21; sed nonne lex de animalibus mundis et immundis et erat et sciebatur esse verbotenus Moysis auctoris, lex iam inscripta codici sacro? Ea fortasse ratio non adscriptae ei legi formulae. Non adscribit formulam legi 14,22-29 de decimis et legi 15,19-23 de primogenitis. Aut formulas 15,5.15; 16,12 volebat ad has quoque leges pertingere, aut eas concessis ib. *indulgentiis* non adscripsit, ut homines pii perspicerent sibi fas etiam esse iis indulgentiis non uti et severiori antiquae praxi adhaerere. Sed formula inseritur 16,12 legi de tribus solemnitatibus, quo omnes certo scirent sibi aliisque fas esse uti indulgentiis ib. concessis quoad solemnitatum tempora etc. Atque ita devenimus ad finem primae seriei legum 12,1-16,17, quae est de sacris.

Secundae seriei legum 16,18-20,20, quae est de magistratibus, formula adscribitur solummodo 19,7; tertiae seriei 21,1-26,15, quae est collectaneum plurimarum legum, adscribitur bis prope finem 24,18.22. Num adscribitur intuitu solarum legum immediate praecedentium? Num solae leges v. 17.19-21 exprimuntur ib. voce דבר? Quae comparatae reliquis ib. legibus deprehenduntur utique esse minoris momenti. Illud v. 17 « non pervertes iudicium » re habebas 16,18 sqq., et multo distinctius; illud de « pallio viduae » re idem est cum 24,6. 12 sq. : tamen his locis non adscribitur formula. v. 19-21 eius est indolis, ut verius dicatur consilium perfectionis quam stricta lex : cur his versibus prae aliis gravioribus adscribitur formula? Et quaenam pii moniti, ut spicilegium pauperibus concederetur, tam specialis connexio cum *liberatione aegyptica?* Censeo igitur, collectorem nostrum legibus quidem de sacris formulam adscripsisse sexies, legibus de magistratibus semel, sed satius duxisse, ut eam reliquis legibus omnibus prope finem collectanei adscriberet bis. Formulae 24,18.22 respiciunt leges universas 21,1-26,15.

Attribuimus collectori titulum 12,1, attribuimus eidem formulas, quae collectaneo auctoritatem vindicant publici legum instrumenti. Si quaeras, tribuendane sint eidem alia quaedam, duo interim notamus. Quae non tam sunt leges, quam monita legum quarumdam ante

latarum religiose servandarum. 24,8 : « Observate quoad legem leprae, servantes diligenter et facientes secundum omnia, quae vos docebunt sacerdotes levitae; sicut ego praecipio vobis, servabitis et facietis ». Et adscribitur v. 9 exemplum Mariae, sororis Moysis. Evidenter non circumferebatur ante collectorem hoc monitum, sed ipsa thora Lev. 13 sq.; monitum inseruit collector, atque sua etiam adscripta auctoritate firmavit. Similiter 25,17-19 non repetit quidem, sed in memoriam revocat atque inculcat divinum Ex. 17,14 contra Amalec editum praeceptum, clauditque solemni monitione : « Noli oblivisci ». Haec interim collectori tribuimus, infra vel etiam in commentario suppleturi aliqua, quae illustrent quaestionem, an aliquas leges ipse collector concinnaverit penitusve retractaverit. Credimus porro, si aliqua collector legibus, quas colligebat, de suo adscripserit, id potissimum effectura esse illa additamenta, ut legum vim obligandi inculcarent, officiorum quorumdam vel scelerum gravitatem exaggerarent, praemia, vel poenas, benedictiones vel maledictiones sancirent, statuta antiqua explicarent, limitarent, complerent. Nonne haec oportuit potissimum in animo habere collectorem, qui ea aequalibus pro legibus proponeret documenta, quae ante ipsum non omnia neque ab omnibus pro legibus stricte obligantibus haberentur?

An istud autem vere coniiciamus, sequens demonstrabit disputatio, quae redit ad idiomata a Kue. statuta.

3. His praemissis dispicimus, *quomodo per collectanei leges distribuantur 20 illa idiomata a Kuenen statuta.* Incipimus autem a *tertia serie* legum. E quinque legibus cap. 21 tres (v. 10-14. 15-17. 18-21) nullum habent idioma; e decem legibus cap. 22 octo (v. 1-3. 4. 8. 9-11. 12. 13-21. 22-29. 30); e septem legibus cap. 23 quatuor (v. 9-14. 15 sq. 21-23. 24 sq.); e decem legibus cap. 24 sex (v. 5. 6. 7. 10-13. 14 sq. 16); e sex legibus cap. 25 tres (v. 1-3. 4. 5-10); lex cap. 26 habet idiomata. Habes omnino *viginti quatuor* leges, quae nullum habent illorum idiomatum. Porro monita 24,8 sq.; 25,17-19 collectoris sunt; leges 24,17 sq. 19-22 nihil habent praeter formulas v. 18. 22 a collectore adscriptas. Manent e *triginta novem* legibus tertiae serici *undecim*. Quarum sex habent idioma singulae *unicum* (21,22 sq. נחלה; 22,5 תועבה; 23,1-8 אהב; 23,17 sq. תועבה; 23.19 sq. ירש; 25,11 sq. חים); quatuor habent idiomata *bina* (21,1-9 ירש, פדה; 22,6 sq. יטב, איך; 24,1-4 נחלה, תועבה; 25,13-16 איך, תועבה); lex cap. 26 habet idiomata *quinque* (v. 1 ירש, נחלה; v. 3 שבע; v. 13 הביציה; v. 15 שבע). Adverte porro, legem cap. 26 ab aliis etiam concedi a collectore esse recusam; legem 23,1-8 ab ipso certe esse auctam. Adverte, idiomata deprehendi *initio* legum (21,1; 26,1) et in earumdem *fine*

(21,23; 22,7; 23,18. 20; 24,4; 25,12. 16; 26,15); item in adscriptis *benedictionibus* (22,7; 23,20; 25,15) et comminationibus (25,12); adverte, nequaquam omnia illa idiomata esse certa (v. i.). Profecto, affinitas illa universi stili legum tertiae seriei cum Deut. 5-11 plane gratuito adstruitur.

Ergo, si criteriis Kue. reapse aliqua stili affinitas demonstratur cum Deut. 5-11, non est ea attribuenda ipsis legibus e variis fontibus undequaque coactis, sed *collectori* legum. Deprehendebamus CEL p. 19 sq. textum legum, quae a patriarchis ad Hebraeos fuerant transmissae, sancte ut plurimum servatum atque ea habitum reverentia, ut nihil aut ei insereretur aut in eo mutaretur sed, si quid addendum postmodum videretur, illud antiquae legi immutatae ad calcem adscriberetur. Alia videtur fuisse legum, quae nondum scriptae aevo iudicum circumferebantur, conditio. Non iam eadem ab omnibus videntur recitatae esse forma; collectori e pluribus formis una seligenda, quandoque e pluribus una accurratior compingenda erat. Neque ipse verebatur iam textui incerto admovere manus, initio imprimis et in fine, benedictionibus vel comminationibus adscriptis, vel formulis illis, quibus ipse identidem insertis collectaneo vim legis vindicabat.

Superest porro, ut examinemus utrum, quas perpensa tertia series Deut. 21,1-26,15 suggerit conclusiones, easdem perpensae *duae priores series* Deut. 12-20 confirment.

Igitur in inscriptione Deut. 12,1, quam collector toti collectaneo praefixit, reperiuntur idiomata, ex iis quae Kue. statuit, omnino quatuor (שמר לעשות, ירש, יום, חקים). Nullum habet perantiqua lex 12,2-7 de loco cultus. E contra novellis praeter formulas v. 28.32 adscripsit collector v. 11. 14 (etiam v. 21) verba *quae praecepi tibi*, ad clarius innuendum sola sacrificia lege *praecepta* ad sanctuarium maximum deferri oportere; item instantes monitiones v. 13. 19. 30 et benedictiones v. 25. 28. Tot hae novellae habent idiomata, ut a collectore totae veluti retractatae esse videantur. Idipsum de cap. 13 ob plurima idiomata affirmant etiam criticorum aliqui.

Duae leges de funeribus et cibis in unam legem 14,1-21 compactae conspiciuntur formulis, quae non sunt nostri collectoris, sed potius Lev. 11,43-45; 18-22 (cf. Schemata CEL p. 419. 473) in mentem revocant : « Filii estis Iahve Dei vestri », « populus sanctus es », etc. Fortasse hae duae leges iam in unam coaluerant, quando in manus collectoris devenere. Nullum habent idioma ex iis, quae Kue. statuit, praeter v. 3 תועבה. Eorum plura habet lex de decimis 14,22-29, aevo iudicum nata aut retractata, et lex de anno sabbatico 15,1-18;

nulla habet lex de primogenitis 15,19-23 itemque, praeter formulam v. 12, lex de tribus solemnitatibus 16,1-17. Ergo e septem legibus primae seriei duae nullum habent idioma, duae aliae, et eae quidem, quae primum in serie locum obtinent, fere a collectore dicendae sunt esse retractatae.

In secunda serie lex de iudicibus 16,18-17,13, e pluribus in unam coacta, perpauca habet idiomata; praeter תועבה 17,1. 4 solam benedictionem 16,20 et הטיב 17,4. Lex de rege 17,14-20 plura habet idiomata, quae, praeter unicum idiomata v. 14, omnia reperiuntur in oratorio epilogo v. 19 sq. Levia tantum indicia habet lex de sacerdotibus 18,1-8, lex de prophetis 18,9-22 unicum תועבה. Lex de civitatibus refugii orditur ratione simili aliarum quarumdam legum, plura praeterea idiomata habet in formula v. 7 et in additamento v. 8-10 adscripto, non vero alibi. Nihil item habet brevissima lex de terminis v. 14, vix quidquam lex de bello cap. 20. Sed poenae severitas inculcatur extrema lege de testibus 19,15-21, ubi etiam v. 18 הטיב. Plura profecto in secunda serie quam in tertia, longe pauciora quam in prima serie deprehenduntur idiomata. Ex octo legibus seriei sola brevissima lex 19,14 omni idiomate caret. Collectori plurimum enitendum fuit, ut cultus sanctuarii maximi, quantam posset, puritatem restitueret; leges, quae exstabant, de magistratibus in unum codicem congessit; reliquas de diversis rebus leges, prout ad manus veniebant, descripsit.

E perpensis vero primae et secundae seriei idiomatibus eruitur conclusio eadem, quae e tertiae seriei idiomatibus. Reperiuntur ea potissimum iis locis, qui aut certo aut probabiliter collectori legum attribuuntur : in *inscriptione* 12,1, quam toti collectaneo praefixit; in *formulis* (12,28. 32; 13,18[19]; 15,5. 15; 16,12; 19,7), quibus documentis a se collectis vim legis vindicat; *initio* legum vel paragraphorum (17,14; 18,6; 19,1 sq.) et in eorumdem *fine* (14,21.23; 16,5. 11 sq. 14; 17,10-13. 19 sq.; 18,5; 19,13. 21); in *benedictionibus* (12,25. 28; 15,4; 16,20; 19,20; 19,13) et in *comminationibus* (13,8; 19,13. 21); in sententiis quibusdam, quae instar *parentheseon* textui insertae leguntur (15,4. 11; 19,8-10; 20,18).

Adverte tamen, etiamsi expressiones a Kue. statutæ concedantur esse documenti Deut. 5-11 et collectoris idiomata, non ideo, ubicunque eae legantur, eidem iure merito scriptori esse attribuendas. Voces illae in libris prioribus et posterioribus deprehenduntur, nullo non tempore notae erant Hebraeis. Id imprimis valet de vocibus נחלה, ציה, חקים. Quodsi eae aliaeve aliquando medio alicui textui interspersae conspiciantur, non sunt ob id unum collectori attribuen-

dae : alii certe identidem scriptores, licet rarius, eas expressiones adhibebant.

Verum, etiamsi eas expressiones omnes, ubicunque tandem reperiantur, uni eidemque scriptori attribuas, non id illae efficiunt, quod vult Kue., *totum* textum Deut. 12-20 eiusdem esse cum Deut. 5-11 auctoris; quin potius, uti in tertia legum serie, ita etiam in prima et secunda illae expressiones probabiliter legum *collectori* attribuuntur, qui paucas tantummodo leges aut ipse scripsit aut ab aliis scriptas retractavit, aliis pluribus aliqua sua adscripsit, totas 26 leges reliquit intactas. Qua in re contra Kue. consentientem nobis habemus *Wellh.* C. p. 195 : « Raro textus (collectanei) demonstrari potest a collectore esse retractatus, plerumque hic aliqua tantum motiva adscripsit, quae contextum non attingunt ». Cf. eiusdem auctoris verba supra p. 40 et *Klost.* p. 135.

Unum tantum excipimus, quod ex his infert Wellh., collectanei collectorem eundem esse scriptorem, qui item *auctor* fuerit cap. 5-11. Hunc auctorem demonstratum habemus fuisse Moysen, collectorem Samuelem: quomodo uno eodemque stilo scripserit et Moyses et Samuel? Duplex offertur facti explanatio. Inscriptionem quidem 12,1 Samuel de consilio conformaverit textibus 5,1; 6,1 vel aliis. Eum in studio thorae fuisse versatissimum, quis ambigat? In ea omnem Israelis salutem et prosperitatem collocatam esse persuasum habebat; suas leges huic thorae accenseri cupiebat. Haud mirum, quando harum legum observationem inculcabat, easque observaturis thorae benedictiones apprecabatur, cum thorae expressionibus locutum esse; neque tamen, uti inspicienti textum apparet, his solis. Nonne nostrorum etiam ii, qui plurimum incubuere studio unius cuiusdam evangelistae vel prophetae, in suis sacris orationibus eius evangelistae vel prophetae stilum sponte imitantur?

Altera eiusdem facti explanatio haec est. Distinguimus inter auctorem et scriptorem, seu inter auctorem libri et auctorem textus seu stili. Fuerit collector auctor eius textus, quem nunc habemus, cap. 5-11 : non ideo dicendus est auctor secundae orationis. De linguae hebraeae per mille circiter annos, qui a Moyse ad Esdram effluxere, mutationibus compertum habemus vix quidquam. Potuere tum aliquando tres orationes mosaicae retractari et in stilum recentiorem et faciliorem transfundi. Id fecerit ipse collector Samuel. Quae fuerit in magna illa strage, qua arca a Philisthaeis capiebatur, sors autographi thorae, quod Moyses prope arcam reposuerat, ignoramus. Potuit illud etiam ipsum in potestatem venire Philisthaeorum, postea vel restitui vel amitti. Potuit illud, arca in castra Hebraeorum devecta,

penes tabernaculum relinqui, cum eo vagum circumferri, negligi, defigurari, deperdi. Potuit igitur Samuel, antequam sua thorae insereret, illud sapienter inire consilium, ut novum exararet apographum, quod suis auctum in locum autographi Moysis succederet, potuit illud e Moysis stilo, qui fortasse tum esset archaicus neque satis perspicuus, transferre in stilum suum, ita ut iam unus esset et apographi stilus et collectoris. Haec fieri potuere, haec facta non esse nullum nobis est ius affirmandi; haec horumve similia si facta esse adstruantur, plene explicant factum, eundem nunc esse stilum collectoris cap. 12-26 et scriptoris cap. 5-11.

b. De stilo deuteronomico.

4. Quo stilo descripta esse censentur Deut. 1-11; 28,1-31,13. Quorum distinguere oportet *pericopas historicas* et *pericopas morales*. Siquidem prioris orationis Moysis pars longe maior tota est historica, secundae orationi historica plura intersperguntur. Sed de horum stilo dicemus extrema Introductione. Ubi ostendemus, oratorem oppido notam habuisse narrationem Ex.-Num., quam repetat modo iisdem expressionibus, quibus eadem facta aut alia facta analoga referuntur Ex.-Num., modo expressionibus suis propriis. Restat, ut de pericopis moralibus agamus. Plurima critici statuunt *idiomata*, i. e. expressiones quae huius scriptoris sint aut unice propriae aut magis propriae; quibus attente perpensis, atque toto simul textu lustrato atque gustato, patefiat alium prorsus esse stilum deuteronomisticum a stilo Gen.-Num. Artem haec omnia spectant potius quam scientiam, sentiuntur magis quam demonstrantur; hinc variorum varia iudicia. Nos primum idiomata illa discutiemus, postea exponemus, quid illis demonstrari posse et demonstrari iudicemus.

Idiomata, uti alii, ordine alphabetico describimus; ubi una expressio pluribus constat vocibus, vocem potissimam eo, qui ei alphabetice competit, loco inserimus. Textus variarum partium Deut. interiectis *lineolis* separamus, quo evidens fiat, ubi vox frequentius, ubi rarius adscribatur, v. g: לב 4,29; — 6,5; 10,12; 11,13; — 13,3 (4); — 26,16; — 30,2. 6. 10. Occurrit sc. ea vox in prima oratione, in secunda oratione ante collectaneum, in collectaneo, in verbis Iosue, in iis quae post haec verba leguntur.

1. אבה, *promptum esse* 1,26; 2,30; — 10,10; — 13,8 (9) cum adscripto לו; 23,6; 25,7; — 29,20 (19). Item Ex. 10. 27; Lev. 26. 21. Praeterea quater in Iud., decies in 1 et 2 Reg., etc. Tres priores textus habentur in pericopis historicis. Nequit affirmari vox esse idioma.

2. אהב, *diligere* 4, 37; — 5,10; 6,5; 7,8 sq. 13; 10,15; 11,1; — 13,3(4); 19,9; 23, 5(6). Dilectio hominis in Iahven habetur in *utroque decalogo* (Ex. 20,6), evolvitur in *pentalogo*, quem respiciunt 11,1; 13,3(4); 19,9. Ex dilectione hominis in Iahven consequitur Iahvae in hominem dilectio, quam explicat *pentalogus* 7,8 sq. 13, respiciuntque textus 4,37; 10,15; 23,5(6). Ceterum tres textus collectanei videntur tribuendi esse collectori.

3. אוה, *desiderare*, in expressione בכל אות נפש, *pro animae desiderio*. Quae 12,15. 20.21 scribitur de desiderio legitimo carnium, 18,6 de desiderio adeundi sanctuarium. Habentur hi textus in duabus legibus affinibus; tres priores textus unum sunt, cum de eadem re in eodem documento agant; vox secus in V. T. habetur quater. Expressio certe non est idioma deuteronomicum, neque dici potest idioma collectanei.

4. איכה, *quomodo* 1,12; — 7,17; — 12,30; 18,21; — 32,30. E qua forma abbreviatione orta est forma frequentior איך : sed facile potuit *scriba* aut omittere ה finale, aut exprimere lineola superducta (p.110) praecedenti כ, quam postea librarii neglexerint. Nihil certe efficiunt illi duo textus 1,12; 7,17.

5. אכל, *manducare*, in expressione אכל ושבע, *manducare et saturari* 6,12(11); 8,10.12; 11,15; — 14,29; 26,12; — 31,20. Item Ex. 16,12 (cf. v. 8). Reliqui thorae textus repetunt et amplificant id, quod habet *pentalogus* 6,12(11). — Altera expressio *manducare coram Iahve* in Deut. habetur solummodo in collectaneo 12,7; 14,23.26; 15,20.

6. אלהים

a. in formula frequentissima « *Iahve Deus tuus* », « *noster* », « *vester* ». Est ipsa formula, quae totius *decalogi* (Ex. 20, 2; Deut. 5,6) fundamentum est : « Ego Iahve Deus tuus ». Est argumenti, non stili idioma.

b. אלהים אחרים, *dii alieni* 5,7; 6,14; 7,4;8, 19; 11,16.28; — 13,2.6.13 (3.7.14); 17,3; 18,20; — 28,14.36; — 28,64; — 29,26(25); 30,17; — 31,18.20. Expressio habetur in *utroque decalogo* (Ex. 20,3) et in *pentalogo*, etiam Ex. 23,13; 34,14.

7. אמה, *ancilla* 5,14.21(18); — 12,12.18; 15,17; 16,14. Vox habetur in *utroque decalogo* (Ex.20,10). Quod vero 28,68 scribatur שפחה, inde sufficienter explanatur, quod secundum 1 Reg. 25,41 אמה sit terminus nobilior quam שפחה, Deut. 28,68 vero agatur de abiecta servitute.

8. אנף, hithpael *irasci* 1,37; 4,21; — 9,8. 20. Hithpael secus habetur in V. T. bis, et vox videtur esse poetica.

9. ארך, *longum esse*, in expressione האריך ימים, *longaevum esse* 5,16.33(30); 6,2; 11, 9; — 17,20; 22,7; 25,15. Expressio habetur in *utroque decalogo* (Ex. 20,12) et in *pentalogo*.

ארץ v. נתן.

10. אשר significatione *ideo*, *ut* 4,10.40; — 6,3; — 32,46 (cf. Ios. 3,7); significatione *si* 11, 27; significatione *quando* 2, 22; — 7,19; 11,6. Vox non est per se pronomen relativum, sed vox relativa, quae pro contextu sensum induit modo pronominis, modo variarum coniunctionum. Non cernitur in hoc speciale idioma.

11. אתה, in expressione אתה וביתך, *tu et domus tua*, i. e. tota familia 12,7; 14,26; 26,11 et, aliis additis, 12,12.18; 16,11.14 : ergo in solo collectaneo.

12. בחר, *eligere*. Ex. 14,7 de curribus lectis, 17,9 et 18,25 de iuvenibus lectis, hinc Deut. 32,25 בחור simpliciter iuvenis. In prioribus libris non scribitur de electione *populi*, sed Num. 16,5.7 de electione Aaron prae Core ad *sacerdotium*; 17,5 (20) de eadem miraculo virgae comprobanda. Porro de *sacerdotibus* vox scribitur in *legibus* Deut. 18,5; 21,5; — de *loco sacerdotii exercendi* in *legibus* 12,5.

11.14.18.21. 26; 14,23.24.25; 15,20; 16,2.6.7.11.15.16; 17,8.10; 18,6; 26, 2 et, post collectaneum etiam 31,11. (Cf. 23,16 [17] servum sibi eligentem locum, ubi habitet). Quae omnia (praeter 31, 11) habentur in *collectaneo* atque ad summum hoc demonstrant, legum auctores seu novellarios novisse Num. 16 sq., quod lubentes concedimus. De *rege*, qui et ipse uti sacerdotes ungitur, scribitur בחר in *lege* 17,15. De *populo* vero scribitur vox non solum in *lege* 14,2, sed item 4,37; 7,6.7; 10,15. Igitur *pentalogus* 7,6 sq. itemque collector 14,2 derivant populi *electionem* ex eiusdem *sanctitate*; quod pentalogus deducit, id repetit pentalogi paraenesis-10,15; oratio 1,6-4,40, quae tempore post promulgatum pentalogum habebatur, *electionem* derivat ex Iahve *dilectione*. In quibus omnibus nullus deprehenditur usus loquendi characteristicus Deut., sed ad summum legitima plane evolutio seu applicatio idearum.

13. בית עבדים. De *domo servitutis* educitur Israel 6,13(12); 7,8; 8,14; — 13,5.10 (6.11). Cf. Ex. 13,3.14. Expressio habetur in *pentalogo* bis et in *utroque decalogo*.

14. בער, *exterminare* 19,13; 21,9; 26, 13 sq. Praeterea *exterminabis malum de medio tui*, inflicto sc. supplicio lege statuto, 13,5(6); 17,7.12; 19,19; 21,21; 22,21. 22.24; 24, 7. Cf. Iud. 20,13. Hic terminus *legalis* est idioma collectanei.

15. ברית, in expressione ארון ברית יהוה, *arca foederis Iahve* : 10,8; 31,9.25. Ut dicatur arca *foederis* Iahve in thora foederis foederisque historia, facile explicatur, uti etiam eandem vocem adscribi quibusdam locis, ubi arcae potissimum sanctitas extollitur : Num. 10,33; 14,44; Ios. 3,3; 4,7.18; 8,33. Alibi brevius dicitur *arca Iahve* : Ios. 3,13 etc.

16. גדל, *magnitudo* Dei 3,24; — 5,24(21); 9,26; 11,2; — 32,3. Etiam Num. 14,19; secus septies in V. T. : videtur esse vox poetica.

17. גדע, *caedere* idola 7,5; — 12,3. Praeterea in libris historicis sexies, in poeticis decies quater, vox poetica potius et rarior. Unicus textus non facit idioma.

18. גר, in expressione *advena, pupillus et vidua* 10,18; — 24,17.19.21. — Textus, unico excepto, omnes sunt collectanei, quod etiam 14,29; 16,11.14; 26,12 sq. in locum *advenae* sufficit pauperem *Levitam*. Erant reapse aliquae leges ferendae in favorem harum trium classium miserorum, neque video, quibus nominibus eae aptius possent appellari quam nominibus גר יתום ואלמנה. Et cur expressio non repetatur e lege antiquiore Ex. 22,21 sq.?

19. דבק ב, *adhaerere* Deo 4,4; — 10,20; 11,22; — 13,4(5); — 30.20. Vox 10.20 (etiam 13,4) scribitur synonyma *timendi*, 11,22 et 30,20 synonyma *diligendi*. Sc. orator, evolvens magnum praeceptum diligendi Dei, varia congerit synonyma (*timere, servire* etc.), et etiam synonymum *adhaerere*, quod est aptissimum. Est haec legitima explicatio pentalogi, non idioma deuteronomicum. Idem verbum 13,17(18) sensum habet haerendi manibus; 28,60 dicitur de morbo contagioso, Gen. 2,24 et 34,3 de uxore, Gen. 19,19 de infortunio, Num. 36,7.9 de possessione, Ruth 2,8.21.23 de sociis.

20. דבר, in expressione (כ) אשר דבר יהוה, *sicut* vel *quod locutus est Iahve* : 1,1.21; — 6,3.19; 9,3.10.28; 10,4.9; 11, 25; — 12,20; 15,5(6); 18,2; — 26.18 sq. Moyses ex universis actis Iahve derivans practica monita, necessario debet appellare priora facta (9,10; 10,4; ubi cf. 12,20), statuta (10,9; 26.18 sq.; ubi cf. 18.2), promissa (1,11.21; 6,3.19; 9,3.28; 11,25; ubi cf. 15,5); id non poterat facere formula aut planiore aut breviore ea, de qua agimus. Habetur ea etiam in *pentalogo* (6,3.19) et, praeter collectaneum, etiam in verbis Iosue (26,18 sq.).

21. דגן, in expressione דגנך ותירשך ויצהרך, *frumentum tuum et mustum tuum et oleum tuum* 7,13; 11,14; — 12,17; 14,23; 18,4; — 28,51. Notat *Dr.* (ad 7,13)

designari fructus recentes : דגן, non חטים; תירוש, non יין; יצהר, non שמן. Quare haec 7,13 componuntur cum fructibus uteri, qui utique recentes sunt. Expetuntur eadem benedictionibus 33,28 et Gen. 27,32.37 (ubi omittitur יצהר). Sicut haec tria recentia Num. 18,12 (cf. v.27) deferri iubentur ad sanctuarium, ita eadem apud sanctuarium comedi praecipit collectaneum 12,17; 14, 23; 18, 4.

22. דם נקי, *sanguis innocens* 19,10.13; 21,8 sq.; — 27,25. Textus omnes collectanei et verborum Iosue.

23. דעת, in expressione בבלי דעת, *inopinato*. Textus 4,42 habetur in glossa, quae in textum irrepsit, et 19,4 habetur in collectaneo.

24. הלך, *ire*, in expressionibus *ire post Iahve* 13,4(5), *ire in viis Iahve* 5,33(30); 8,6; 10,12; 11,22; — 19,9; — 26,17; — 28,9; — 30,16 (cf. Ios. 22,5), et *ire post deos alienos* 6,14; 8,19; 11,28. Olim (Gen. 6, 9; 17,1) sancti viri ambulabant (התהלך) *cum* vel *coram* Iahve; in deserto ibat populus *post* Iahven in arca praeeuntem. Expressionem *ire post Iahve* notam dixerim in deserto, licet praeter 13,4(5) in pentateucho non legatur. Sed habetur, etiam in *pentalogo*, expressio correspondens *ire post deos alienos*. Cf. Ex. 34,15 sq.; Lev. 20, 5 expressionem זנה אחרי, *fornicari post*. Cum expressione *ire in viis Iahve* cf. Ex. 18,20 : « docebit eos viam, qua ibunt », sc. viam mandatorum. Reapse planiores his tribus expressionibus haud reperies ad eos sensus exprimendos.

25. זולתי, *praeter* 1,36; 4,12. Praeterea semel in Iosue, sexies in sequentibus libris.

26. זכר, *meminisse*, in expressione *Memento, quod servus fueris in Aegypto etc.* Imperativum זכור habes in priore *decalogo* Ex. 20,8 (cf.13,3), totam formulam habes in altero *decalogo* Deut. 5,15; quatuor textus 15,15; 16,12; 24,18.22 ostendebamus a collectore insertos esse collectaneo. Certe non habetur idioma deuteronomicum, sed ad summum idioma decalogi.

27. חוס, *misereri*; in formula *non misereatur oculus tuus* : 7,16; — 13,8 (9); 19,13. 21; 25,12, sc. ter *extremis* legibus, ubi formula inculcat severam quorumdam scelerum punitionem. Ob unicum textum 7,16 nequit dici deuteronomica.

28. חזק, *confortare*, in expressione חזק ואמץ, *confortare et esto robustus* 3, 28; — 31,6 sq.; — 31,23. Cf. Ios. 1,6.7.9, quae omnia a Iahve vel Moyse dicuntur ad *Iosuen*; item Ios. 1,18, verba populi ad Iosuen; 10,25, verba Iosue ad populum. Quae verba primum Iosue veluti propria, imitatione quadam postmodum David videtur prolocutus esse ad Salomonem 1 Par. 22,13; 28,20, et Ezechias ad duces 2 Par. 32,7. Vox חזק frequentissima, etiam in Exodo. אמץ vox rara, cuius hiphil (obdurare) vide Deut. 2,30; — 15,7. Igitur illa formula characteristica est, non tam unius vel duorum librorum, quam unius personae Iosue.

29. חטא, *peccatum*, in expressione ויהי בך חטא, *et erit in te peccatum*, phrasis *legalis* collectanei 15,9; 21,22; 23,21(22) sq.; 24,15. Pro qua Lev. 19,17; 22,9; Num. 18,22.32 scribitur נשא חטא.

30. חקים, *statuta*, nunquam numero singulari. In Deut. passim. In collectaneo 12,1 in titulo, 16,12 in adscripta formula, 17,19 id epilogo rhetorice amplificato, quae omnia p.117 nos collectori attribuebamus. Expressionem, quae cap. 5-11 constanter repetatur, in collectaneo reperiri ter tantum, ibique attribuendam esse collectoris calamo, profecto non confirmat opinionem, eodem stilo exaratum esse et cap. 5-11 et collectaneum. Vox est idioma deuteronomicum.

31. חשק ב, *adhaerere* 7,7; 10,15; — 21,11. Cf. Gen. 34,8. Secus septies in V. T. Gen. 34,8 et Deut. 21,11 dicitur de affectu viri erga mulierem; 7,7 et 10,15 de affectu Dei erga Israelem, ergo de affectu quadamtenus maritali. Cf. quae dicebamus n. 19 (דבק ב).

32. יד, *manus*, in expressione ביד חזקה ובזרע נטויה, *in manu forti et brachio extento*, quae habetur in *altero decalogo* 5,15 et partim in *pentalogo* 6,21; 7,8. De qua vide, quae dicturi sumus initio commentarii in Deut. 6.

33. ידע, *scire*, in expressione *deos*, *quos non novisti* 11,28; — 13,2.6.13 (3.7.14). Rem illustrat canticum Deut. 32,17. Ex. 5,2 ait Pharao, se *non novisse Iahve*. Portenta Aegypti facta sunt, ut *noscant Iahve* Aegyptii itemque Hebraei. Igitur nostra expressio Iahve noto opponit deos ignotos.

34. ימים, *dies*, in expressionibus

a. אשר יהיה בימים ההם, iudex vel pontifex, *qui fuerit in diebus illis* 17,9; 19,17; 26,3. Cf. Ios. 20,6, quocum textu cf. Num. 35,25.28. Igitur ante collectaneum expressio non reperitur.

b. כל הימים, *omnibus diebus* 4,40; — 5,29(26); 6,24; 11,1; — 12,1; 14,23; 18,5; 19,9; — 28,29.33. Cf. Gen. 43,9; 44,32; 1 Reg. 2,32.35; 18,29. Cf. etiam Deut. 17,19 « omnibus diebus vitae tuae ». Textus collectanei omnes sunt de numero eorum, qui commode collectori tribui possunt auctori. In Deut. expressio semper scribitur de obsequio, timore, cultu Iahve : potest dici e *pentalogo* fluxisse, qui eam habet 6,24. Expressio *omnibus diebus* a Moyse semper scribitur in oppositione ad aliquod *hodie*. 4,40 pro observatis mandatis traditis *hodie* promittitur possessio terrae sanctae *omnibus diebus*; 5,29 obedire iubentur *semper*, ut prospere agant *in aevum*; 6,24 « ut bene sit nobis *omnibus diebus*... sicut *hodie* »; v. 11,1 *omnibus diebus*, v. 2 *hodie*. Habetur idioma non tam expressionis, quam argumentationis, argumentatio valde probata oratori, qui comparat temporanea permanentibus. Cui argumento non tantopere insistitur Ex.-Num.

c. כיום הזה *sicut hodie* 2,30; 4,20.38; — 6,24; 8,18; 10,15; — 29,28 (27). Verterem gallice « ce qui est un fait accompli ». Quaedam summi momenti divina facta demonstrantur esse « des faits accomplis », seu esse *vere* facta; quam argumentationem non habes Ex. - Num., sed plurimum apta illa erat extremis alloquiis Moysis, ut demonstraret, quid promissionum iam cerneretur oculis impletum, atque ita fiduciam augeret. Sic factum cladis Sehon 2,30 demonstratur vere esse factum; 4, 20 Israelis electionem iam vere cerni factis comprobatam. Demonstratur 4,38 factum exodi aegyptiacae, ubi expressio non ad solum v. 38, sed ad v. 36-38 refertur; 6,24 factum prosperitatis, qua Israelitae fruentur, quo tempore 6,24 pater filium alloquetur; 8,18 factum providentiae divinae in deserto; 10,15 factum Iamoris sraeli in patriarchis exhibiti; 29,28 factum Israelitarum infidelium in exsilium eiectorum, quod erit completum, quo tempore aliqui verba v. 28 proloquentur.

35. יטב, *bonum esse*, in expressionibus

a. למען ייטב לך (vel אשר), *ut bene sit tibi* 4,40; — 5,16.33(30); 6,3.18; — 12, 25.28; 22,7. Cf. Gen. 12,13; 40,14. Expressio in *altero decalogo* adscribitur benedictioni Ex. 20,12 promissae iis, qui parentes honoraverint, ut intelligatur illa longaevitas non esse caritura prosperitate. Solemniter adscribitur 4,40 extremae paraenesi, 5, 33 extremo praeambulo, habetur in *pentalogo*. Cuius rationem pandit textus 6,18 : fac *bonum*, ut *bene* sit tibi. Excellentia terrae promissae enuntiatur expressione brevissima simul et simplicissima הארץ הטובה, *terra bona*. Qua utebantur Iosue et Caleb Num. 14,7, quorum effatum appellat Moyses Deut. 1,25. 35; inde expressionem repetit 4,21 : — 6,18 in pentalogo; 8,7.10; 9,6; 11,17. Sed tota terrae sanctae prosperitas 26,11 vocatur כל הטוב, *omne bonum*; benedictiones et maledictiones universae 30,15 audiunt *bonum et malum*; 28,12 Iahve, dum eas benedictiones largitur, « aperit thesaurum suum, omne bonum ». Plures in

terra promissa res affirmantur esse *bonae*, v. g. urbes 6,10. Verum Israelitam vicissim oportet facere *bonum*, quod universim constat observatione omnium mandatorum (4,40; 5,29; 6,3; 12,28), speciatim observatione aliquorum mandatorum (5.16; 22,7; 12,25). Quod si fecerit, *bene* ei erit. Perspicis in his non tam haberi idioma sermonis, quam unam ideam unumque argumentum. Si quaeras, habeaturne idioma in ipso verbo יטב, difficile concesserim verbum radicis usitatissimae aliquo tempore in desuetudinem abiisse. Non utique habetur idioma certum.

b. הטיב, sensu adverbiali *diligenter* 9,21; — 13,14(15); 17,4; 19,18; — 27.8. Scribitur 9,21 et 27,8 de labore mechanico (uti etiam 4 Reg. 11,18), in collectaneo de inquisitione iuridica. In collectaneo igitur est terminus technicus legalis. Secus in V. T. sensu adverbiali non legitur.

36. יכל, *capacem esse*. Expressio לא תוכל seu לא יוכל sensu evidenter legali *non licet* habetur in collectaneo 12,17; 16,5; 17,15; 21,16; 22,3.19.29; 24,4. Sensu non legali *non vales* habetur eadem 7,22, eodem plane sensu atque Ex. 2,3; 7,21; 15,23; 18,23 etc., etc.

37. יצא, *exire*, in frequentissima formula *qui eduxi* (*eduxit*) *te de terra Aegypti*. Cf. quae dicturi sumus initio commentarii in cap. 6. Quam capiti inscriptam praefert *uterque decalogus* Ex. 20,2; Deut. 5,6. Alter decalogus adscribit 5,15 pro motivo observandi sabbati. Beneficium tam illustre inculcat *pentalogus* 6,13 extremo primo e quinque mandatis; praecipit 6,21, ut patres inculcent filiis; constanter inculcant orationes et modis omnibus illustrant.

38. נצב, hithpael התיצב בפני, *stare contra* 7,24; 11,25. Ios. 10,8; 23,9 עמד לפני: Cf. *Dr.* ad 7,24. Sed Deut. 9,2; Ios. 1,5; 24,1 לפני : facile commutaverit scriba aliquis ל et ב.

39. ירא, *timere*, in expressionibus

a. אל תירא vel לא תירא, *ne timeas* 1,21; — 20.1.3; — 31,6.8. Cf. Ios. 8,1; 10, 25; 11,6. Eandem expressionem habet Num. 21,34, quae verba repetens Deut. 3,2 addit אתו; et Deut. 7, 18; 20,1 addit מהם. Ergo non satis constat, eam expressionem carentem sequente את vel מן esse idioma deuteronomicum.

b. ליראה, *ad timendum* 4,10; — 5,29(26); 6,24; 8,6; 10,12; — 14,23; 17.19; — 28,58; — 31,13. Textus collectanei ex iis sunt, qui probabiliter tribui possunt collectori. In posterioribus libris quinquies. Concedi potest expressio esse idioma deuteronomicum; nota tamen, eam haberi in *pentalogo*.

40. ירש, *possidere*

a. לרשת, *ad possidendum*. Scribitur *dare* ad possidendum 3,18; — 5,31(28); 9,6; 11,31; — 12,1; 15,4; 19,2.14; 21,1; 25,19; etiam Lev. 20,24; Num. 33,53; — *ire* ad possidendum 4,5; — 7,1; 9,1.4.5; 11. 10.29; — 28,21; — 28,63; — 30.16. 18; — *incipere* possidere 2,31; — *transire* ad possidendum 4,14.26; — 6.1; 11. 8.11(10).31; — 31,13. Cf. Lev. 25,46 *transmittere* (התנחל) possessionem. Habetur igitur in *pentalogo*, ipso initio 6,1, et initio quinti mandati 7,1; item initiis paragraphorum vel legum 9,1; 11,10; 12,29; 19,2; 21,1. Intelligitur expressio, quae in ipsa pentalogi fronte legitur, saepius in paraenesibus et a collectore esse repetita. Concedi tamen potest esse idioma deuteronomicum.

b. ירש *coordinatum* α) verbo *dare* 1.39 (cf. Num. 27.11); β) verbo *ire* 1,8; 4,1; — 6,18; 8.1; 10.11; 11.8; —17,14; 26,1; — 30.5 (cf. Num. 14,24); γ) verbo *transire* 4,22; — 11,31; δ) verbo *ascendere* 1,21; (cf. Num. 13.30). — *Absolute* 2,12.21 sq. (quae sunt Antiquarii); 2,24; 3.20; — 4.47 (in inscriptione); — 5,33 (30); 7.17; — 12.2.29; 16,20; 18,14; 19,1; — 28,42; — 30.5; 31,3; — 33, 23 (cf. Ex. 15.9; 34,24; Lev. 20,24; Num. 21,24.35; 36,8).

c. הוריש, *possessione privare* 4,38; — 7,17; 9,3.4.5; 11, 23; — 18,12. Cf. Ex. 15,9; 34, 24; Num. 14,12; 21, 32; 32,21.39; 33, 52.55; cf. etiam Num. 14, 24; 33,53. — Verbum ירש habent utique libri priores, sed *longe rarius* quam Deut.; extrema libri bipartiti 31,14-34,12 verbum habent semel tantum 33,23. Rarissima in prioribus libris est forma לרשת, quae in Deut. est frequentissima; frequentius hiphil, quod in Deut. minus frequens est. Usus huius verbi accensendus est idiomatibus deuteronomicis.

d. ירשה, *possessio* 2,5.9.12.19; 3,20. Secus septies in V. T., et cf. Num. 24,18.

41. ישר, *rectus*. Ipse Deus 32,4 est *rectus*. Faciendum est, quod *rectum* est *in oculis Iahve* 12,25; 13,18 (19); 21,9 (cf. Ex. 15,26), vel quod *rectum et bonum* est 6,18; — 12,28, non vero quod *rectum* est *in oculis propriis* tantum 12,8; — cf. Iud. 17,6; 21,24(25); cf. item Ios. 9, 25; 2 Reg. 19,6(7). Reges, in fine annalium suorum, dicuntur fecisse vel non fecisse rectum. Vox et idea, quam exprimit, videntur altissime insedisse hominum mentibus aevo iudicum et aevo illud aevum consequente; est tamen idea ex maxime obviis, et vox praeter pentalogum reperitur etiam in Exodo.

42. ישראל, in expressionibus

a. *Audi Israel* 4,1; — 5,1; 6,3.4; 9,1; — 20,3; — 27,9. Nota in Deut. haberi Moysis conciones ad populum habitas maxime solemnes, in Ex.-Num. fere solas promulgatas leges a Iahve acceptas, quae praefixis vocibus « Locutus est Iahve ad Moysen » sufficienter sollicitabant attentionem. Nota item, in apostasia cadesiana illud evidenter patuisse, Israelem antea non sufficienter audivisse Moysen. Haud mirum, eum, qui aliquando etiam coelum et terram ut audirent invitavit, in supremis concionibus solemnibus verbis sollicitasse populi attentionem. — *Israel* (sine *audi*) solummodo 1,38.

b. *Omnis Israel*, quae expressio non utique habetur in pentalogo; ad quam cf. *Dr.* ad Deut. 1,1, qui textus ceteroqui non est proprie deut[cus]. Legitur expressio 1,1; — 5,1; — 27,9; — 29,2(1); 31,1; — 32,45; praemissa praepositione *coram* 31,7.11; — 34,12; tamquam subiectum sententiae 13,11(12); 21,21; — 31,11 et saepe in Ios.; praemissa voce *in medio* 11,6, vel *de medio* 18,6, cui omnino correspondet Ex. 18,25 (cf. Num. 16,34). Vides expressionem, praeter collectaneum, reperiri non solum in orationibus, sed etiam in extremis actis vitae Moysis. Recole, multis illis prope Cadesam annis non fuisse Moysi integrum universum Israelem alloqui, quod tribus in castra inimica essent discissae. Estne mirandum, post restitutam concordiam frequentius adhiberi expressionem *omnis Israel?* Cf. Num. 20, 30(29) « omnis domus Israel ».

Non plane eadem est expressio 11,6 « in medio Israel », de Dathan et Abiron scripta: cf. Num. 16,34 « omnis Israel, qui erant circa eos »; — neque Deut. 18,6 expressio « de medio Israel »; cf. Ex. 18,25, ubi « viri de omni Israel » non totum populum significat.

c. *Filii Israel*. Haec appellatio, quae libris praecedentibus est frequentissima, exsulat a documentis mosaicis Deut. Habetur in inscriptionibus 1,3; 4,44.45.46, in glossa 10,6, in subscriptione 29,1(28,69); dein in extremis libri bipartiti 31,19. 22. 23; 32,8.51 (bis); 33,1; 34,8.9. Est hoc sane magni momenti idioma, utique negativum. 3,18 « fratres vestri filii Israel » non sunt totus populus, sed cisiordanici oppositi transiordanicis.

43. כהן, *sacerdos*, in expressione כהנים הלוים, *sacerdotes Levitae*, in collectaneo 17,9; 18,1; 24,8 et in verbis Iosue 27,9; de qua suis locis dicemus. Alia omnino est expressio *sacerdotes filii Levi* 21,5; — 31,9. Nunquam in Deut., quod fiebat

Ex. - Num., vocantur sacerdotes *filii Aaron*, novit tamen Aaronem orator 9,20, itemque narrator 32,50. Praeter collectaneum, vix in Deut. sacerdotum mentio habetur.

44. כעס, hiphil *irritare* 4,25; — 9,18; — 31,29; 32,16. Habetur ergo in libro bipartito, licet non Gen. - Num.; in 3 et 4 Reg. habetur decies septies, item in aliis libris.

45. לב, *cor*. Haec forma, quae in praecedentibus libris fere sola usuvenit, habetur solum 4,11. Secus semper לבב, quod item habes Ex. 14,5; Lev. 19,17; 26.36.41; Num. 15,39. In mentem revoca pruritum, qui apud Hebraeos aliquando fuit, triliteralismi, i. e. radicum biliteralium transformandarum in triliterales. Potuit is efficere, ut radix etiam לב excreverit in triliteralem לבב, uti סב in סבב. Ergo diversitas formarum לב et לבב erit fortasse attribuenda non autographis sed apographis, erit idioma non scriptorum sed scribarum.

46. למד, *docere*. Kal 5,1; — 14,23; 17,19. Piel 5, 31 (28); 6,1; 11,19; — 20,18. Hoc verbum non scribitur Ex.-Num., sed הורה Ex. 4,12.15; 24,12; 35,34; Lev. 14,57.

47. מהר, *cito* 4,26; — 7,4.22; 9,3.12.16; 28,20. Cf. Ios. 2,5; Ex. 32,8 etc. Non est idioma.

48. מסות, *portenta* 4,34; — 7,19; — 29,3 (2). Secus bis in V. T.

49. מרה, hiphil *repugnare* 1,26.43; — 7,24; 9,7.23; — 31,27. Etiam Ios. 1,18; Ex. 23,21, praeterea decies quinquies in V. T.

50. נדח, kal *impingere* 20,19; hiphil *seducere* 13,5.10.13 (6.11.14); niphal *seduci*, *impingi* 4,19; — 19,5; 22,1. Omnes textus, unico excepto, sunt collectanei. Verbum non reperitur Ex. - Num.

51. נוח, *requiescere*, in expressione הניח ל, *requiem tribuere* 3,20; — 12,10; 25,19. Cf. Ex. 33,14; Ios. 1,13.15; 22,4; 23,1.

52. נחלה, *possessio* 4,21.38; 10,9; — 12,9.12; 14,27.29; 15,4; 18,1.2; 19,10; 20,16; 21,23; 24,4; 25,19; 26,1; — 29,8(7). Cum Chanaanitis sit « mons possessionis » (Ex. 15,17) a Iahve Israeli destinatus, datur in possessionem seu haereditatem, נתן נחלה (Deut. 4,21.38; cf. Num. 26,62), pro quo Num. 27,6(7) נתן אחזת נחלה et Deut. 32,49 נתן לאחזה et 29,8(7) נתן לנחלה. Ipse Israel est « populus haereditatis » (Deut. 4,20) vel « populus et haereditas » (9,26.29). Legitur igitur נחלה in documentis mosaicis septies, in collectaneo frequenter, ubi nunquam אחזה, quod habent 32,49 extrema libri bipartiti, et Lev. Num. frequenter. In hoc utique habetur idioma collectanei, et fortasse etiam idioma deuteronomicum.

53. נכר, *accipere*, in expressione נכר פנים, *accipere personam* 1,17; — 16,19. Prior textus est *legalis*, uti alter. Cum 10,17 נשא פנים, cf. Lev. 19,15.

54. נסה, piel *tentare* 4,34; — 6,16; 8,2.16; — 13,3(4); — 28,56. Cf. Ex. 15,25; 17,2.7; 20,20 etc. Non est idioma.

55. נשל, transitive *expellere* 7,1.22 (cf. Ex. 3,5); intransitive *labi* 19,5; — 28,40. Praeter haec in V. T. bis.

56. נתן, *dare*, in expressionibus

a. *terra, quam Iahve Deus tuus dabit tibi*, quae habetur in *utroque decalogo* (Ex. 20,12; Deut. 5,16), atque hinc (in locum *terrae* quandoque subintrantibus *portis* etc.) 1,20.25; 2,29; 3,20; 4,1.40; — 11,17.31; — 12,9; 13,12(13); 15,7; 16,5.18. 20; 17, 2.14; 18,9; 25,15; 26,2; — 27,2.3; — 28,8. — Affinis est expressio *terra, ad quam vos pergitis* 4,5; — 7,1; 11,10.29; — 23,20(21); — 28,21; — 28,63; — 30,16. In mandato Num. 34,2 terrae promissae distribuendae, habes אתם באים אל הארץ, unde facile nasci potuit sententia illa *pentalogi*, 7,1, atque e pen-

talogo transire in paraeneses. Pro בוא habes עבר in pentalogi inscriptione 6.1. atque item 4.14.26; — 11,8.10(11); 30,18; 31,13; — 32,47.

b. נתן לפני, quae expressio legitur

α. sensu *tradere in potestatem* 1,8.21; 2,31.33.36; — 7,2.23; — 23,14 15); — 28. 7.25; — 31,5; — cf. Ios. 10,12; 11,6; 3 Reg. 8,46. Secus ea non habetur hoc sensu. Priores libri (Ex. 23,31; Lev. 26,25; Num. 21,2. 34), item Ios. saepius habent hoc sensu expressionem נתן ביד, *dare in manum* : Deut. 1.27; 2.24.30; 3.2.3; — 7,24.

β. sensu *proponere* 4,8; — 11.26.32; — 30,1.15.19. Pro quo Ex. 15,25 (cf.19.7) שים לפני, quod item habes Deut. 4,44, in praeambulo secundae orationis. Mirum sane est, expressionem נתן לפני, illo duplici sensu acceptam, non reperiri in prioribus libris, idque eo magis, quod sit expressio plana et obvia. Dici poterit deuteronomica.

57. סיר, *deflectere*, in expressione *deflectere neque ad dexteram neque ad sinistram*. Expressio sensu literali habetur 2.27, uti item Num. 20,17, ubi tamen pro סור scribitur נטה. Sensu metaphorico, de deserenda via mandatorum, habetur 5.32 (29); — 17.11.20; — 28.14; — cf. Ios. 1,7; 23,6; 4 Reg. 22,2; 2 Par. 34.2. Solum verbum סיר sensu metaphorico habes Deut. 4,9; — 9.12.16; 11,16.28; 31.29; — item Ex. 32,8; Num. 14.9. Sensu literali Ex. 3,3.4; 8,7.25.27; 25.15; Lev. 13.58; Num. 12, 10; 16,26. *Dexteram et sinistram* habes Ex. 14.22.29; Num. 20.17; 22,26. Id, quod est Deut[1] characteristicum, non est expressio sed metaphora. Dum *iter* Hebraeorum 27 circiter annis Cadesae sistebatur, ferebantur sequelae *derelictae* viae mandatorum (Num. 20.17), obtrudebat se Moysis menti *via* illa *mandatorum*, tam accurate observanda, tam lugendo effectu derelicta, tam fausto in posterum eventu sequenda. Nihil mirum, eam metaphoram alte eius menti insedisse, et octies ab ipso verbis esse expressam.

58. סקל באבנים, *lapidare* 13,10(11); 17.5; 22,21.24. Cf. Ex. 8,26. etc. Est expressio solius collectanei, eaque legalis.

59. עבט, *mutuum dare* vel *mutuum accipere*, in collectaneo 15,6.8; 24.10.11.12.13, secus nusquam in V. T.

60. עין. *oculus*, in expressionibus

a. לעיניכם, *ante oculos vestros* (*nostros* etc.) 1,30; 4,6.34; — 6,22; 9.17; — 25,3.9; — 28.31; 29,2(1); 31,7; — 34, 12. Cf. Ex. 4.30; 7,20; Num. 25.6. Vox non est idioma.

b. אשר ראו עיניך, *quae viderunt oculi tui* 4,9; — 7,19; 10,21; — 29.3(2), et עיניך הראת, *oculi tui sunt, qui viderunt* 3.21; 4.3; — 11.7. Quas expressiones emphatice adhibet orator, appellans testes oculatos rerum maxime mirabilium : cladis Sehon (3.21), stragis in re Beelphegor factae (4.3), portentorum (et tentationum) in deserto factorum. Non sunt haec idiomata stili, sed a vehementia orationis proficiscuntur.

61. עם, *populus*, in expressionibus

a. עם סגלה, *populus peculiaris* et עם קדוש, *populus sanctus*. Quas expressiones Iahve Ex. 19.5 sq. praemiserat primo foederi, easdem praemittit Deut. 26.18 sq. Iosue suae orator foederis renovationi, repetit Moyses in *pentalogo* 7.6, iterumque secundam 28.9. Etiam 14, 2.21. Haec non sunt idiomata deuteronomica, sed evincunt foederis restitutorem et Iosuen optime perspectam habuisse narrationem instituti primum foederis.

b. העם, *populus* sc. Israel ita appellatur tantummodo in oppositione ad aliquem alium : 2.4; 4.10; 10.11 ad Moysen; 2.16 ad iuniorem generationem; 16.18 ad iudices; 17,16 ad regem; 18, 3 ad sacerdotes; 20,2 ad duces; 27, 1 ad seniores;

27,11 ad seniores et sacerdotes v. 1; 27,15-26 ad Levitas; 32,44 ad Moysen et Iosue. Vox frequentior Ex.-Num. et Ios. Sed in orationibus ad populum designatur populus generatim pronominibus et suffixis, in solemni alloquio nomine *Israel*; v. s. n. 42.

62. ערץ, *metuere* 1,29; — 7,21; — 20,3; — 31,6. Item Ios. 1,9. Secus tantum in libris poeticis, vicies bis. Fortasse expressio, qua Moyses utebatur ter tantum, postea obsolevit, ut nonnisi poetice scriberetur.

63. עשה, *facere*, in expressione מעשה ידים, *opus manuum*, *molitio*. Quae scribitur 2,7 de qualibet molitione, 14,29; 16,15; 24,19; — 28,12; — 30,9 de operibus agriculturae, 31,29 de molitione mala, uti omisso ידים Lev. 18,3. Cf. Ex. 34,10 מעשה יהוה. Secus vero Ex. 18,20; 26,1 etc. vox scribitur de solo artificio mechanico (sine ידים). Ceterum expressionem documenta deuteronomica habent ter tantum.

64. עת, *tempus*, in expressione בעת ההוא, *in tempore illo* 1,9.16.18; 2,34; 3,4.8. 12.18.21.23; 4,14; — 5,5 (qui textus est dubius); 9,20; 10,8. Cf. Num. 22, 4. Cuius expressionis ratio explicatur infra p. 177.

65. פדה, *redimere*, sensu proprio habes Lev. 27 etc., sensu ad liberationem aegyptiacam translato 7,8; 9,26; — 13,5(6); 15,15; 21,8; 24,18. Voci non metaphoricae *educendi* (הוציא) adscribit *pentalogus* 7,8 vocem metaphoricam *redimendi*; pentalogi metaphoram orator 9,26, dum 9,26-29 libere repetit Ex. 32,11-13, substituit verbo *educendi* Ex. 32,11 sq.

66. צוה, *mandare*, in expressionibus

a. *quae ego mando tibi* (*vobis*, vel sine pronomine) 4,2.2.40; — 6,2.6; 7,11; 8,1.11; 10,13; 11,8.13.22.27.28; — 12,11.14.21.28.32(13,1); 13,18(19); 15,5.15; 24,18. 22; — 27,1.4.10; — 28,1.13.15; — 30,2.8.11.16. Expressio censenda est derivari ex *altero decalogo* 5,12.16 « sicut mandavit tibi Iahve Deus tuus »; hinc transiit in *pentalogum*. Ubi Moyses 5,22-33 (19-30) demonstravit mandata a se prolata esse aequalis cum decalogo auctoritatis, mandata iam profert auctoritate sua : *ego mando vobis*. Expressio etiam habetur Ex. 34,11.

b. *Quare ego mando tibi* 15,11.15; 19,7; 24,18.22. Est haec formula legalis solemnior, quae non ante collectaneum reperitur, videturque fluxisse ex *altero decalogo* 5,15 : « idcirco mandat tibi Iahve Deus tuus ».

c. המצוה, *mandatum*, singularis collectivus 5,31(28); 6,1.25; 7,11; 8,1; 11, 8.22; — 15,5; 17,20; 19,9; 26,13. Non improbabiliter affirmatur המצוה 5,31; 6,1.25; 7,11 esse ex המצות corruptum. Id si negetur, habebitur fere idioma deuteronomicum. — Nota, nomen מצותי Ex. 20,6 et, in kethib, Deut. 5,10 punctari *plurale* (« mandata mea »), sed in keri ib. punctari *singulare* (« mandatum meum »). Quodsi reapse textum punctis antiquitus carentem ita, uti illud keri, interpretabantur lectores, exemplum habebis in ipso *decalogo* singularis collectivi המצוה.

67. קרב, *id quod intra est*, in expressionibus

a. בקרב, *in medio* 1, 42; 4,5; — 6,15; 7,21; 11,6; — 13,11.13 (12.14); 16,11; 17, 2.20; 18,2; 19,10.19; 21,8; 23,15.17(16.18); 26,11; — 28,43; — 29,10.15; — 31,16.17. Etiam Ex. 3,20; 8,22(18); 10,1; 17,7; 23,21.25; 33,3.5; 34,9.10.12; Num. 5,27; 11,4.20.21; 14,11.14.42. Adverte, textum 1,42 eundem esse atque Num. 14,42 : « Ne ascendatis, non enim sum in medio vestri ». Deum esse in medio Israelis habes item Ex. 33.3.5; 34,9; Num. 14,11.14.42; hinc Deut. 1, 42; — 7,21; — 23,15; — 31,17 et imprimis in textu perquam emphatico *pentalogi* 6,15. Unde videtur explicari, cur קרב frequentius legatur in Deut. quam Ex. - Num. Si quis tamen frequentem vocis usum iudicet esse idioma deuteronomicum, equidem non repugno.

b. בקרב, *de medio* 2,14.15.16; 4.3.34; — 13,5.13(6.14); 15,11; 17,7.15; 18,15.18; 19,19; 21,9.21; 22,21.24; 24,7. Item Ex. 31.14; Lev. 17,4.10; 18,29; 20.3.5.6.18; 23,30; Num. 14,13.44; 15,30.

In prioribus libris frequens vox תוך, quae absolute legitur Deut. 3,16. praefixo ב 11,3; — 19,2; — 32,51, praefixo אל in solo collectaneo 13,16(17); 21,12; 22,2; 23. 10(11) sq., praefixo מ 4,12.15.33.36; — 5,4.22.23.24.26 (19.20.21.23); 9,10; 10,4. Ceterum hi textus, praefixum habentes מ, non sunt idioma, sed repetitio solemnis facti Ex. 24,16 sq. (cf. 3,2.4).

68. רעה, *malus*.

a. Facere, quod *malum* est *in oculis Iahve* habes 4,25; — 9,18; — 17,2; — 31,29; — cf. Num. 32,13; Iud. 2,11; 3,7.12 (bis); 4,1; 6,1; 10,6; 13,1 etc. Facere *sicut hoc verbum malum in medio tui* habes Deut. 13,11(12); 17,5; 19,20. Cf. similes expressiones רע בעיני Num. 11,10; 22,34, et רע באזני Num. 11,1. Igitur expressionem eandem vel fere eandem habes in collectaneo quater, in oratione quaque deuteronomica semel, in narratione actorum Moysis semel : non est ea Deut[1] idioma, sed collectanei, librorum Iud. et Reg.

b. Ei autem expressioni unico in singulis orationibus textu (4,25; 9,18), et praeterea 31,29 adscribitur להכעיסו, *ad vexandum eum*. 4,25 et 31,29 considerandi sunt tamquam textus unus, referuntur quippe ad eandem invocationem coeli et terrae. Verbum כעס habes in cantico 32,16.21, et nomen כעס 32,19.27 : videtur eius vocis nativus locus esse canticum, intuitu cantici eadem scribebatur in praeambulo cantici 31,29 itemque 4,25. Non igitur potest ea affirmari esse deuteronomica. Cf. Iud. 2,12; 1 Reg. 1,6; 1,7 etc. itemque 1 Reg. 1,16 etc.

69. רק, *tantummodo* : decies in collectaneo, decies in reliquo Deut., decies in Genesi, novies in Exodo, semel in Numeris. Ea vox non est idioma deuteronomicum.

70. שמח, *laetari*, in expressione *laetari coram Iahve* 12,7.12.18; 14,26; 16,11. 14; 26,11. Haec omnia in collectaneo, quibus accedit 27,7 in verbis Iosue.

71. שבע, cuius niphal est terminus maxime proprius ad exprimendum *iuramentum*; adhibetur igitur in omnibus libris, quando de iuramento agitur. Id quod est Deut[1] characteristicum, est frequens usus non *vocis* illius, sed *ideae* quae voci subest. Quae idea ea voce exprimitur, quoties id exigit argumentum oratoris, quoties sc. ille demonstrat

a. terram, quam iuramento promisit Iahve Israeli : 1,8.35; — 6,10.18.23; 7,13; 8,1; 10,11; 11,9.21; 28,11; — 19,8; 26,3.15; — 31,23; 34,4;

b. fidelitatem Iahve, qui a iuramento non resilit : 4,31; — 7,8.12; 8,18; 9,5; 29,13(12); 30,20; 31,7; — 13,17(18).

Quis non videt, has ideas debuisse Moysen frequentius inculcare in suis orationibus valedictoriis? Rarius habentur in collectaneo, quod non est oratoris, sc. bis in legibus Deut. 26, quae ipsum terrae promissae ingressum respiciunt; et praeterea bis.

72. שכח, *oblivisci* 4,9. 23; — 6,13(12); 8,11.14.19; 9,7; — 25,19; 26,13. Cum quibus duobus collectanei textibus cf. 24,9 : sunt enim haec tria eiusdem generis et a collectore adscripta. Memoria mandatorum et pacti sunt unum e capitibus, quae maxime inculcat pentalogus 6,6-9 : ergo haud mirum, cum 6,13(12) uti verbo שכח, quod maxime proprie exprimit *oblivionem*, illudque repeti sexies 4,9.23; 8,11.14. 19; 9,7. Cf. Gen. 27,45; 40,23; 41,30. Sed Ex.-Num. de *oblivione* vix agitur : cf. Lev. 5,3 sq. Ergo vox שכח nequit certo statui esse idioma deuteronomicum.

73. שכן, *habitare*. Expressio *ut habitare faciat nomen suum ibi* legitur in solo

collectaneo 12,11; 14,23; 16, 2.6.11; 26,2. Pro שכן 12,5.21; 14,24 subintrat שום. Ex.-Num. *habitat* Iahve Ex. 25,8; 29,45.46; Num. 5,3; 35,34; — gloria Iahve Ex. 24,16; — nubes Ex. 40,35; Num. 9,17.18.22; 10,12.

74. שלח, *mittere*, in expressione משלח יד, *molitio* 12,7.18; 15,10; 23,20(21); — 28. 8.20. Secus nusquam in V. T.

75. שמד :

a. hiphil, *destruere* : 1,27; 2,12.21.22.23; 4,3; — 6,15; 7,4.24; 9,3.8.14.19.20.25; — 28,48.63; — 31,3.4. Cf. Lev. 26,30; Num. 33,52; Ios. 7,12; 9,24; 11,14.20; 23.15; 24,8;

b. niphal, *destrui* : 4,26; — 7,23; — 12,30; — 28,20.24.45.51.61; — 33,27. Cf. Gen. 34,30.

Vox potest dici a collectaneo exsulare, cum 12,30 fortasse sit a collectore adiecta. Verbum, quod Lev. 26,30; Num. 33,52 praedicabatur de idolis destruendis, *pentalogus* 6,15; 7,4 praedicat de Hebraeis idololatris destruendis; verbum hoc pentalogi repetunt deinde paraeneses. Nota, idem verbum haberi in benedictionibus 33,27.

76. שמע, sensu *obediendi* :

a. שמע בקול 1,45; 4,30; — 8,20; 9,23; — 13,4.18(5.19); 15,5; 21,18.20; 26,14; — 26,17; 27,10; — 28,1.2.15.45; — 28,62; — 30,2.8.10.20. Cf. Ex. 4,1; 5, 2; 18,19; 19,5; 23,21 sq. etc. שמע לקול habetur Ex. 3,18; 4,9; 15,26; 18,24. Cum Ex. 15,26 compara 19,5, quibus locis plane synonyme scribitur שמע לקול et שמע בקול. Idem autem esse שמע בקול et שמע אל, collige e Deut. 13, 3.4. 8.18(4.5.9.19), quod unum caput, et e Deut. 21,18, qui unus versus utramque expressionem habet.

b. שמע אל 3,26; 4,1; — 9,19; 10,10; 11,13.27.28; — 13,4.9(5.10); 17,12; 18,14. 15.19; 21,18; 23,5(6); — 28,13; — 34,9. Cf. Ex. 6,9.12.30; 7,4.13.22; 8,11.15; 9,12; 11,9; 16,20 etc. Compara שמע ל Ex. 4,8; Lev. 26,14.18.21 sensu *obediendi;* item Deut. 4,1; 5,1, ubi שמע אל חקים et שמע את חקים synonyme scribuntur de *audiendis* mandatis.

שמע קול (4,33; — 33,7) vel שמע את קול (4,36; — 5,23[20] sqq.; 18,16; 26,7) potius dicit audire *sonum*. Cf. Ex. 22,23(22); 32,18 etc. Tamen ad intelligendum quoque *sensum* refertur Deut. 1,34; — 5,28(25).

Quominus in his idioma aliquod stili agnoscamus, cohibemur ea primum ratione, easdem expressiones alias etiam, imprimis in Ex., frequenter legi; potissimum vero, quod gratuito plane nobis videatur supponi, textum hac in re non esse passum mutationes. In qua re facilius scribae genio erant obsecuturi, quam ut verbo שמע adscriberent modo ל, modo אל, בקול, לקול?

77. שמר, *custodire*, in expressionibus

a. השמר לך, *cave tibi* (*vobis*, vel sine pronomine) 4,23; — 6,13(12); 8,11; 11,16; — 12,13.19.30; 15,9. Cum expressio in orationibus Moysis habeatur quater tantum, itemque habeatur Ex. 34,12; 10,28, non est cur ea affirmetur esse idioma deuteronomicum. Deut. 7,2.5 in pluribus ad verbum consonat cum Ex. 34,12-15 : norat igitur orator Ex. 34, et graviores expressiones suas fecit.

b. שמר המצות, *custodire mandata* 4,2.40; — 5,10.29(26); 6,2.17; 7,9.11; 8,2.6.11; 10,13; 11,1.8.22; — 13,4 18(5.19); 17,19; 19,9; — 26,17.18; — 28,9.45; — 30,16. Uterque decalogus Ex. 20,6; Deut. 5, 10 inculcat esse « custodienda mandata »; de qua re *pentalogus* 6, 17 solemne edit praeceptum; quam supremi momenti rem constanter inculcant orationes.

c. שמר לעשות, *custodire faciendo* 5,1.32(29); 6,3.25; 7, 11; 8,1; 11,22.32; — 12.

1.32(13,1); 15,5; 17.10; 19.9; 24.8; — 28.1.15; — 28,58; — 31.12; — 32.46. Cf. Ex. 31,16; Ios. 1.7. 8; 22, 5 etc. Igitur expressio, quae Ex. 31,16 de mandato observandi sabbati scribitur, eadem habetur Deut. 5,1.32 primo et extremo versiculo praeambuli pentalogi, initio ipsius pentalogi et extremo quarto eius mandato (6,3.25), extremo pentalogi versu 7,11, et ita porro repetitur.

d. שמר ועשה, *custodire et facere* 4,6; — 7,12; — 16,12; 23.23(24); 24,8; — 26. 16; — 28,13; — 29,9(8). Cf. Lev. 20,8.22; 19,37; 22,31; 26,3; Ios. 23,6. Expressio habetur quinquies in Lev., semel in priore et semel in posteriore paraenesi : nequit dici idioma.

78. שער, *porta*, in expressione *in portis tuis* (*vestris*) 5,14; 6,9; 11,20; — 12.12. 15.17.18.21; 14.21.27.28.29; 15,7.22; 16,5.11.14.18; 17,2.5.8; 18.6; 23.16(17); 24.14; 26,12; — 28,52(bis).55.57; — 31.12. *Decalogus* 5,14; Ex. 20,10 hac expressione certe non exprimit *urbem*. In *pentalogo* 6,9 itemque 11,20 (et 17,5) intelliguntur ipsae *portae*, non *urbes*; item 28.52, ubi portae a turribus distinguuntur, et 28, 55.57, ubi obsideri dicuntur portae, per quas sc. in urbem penetrare conantur inimici. E contra cf. עיר 28,3.16. Sane שער significatione urbis acceptum non est idioma deuteronomicum; hac significatione fortasse intelligitur 31,12; est potius idioma, quo collectaneum a reliquo Deut. secernitur. Tamen collectaneum habet etiam עיר 13,12.13.15.16 (13.14.16.17); 19,1.2.5.7.9.11.12; 20,10.14.15.16.19.20; 21,2.3.4.6.19.20.21; 22,15.17.21.23.24; 25,7(8). Extra collectaneum עיר scribitur significatione *urbis* 1,22.28; 2,34.35.36.37; 3,4 .5.6.7.10 12.19; — 4,41.42 (in glossa); — 6,10; 9,1; 28,3.16. Sc. עיר dicit urbem sensu *politico* et *militari*. Hinc seniores, qui sunt magistratus politici, semper dicuntur זקני העיר, licet in *portis* conventus celebrent : 21.19; 22.15. שערים dicit urbem sensu *sociali*, locum cohabitandi : hinc scribitur respectu advenarum et Levitarum civibus cohabitantium, servi profugi, mercenarii etc.

79. תועבה, *abominatio*.

a. *Abominatio Iahve* 7,25 (idola); — 12.31 (ritus ethnici); 17,1 (victima maculam habens); 18,12 (superstitio); 22,5 (sexuum permutatio); 23,18(19) (prostitutio sacra); 24,4 (repudiatae uxoris receptio, inserto לפני); 25,16 (iniustitia in pondere); — 27,15 (idola).

b. *Abominatio* 7,26 (idola); — 13,14(15) (idola); 14,3 (cibi immundi); 17,4 (idola); 18,9.12 (superstitio); 20,18 (idola); — 32,16 (idola).

Vox Lev. 18,22.26.27.29.30; 20,13 refertur ad spurcitias carnis; Deut. 14.3 in lege antiquissima, ad cibum immundum; pentalogus 7,26 vocem transfert ad idololatriam, qua significatione eadem legitur in verbis Iosue 27,15 et in cantico 32. 16. Nequit vox dici idioma deuteronomicum, ad summum est idioma collectanei, quod illi proprium est, non a collectore importatum.

5. Quid his idiomatibus efficiatur, nobis est nunc examinandum. Ubi illico perspicitur, quanti momenti in hac critica quaestione sint ea, quae de collectanei et de pentalogi indole demonstrata habemus.

a. Igitur a disputatione de stilo deuteronomico, i. e. de stilo trium documentorum mosaicorum Deut. 1-11; 28,1-31,13, a limine excludantur oportet expressiones illae, quae *in collectaneo, non vero in illis documentis* leguntur, habenturque in nostro elencho sub numeris 3. 5ᵇ. 11. 14. 22. 23. 29. 34ᵃ. 36ᵃ. 43. 58. 59. 70. 73.

b. Pro dubiis praeterea habendae sunt expressiones illae, quae habentur *saepe in collectaneo*, *raro in documentis*. Ita v. g. *semel* tantum in documentis, pluries in collectaneo leguntur expressiones n. 27. 50. 51. 53. $56^{b\beta}$. Non tamen hae solae dubiae apparent, sed aliae praeterea.

c. Iam satis constat, sed suis locis fusius etiam ostendetur, pentalogum supponere decalogum, et paraeneses supponere pentalogum, quem paraeneses argumentis undique congestis explicant atque inculcant, sermone copioso et ad paraphrasin vergente. Unde efficitur, *non ideas tantum decalogi et pentalogi, sed ipsas expressiones constanter repeti*, similiter atque in catechesi repetuntur verba catechismi. Quod factum non demonstrat, illas tum expressiones fuisse magis usitatas, quam quo tempore libri Ex.-Num. conscribebantur, et recipi debere pro idiomatibus stili aevi posterioris. Nota, decalogum Deut. 5 vix non verbotenus consonare decalogo Ex. 20. Praeter minora quaedam, quae h. l. merito negligimus, addit quae in elencho p. 119-131 habentur sub numeris 66^{a}. 37. 35^{a}. Sc. v. 12. 16 addit verba « sicut mandavi tibi »; v. 15 motivum observandi sabbati adscribit non creatoris requiem, sed liberationem ex Aegypto; v. 16 alteram adiicit benedictionem « ut bene sit tibi super terram », ei tribuendam, qui parentes coluerit. Expressiones igitur *in utroque decalogo et in pentalogo* habentur n. 2. 6. 9. 13. 37. 66^{a}; expressio *in utroque decalogo, sed non in pentalogo* n. 7; expressiones *in altero decalogo et in pentalogo* n. 32. 35^{a}; expressiones *in solo altero decalogo* n. 17. 20. 26. 66^{b}; expressiones *in solo pentalogo* n. 5^{a}. 31. 34^{bc}. 39^{b}. 40^{cb}. 41. 46. 47. 48. 54. $56^{b\alpha}$. 60^{a}. 65. 66^{c}. 67^{a}. 71^{ab}. 72. 74. 76^{abc}.

d. Ex eadem paraeneseon ad pentalogum, pentalogi ad decalogum ratione consequitur, non solum easdem saepe numero, atque in decalogis et in pentalogo, expressiones repeti, sed *ideas* ib. propositas *evolvi*, novis etiam congestis expressionibus, quae non ideo diversi stili sunt indicia. Cf. n. 12. 19. 24 etc. Imprimis idea serviendi uni Iahve facundissime evolvitur.

e. Quando eadem res alia constanter voce exprimitur Ex.-Num., alia in Deut., habetur utique idioma (cf. n. 30. 34^{c}. 40 etc.), nisi mutatae expressionis historica ratio assignari possit. Cuius rei exemplum habes in nominibus *Sinai* et *Horeb*. Quis non miretur, eundem montem in libro bipartito semper scribi Sinai, in documentis mosaicis semper scribi Horeb? Argumentum id videatur omnino peremptorium diversorum auctorum. Tamen, perpensa indole populorum semiticorum, ea nobis videtur proferri posse explanatio, quam p. 166 suggeremus.

f. Stili quaedam leviora discrimina potuere profecta esse non ab auctore, sed ab aliquo post illum *scriba*, qui expressioni auctoris substituerit aliam suo aevo magis usitatam; quaedam orthographiae potius quam stili idiomata fuerint. Cf. n. 4. 38. 45. 75.

g. Non facile expressiones eae, quae in toto V. T. sunt *rarissimae*, statuendae sunt pro idiomatibus unius alicuius prae ceteris epochae : cf. n. 8. 16. 25. 35[b]. 40[d].

h. Inter idiomata illa, quae certiora sunt, et alia, quae nullum omnino aut tenue tantum habent momentum, interiacent alia plurima, quorum est diversa in se probabilitas, et varia diversorum interpretum aestimatione. Neque enim, ubi ad minora quaeque descenderis, eius rei definiendae certae sunt normae, sed quae sint idiomata admittenda quaeve non, quae singulis decernenda probabilitas, critico veluti instinctu et sensu definitur. Neque tamen, quod plures rationes seorsim perpensae, parum singulae videantur habere probabilitatis, inde sequitur, iisdem in unum collectis tenue itidem inesse momentum : siquidem maiorem quamdam efficaciam habent indicia tenuiora plura, quando in unam conspirant probationem.

Ex his satis apparet, sat difficile solis idiomatibus stili nostram de Deut. quaestionem dirimi. Qua in re consentientem nobis habemus *Kue*. p. 106 : « Supervacaneum videtur lectorem monere, etiamsi plura congesserimus idiomata iis, quae conferebamus, id non futurum satis, quo plene edoceatur lector stilum auctoris. Eum plene perspicies tum tantum, cum librum iterum iterumque pervolveris ». Et *Dr*. p. LXXXV : « Mero elencho idiomatum non sufficienter describitur auctoris alicuius stilus; attendendus praeterea est modus, quo sententiae iunguntur inter se, construuntur et rhytmo quodam fluunt. Quae non possunt in elenchum comprimi, sed libri repetita lectione sentiuntur. Si hac ratione stilum Deut. regustaveris, perspicies, quantopere is differat ab aliis pentateuchi libris ». Reapse omne illud, quantumcunque fuerit, idiomatum studium, perficiatur oportet illa attenta et repetita libri lectione. Quod talis lectio suggeret iudicium, pertinebit illud etiam ad artem potius quam ad scientiam, sentietur magis quam demonstrabitur, erit tamen eo longe firmius, quod sola idiomatum comparatione constabit; efficietur non singularum vocum sed sententiarum, non singularum sententiarum sed totius sermonis matura consideratione; non attingitur scribarum inconstantia.

Pentateucho igitur iterum iterumque attente pervoluto, ingenue fateor, *alio mihi stilo conscriptas videri duas Moysis orationes et*

historiam foederis[1], *alio librum bipartitum.* Quo concesso nondum illud concessum habes, esse haec aut diversis aevis aut a diversis auctoribus scripta. Scribunt eiusdem aevi auctores stilo diverso; idem auctor, aut longo temporis intervallo aut de rebus plane diversis scribens, diverso scribat stilo. Nonne alio saepe stilo scribit senex, eo quo scripserat puer? nonne alio stilo iurisconsultus epistolam scribit ad uxorem, quam quo causam agit in foro?

Recole, stilum orationum Moysis potissimum esse *paraeneticum*, stilum libri bipartiti esse *historicum* vel *legalem;* in orationibus (v. p. 149 sq.) stilum pericoparum historicarum esse perquam affinem stili narrationis libri bipartiti : imo aliquam etiam affinitatem concedi orationum cum paucioribus illis pericopis paraeneticis, quas habet liber bipartitus. Ita *Dr.* p. LXXVII sq. : « Habet JE quasdam pericopas (imprimis Gen. 26,5; Ex. 13,3-16; 15,26; 19,3-6, partim etiam 20,2-17; 23,20-33; 34,10-26) scriptas stilo paraenetico, qui idem quodammodo est affinis stili Deut. E quibus pericopis videtur auctor Deut. derivasse aliqua eorum idiomatum, quibus utitur frequentius ». Concessa attenuat Dr. adiecta notula suggerens, textum decalogi Ex. 20,2-17 fortasse primitus fuisse magis concinnum, et ab aliquo esse retractatum, qui Deut. noverit : verum non de solo decalogo agitur, manent reliqui quos citabat Dr. textus.

Critici *40 annos*, quibus Israel commoratus sit in deserto, fabulam habent, quos annos nos omnino pro veris habemus. Imaginare Moysen tot illis annis legem Iahve secum volventem animo, penitius in annos intelligentem, altius animo figentem illud, amore Iahve et observatione mandatorum constare tandem omnia. Cogita eundem per longum illud et involuntarium otium Levitas suos assidue edocentem atque in veros Israelitas transformantem, inculcantem illis fortasse pentalogum suum diu, antequam illum in Moabitide tribubus ad se tandem reversis promulgaret, legis observationem suis Levitis certe inculcantem assidue omnibus illis argumentis, quae Deut. recitat, sed quae nullo non tempore Moysis menti praesentissima fuere. Nonne id agit prudens paedagogus, ut eadem constanter monita iisdem, ut plurimum, verbis expressa discipulis repetat, iisdem argumentis confirmet? Primis duobus ab exodo annis non tantum Moysi praesto fuerat otium ad suos funditus erudiendos : Cadesae tandem eo munere ipse pluribus annis constanter atque patienter functus est. Nonne debuit in eo labore Moyses pedetentim assuefieri stilo cuidam paraenetico longe diverso ab eo, qui pridem

1. Nota historiam foederis, qualis nunc legitur excisa narratione celebratae solemnitatis, et ipsam fere solis constare Moysis *orationibus*.

fuerat, longissime diverso a stilo, quo pridem ipse et historias narrasset et leges promulgasset? Cf. *F. Prat S. I.* : Études 1898 IV, p. 53.

Legum stilum quod attinet, recordare (CEL p. 20 sqq.) Moysi plures leges patriarcharum temporibus natas fuisse nomine Iahve promulgandas. Erat tum profecto apud Hebraeos a maioribus transmissus stilus quidam legalis, quo leges humana auctoritate pridem latae, mores diuturna consuetudine sanciti, axiomata probitatis enuntiabantur. Quem in antiquis illis legibus retinuisse censendus est Moyses, ut ipse etiam stilus reverentiam legibus conciliaret, itemque in legibus a se recens conditis esse imitatus. Leges curiae romanae scribunturne eorum praelatorum stilo, qui curiae forte adscripti sunt, an stilo curiali?

Recole tandem, non esse cur negemus, Moysen sua fecisse scripta aliqua ab aliis et aliorum stilo exarata. Eum pro patriarcharum historia uti potuisse documentis antiquioribus, omnes concedunt (cf. *Cornely* II 1. 33 sq.) : si documentis uti potuit antiquioribus, cur non coaevis? In qua re profecto a tempore praeterito ad tempus subsequens valet illatio. Usus est Moyses computo Ithamar Ex. 38,21 ad efficiendam summam expensarum novi sanctuarii exstruendi; usus est numeratorum computis in summis tribuum describendis. Potuit alicui suorum mandare, ut narrationem eventuum ex ordine conscriberet, scriptam recognoscere, emendare, approbare : ita vere « scribebat librum suum », narrationem inquam libri bipartiti.

Ergo concesso etiam, diverso stilo descripta deprehendi librum bipartitum, legum apparatus, documenta deuteronomica, nondum concessisti haec tria non vere uni Moysi tribui auctori. Nomen auctoris intelligas non sensu critico, quo illud neque a Iudaeis intelligebatur, neque ab antiquioribus scriptoribus christianis, sed sensu illo generaliore et vero, quo apud antiquos omnes scripsisse aliquis tradebatur non ea solum, quae sua ipse manu scripserat, sed item quae scribi ab aliis mandaverat, imo scripta approbaverat.

Ceterum in his praetermittebamus quaestionem, leganturne in nostris bibliis documenta deuteronomica eo stilo, quo primum scripta fuere, an stilo recentioris cuiusdam, qui tria illa documenta ex aequo suo rescripserit stilo, quo ea ab aequalibus suis facilius intelligerentur. Hanc iam quaestionem discutiendam aggredimur.

c. Deut. cum reliquo pentateucho comparatum.

Aiebat systematis critici antesignanus *M. L. de Wette* (Theol. Studien u. Kritiken X. 2, p. 937, Gotha 1837), « ab opinione, quam quis

de Deut. tueatur, pendere totam eius pentateuchi crisin ». « Δός μοι ποῦ στῶ », ait *Kl.* p. 3 professus, ex eo puncto totam de pentateucho quaestionem esse solvendam, idque ob duplicem rationem, cum quod Deut. Moysen affirmet thorae scriptorem, tum quod non uti praecedentes libri e variis fontibus credatur esse congestum, sed unum habeat continuum atque aequalem textum.

Non totam h. l. pentateuchi « compositionem » discutimus, sed quid vexatae illi quaestioni lucis affundat nostra de Deut. disputatio, indicamus. Igitur critici moderni unanimi consensu tuentur sequentia placita :

a. In pentateuchum coacta esse deprehenduntur scripta diversa quatuor J.E.P.D. profecta ab Iehovista, Elohista, auctore sacerdotali et Deuteronomista

b. D novit J et E; noveritne ut libros diversos an confusos in unum librum JE. est plane incertum (*Holz.* p. 304 sq.).

c. D non novit P.

d. Nonnisi postquam JE iunctum cum D effecit JED, tandem huic libro JED etiam accrevit P.

Generalissime hi quatuor fontes describuntur ita. D est Deut. 1,1-31,13. Totus Lev. et leges Num. conceduntur P. Historiam primitivam Gen. 1-11 effecere J et P, totam reliquam narrationem J,E et P. Imprimis ex J et E coaluere liber foederis Ex.21-23 et Ex. 34, ubi tamen monet *Holz.* p. 73, « maxime quoad Ex. 19-24; 32-34 summas haberi in distinguendis fontibus difficultates ».

Illos fontes accuratius inspiciamus. De D iam dictum est satis. Statuuntur pro E, J, P idiomatum elenchi, qui singuli habent plus quam centena idiomata : cf. *Holz.* p. 181 sqq. 93 sqq. 339 sqq. Distinguuntur singulorum fontium diversa strata : E^1 israelita et E^2 Iudaeus; J^1, J^2, J^3; P^1, P^2, P^3. Ad strata P haec advertas. Referuntur ea ad varias *leges*; porro leges dicebamus plures esse iam ante Moysen observatas, quas ipse transsumpserit aut immutatas, aut plus minus mutatas; quas omnes ante ipsum uno eodemque stilo fuisse exaratas, non est cur defendamus. Quare, si in his aliquis sibi videatur stili differentias deprehendere, habeat sibi. Sunt tandem aliqua, quae nulli eorum fontium esse attribuenda, critici omnes aut fere omnes concedunt : quorum potissima sunt Gen. 14 et documenta poetica Gen. 49; Ex. 15; Deut. 32 sq. Sed haec minora h. l. negligimus, cum generalem tantum conspectum illorum fontium tradere cupiamus.

Descriptionem tradimus secundum *Driver* (Einleitung in die Litteratur des A. T., übersetzt von I. W. Rothstein, Berlin 1896, p. 121 sqq.), quem ideo seligimus, quod recentius scripserit et aliis moderatius loquatur. Censet igitur ille, omnino esse concedendum P

et JE primitus ab invicem exstitisse distinctos; ut vero etiam secernantur J et E, id censet fieri probabiliter, licet aliqua ab aliquibus audacius discerni fateatur.

E, ait Dr., agnoscit prophetiam, licet eam minus efferat quam J. Narrationi non admiscet tot considerationes ethicas et theologicas. Novit etiam ipse loca, quae antiquitus Hebraeis sacra erant, imo lapides in memoriam erectos, reprobat deos alienos.

J non tantum, quantum E, ad particularia descendit, sed indoles hominum describit vividissime et verissime. Ubique narrationi intexit considerationes ethicas et theologicas, narrando docet. Deum repraesentat anthropomorphice.

Ab J et ab E plurimum differt P, cui in animo est accurate describere originem et instituta theocratiae sacrae. Ad quem finem *historiam* compendio recitat. Post cosmogoniam, quae institutionem sabbati celebrat, historiae patriarcharum graviores tantummodo eventus attingit eos, qui ritus cuiusdam sacri originem spectant, v. g. prohibitionis comedendi sanguinis Gen. 9,1 sqq. et circumcisionis Gen. 17 : reliqua *genealogiis* fere explet, accuratam tradens chronologiam. In actis Moysis nonnihil fusius refert Moysis vocationem et exodi portenta, valde prolixe ea omnia, quae novorum sacrorum institutionem spectant. Quoad 40 annorum in deserto migrationem tradit elenchum stationum Num. 33, eventus attingit paucos tantum, fere illos solos, qui alicuius legis vel alicuius instituti sacri exstitere occasio. Tradit universa, quae in Lev. habentur, et maiorem partem Num., imprimis duos populi census et leges. Deum repraesentat minus anthropomorphice quam E et J, angelos et somnia ignorat.

J et E in unum JE compegit redactor R^{je} (Dr. p. 15). Integram aliquam pericopen desumebat modo ex E (v. g. Gen. 20,1-17), modo ex J (v. g. Gen. 24); modo unius fontis narrationem complebat adscriptis quibusdam ex altero fonte petitis; modo e duobus fontibus aequabiliter unam texebat narrationem. Verum monet *Holz.* p. 487 : « Hic labor perficiebatur ita inaequaliter, ut evidenter perspiciatur, sicut J, E, D, ita etiam R^{je} *non fuisse unum aliquem scriptorem, sed solum esse laborem literarium relative unum;* i. e. haberi redactorem non unum, sed plures, unum stratum stili.

Postmodum JE et D in unum compingebantur librum per redactorem R^{d} vel R^{jed}, *virum unum vel plures* (p. 493), cui illud potissimum effectum adscribitur, « eum inserto in narrationem JE libro foederis atque paucis de suo imperitius adiectis, totam eam narrationem confudisse ».

Tandem redactor R coniunxit JED cum P. Reliquit D intactum, JE

in quibusdam mutavit ita, ut maiorem auctoritatem legibus P conciliaret. « Non fuit hic labor unius viri, sed *plurium virorum* » (p. 495), « *integrae cuiusdam scholae* » (p. 502).

Concedebamus (cf. CN p. 7 sq.) et concedimus sanae criticae sua iura : e stilo accurate discusso derivantur legitimae conclusiones, quo tempore vel a quo auctore concinnatum sit scriptum aliquod. Quae conclusiones eam habebunt certitudinem eumve probabilitatis gradum, quem argumenta prolata efficient. Examinandum porro venit, quid hoc argumenti genere efficiatur in re pentateuchi.

Igitur, ubi eadem, plura numero, diversa idiomata *in longioribus pericopis* uniformiter usuveniunt, habetur utique *affinitas stili*. Quodsi praeter idiomata eadem habeantur item eaedem constructiones, argumentandi rationes, locorum, temporum, gestorum descriptiones, ab affinitate stili patebit conclusio ad *unitatem documenti et auctoris*. « Neque id agentes circulo circumferimur vitioso », inquit *F. v. Hügel* (The historical method and the documents of the Hexateuch, in : Catholic University Bulletin, Washington 1898, p. 206. — Cf. Compte rendu du IVe Congrès scientifique international des Catholiques, Fribourg en Suisse 1897 II. 231 sqq., 1898). « Primum, ad diversa in pentateucho distinguenda documenta eo adducimur, quod longiores quasdam pericopas ab aliis longioribus pericopis deprehendamus discerni idiomatum et stili differentiis, nondum habita ratione eorum, quae geographiam, chronologiam, historiam, ethicam et theologiam spectant. Ubi ita demonstratum habemus varia adesse documenta, comparamus porro rationum geographicarum etc. in eodem documento unitatem, in diversis documentis varietatem, quo certior efficitur nostra analysis ». Neque tamen, quod p. 133 sqq. monebamus, semper ex aliqua idiomatum vel etiam idearum *diversitate* legitime infertur diversos haberi auctores, cum idem auctor, aut longo interiecto temporis intervallo aut de materiis plane diversis loquens, aliis idiomatibus aliisve ideis uti queat.

Porro *affinitas stili* alia est *naturalis*, alia *artificiosa*. Consuevere uno eodemque aevo eiusdem regionis vel provinciae homines iisdem fere uti idiomatibus et constructionibus, quando de iisdem aut fere iisdem rebus loquuntur, dum diversis aevis, vel etiam eodem aevo sed in diversis provinciis, persaepe homines diversis idiomatibus et constructionibus easdem illas res exprimunt. Ergo ex illa stili uniformitate fas est coniicere de scriptoris aevo, loco, imo persona. Id certe tum licet, quando abest suspicio haberi affinitatem stili artificiosam.

Ceterum adverte, nos hebraeorum scriptorum ante Esdram nihil

habere praeter paucos illos V. T. libros, e quibus, sola perpensa stili indole, audacius aliquis attentaverit definire, qui fuerit stilus aevi Moysis, aevi Samuelis, aevi Ieremiae. Quodsi e contra argumentis historicis efficiatur, quosdam libros aevo Moysis, alios aevo Samuelis vel Ieremiae esse conscriptos, atque insuper certum sit, eorum stilum immutatum perseverasse, tum utique, comparato eorum librorum stilo, aliquas coniecturas proferre licebit de stili hebraei proprietatibus tempore Moysis, Samuelis, Ieremiae. Quod vero recentiores quidam praetendunt, aliquas pentateuchi pericopas stilo, qui auctorem sapiat israeliticum, alias stilo, qui auctorem sapiat iudaeum, esse exaratas, id certe ingeniosius quam verius affirmari videtur.

Adverte item, illa stili affinitate per longiores aliquas pericopas continuata demonstrari proxime unitatem illius individui documenti, quod in manibus habetur, seu *huius textus,* itemque unitatem scriptoris, qui *hunc textum* scripsit. Dantur vero textus scripti et textus rescripti : auctor *huius textus* non est necessario auctor *huius libri.* Quando textus antiquior a recentiore aliquo est retractatus, et in dialectum veluti recentiorem transscriptus, comparata idiomata stilum produnt, uti patet, non auctoris sed retractatoris. Ergo, ut absolute definiatur, fueritne unus aliquis textus unum unici auctoris documentum, necne, illud etiam demonstretur oportet, sitne ille textus substantialiter talis, qualis primum scribebatur, sitne a suo auctore descriptus tamquam unum continuum documentum. Potest quippe unus auctor eodem stilo diversa scribere documenta. Vicissim, possunt unici documenti partes a variis diverso stilo retractari, ut solam stili diversitatem minime consequatur diversitas primorum fontium et primi auctoris.

Est igitur illa « compositio pentateuchi », quam constanter in ore habent critici recentiores, res perquam impedita et intricata. Illud, quod proxime efficere valet critica ars, est ut *textus, qui nunc est,* compositionem explicet : cf. *Klost.* p. 6 sq. Verum hic textus, quod nequaquam satis perspexere viri critici, est textus *restitutus;* non, quem varii redactores cum bona pace veluti acu pinxerint, sed quem incendiis et concisionibus ereptum et in sexcenta fragmenta disiectum arduo, ingrato et utique imperfecto labore quidam restituerunt.

Affinitas stili *artificiosa* alia est *quaesita,* alia *spontanea.* Quaesita tum habetur, quando quis de consilio stilum alterius imitatur, v. g. quando multo labore adnititur, ut stilo scribat ciceroniano. De qua affinitate non agimus h. l. Spontanea habetur stili affinitas, quando

quis, assidue pervolvens cuiusdam auctoris scripta, sensim eo delabitur, ut suo stilo auctoris stilum imitetur. Nonne ideo iuvenibus commendamus eorum scriptorum lectionem, qui stili puritate excellunt, ut sensim illi etiam stili elegantiae assuescant? Quodsi igitur alicui videatur P maiorem habere affinitatem cum Ezechiele, et D cum Ieremia, non inde sequitur P scriptum esse tempore Ezechielis, et D tempore Ieremiae : res facile explicatur, si Ezechiel supponatur potissimum studuisse scriptis P, et Ieremias scriptis D. Nonne, qui plurimum student evangelio S. Ioannis, quandoque stilo quodam iohannaeo praedicant? Nonne Puritani aliquando in Anglia idiomatibus pentateuchi et prophetarum loquebantur?

Nascitur vero artificiosa illa stili affinitas tum facilius, quando agitur de *libris sacris*. Primum libri sacri, ubi populo frequenter praeleguntur et explicantur (cf. Deut. **31,11** sq.), populi sermoni necessario *perennitatem* quamdam tribuunt, ut stilus, certe quatenus is res ad sacra spectantes tractat, non ita cito mutetur. Praeterea auctor sacer recentior libros antiquiores pro sacris habet, eorum lectione et meditatione pascit animum, atque sic non solum eorum idiomata, sed ideas etiam et argumentationes suas facit. Ita v. g. ex eo, quod Ieremias plurima thorae idiomata et argumenta sua fecerit, non sequitur thoram aevo Ieremiae esse natam, sed illud tantum sequitur, quod aliunde constat, Ieremiam thorae plurimum studuisse, eam constanter inculcasse, eiusque accuratam observationem a populo assidue exegisse.

Hactenus de unitate stili loquebamur, quae *in longioribus pericopis* deprehendatur. Neque tamen in longioribus pericopis sistunt critici, sed in reliquo textu eadem idiomata etc. rimati, *singulos versus, stichos, hemistichos* aut uni e quatuor fontibus aut redactorum alicui assignant. Exemplum accipe Ex. **14** (*Cornill* p. **19** sq.) :

J : v. 5-6. $9^{a}\alpha$. 11-14. 19^{b}. $21^{a}\beta$. 24 sq. 28^{b}. 30 sq.
E : v. 7. $9^{a}\beta$. $15^{a}\beta$. 19^{a}. $20^{?}$. 27^{a*}.
P : v. 1-4. $10^{b}\beta$. 15*. 16-18. 21-23†. 26-$27^{a}\alpha$. 28*. 29.
* denotat textum retractatum; † denotat textum quoad substantiam ei fonti esse adscribendum; ? sane denotat dubium : an igitur reliqua omnia certa?

De quibus ut iudicium feramus, illud ante omnia prae oculis servandum est, textum nostrum esse *textum restitutum*. Quantas iniurias impiis regibus auctoribus passus sit sacer textus, indicia sunt partes narrationis passim excisae, lacuna post Deut. **29,21** (**20**), restitutoris suspirium **29,29** (**28**). Verum indicia tantummodo sunt haec : putasne eas, quae ad nos perlatae sunt partes, mansisse plane incolumes?

Id esset instar insignis miraculi, res nequaquam gratuito supponenda, sed certis rationibus demonstranda. Quin potius conieceris, uti aliquae textus partes penitus sint deperditae, ita alias certe plures haud parum esse defiguratas. Superfuerint quandoque pericopae sat amplae, plura continuo capita; quandoque fragmenta maiora, minora, minima; quandoque lacunae.

Neque tibi incredibile videatur, librum bipartitum tam misere in frusta esse resolutum, dum thora (exceptis tamen verbis Iosue) intacta permanserit, itemque libri prophetarum. De prophetarum libris deperditis cf. *Cornely* I 246 sq. In rerum ruina plura semper permittuntur casui, seu verius divinae providentiae. Thora servata est eo potissimum, quod eius exemplar sacerrimum in manibus esset sacerdotum, et efficacius absconderetur in templo. Liber bipartitus erat potissimum in singulis urbibus et pagis, in synagogis, in domibus privatorum. Libri prophetarum credebantur primum manibus discipulorum prophetarum. Hi libros secum habentes se subducebant persecutioni. « Circuibant in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae » (Hebr. 11, 37 sq.). Cives, patres familias non poterant in solitudines se recipere: sedebant domi cum suis libris sacris.

Alterum, quod in hac quaestione constanter prae oculis habeatur oportet, illud est, restitutores Iudaeos fuisse homines sine dubio pios, sed *criticae artis parum gnaros*. Quod certe nunquam concessuri erant Iudaei posteriores; non *Ios*. (c. Apion. VIII. 1), non *Philo*, qui (ap. Euseb. : Praepar. evang. VIII. 6; *M.* 21,600) ingenue asseverat, « tot annorum spatio (certum quidem numerum definire non possum sed tamen amplius bis mille) ne vocem quidem unam in iis, quae scripta reliquit Moyses, immutasse » Iudaeos. Verum eiusmodi iudaicae traditiones caute sunt accipiendae, accurate perpendendum, habeantne plus veritatis, quam illa de cellulis septuaginta virorum et de mirabili inspiratione Esdrae concessa, qua plures libros penitus deperditos rursum dictaverit verbotenus tales, quales ante fuissent. Certe mirabilem illam stabilitatem non habuit textus sacer post Esdram, e cuius textu tam studiose conquisito, tam religiose a scribis custodito natae sunt paucis saeculis recensiones tres : Masor., Sam. et ille textus hebraeus, quo LXX utebantur. Multo minus mirabilis illa stabilitas adstruenda est pro tempore multo longiore, quod a Moyse ad Esdram effluxit, quando tanta cura sacro textui non impendebatur, imo textus negligebatur atque ab impiis vix non destruebatur. Cf. *Klost*. p. 18 sqq.

Sacri textus erant peramantes ii, qui circa Esdrae tempus textum sacrum restituere, sed criticae artis tirones erant tantum, quod eius artis vix rudimenta aliqua tum exsisterent. Quomodo igitur, cum tales essent, credendi sunt egisse viri illi in textu restituendo? Si duorum textuum parallelorum, qui re essent iidem, unus haberet altero plus, sine dubio praeferebant textum copiosiorem, nolebant ullam boni doni (Deut. 29,29) particulam deperire; aut solum copiosiorem textum recipiebant breviore repudiato, aut breviori inserebant ea, quae huic textui deesse videbantur. Miscebantur interim diversorum fontium idiomata. Quodsi textus alteruter adscriptum haberet aliquid moralis exhortationis, incitamenta bene agendi, haec illi certe non erant praetermissuri, licet ea sapere viderentur nescio quem deuteronomismum. Quandoque duos duorum fontium textus, qui idem edicerent diversis verbis, ambos recipiebant. Ita v. g. Ex. 14,19 textui E, qui de angelo esset, adscripserint textum J, qui idem de columna nubis enarraret. Homines pii sed critices ignari facile eum textum iudicaturi erant esse praeferendum, qui per piorum hominum manus ad eos pervenisset : verum pii homines facile censent textum magis devotum eundem etiam esse magis genuinum. En tibi novas semper permiscendorum idiomatum occasiones. Horum similia profecto fieri debuere, nisi viris illis adstruas concessum esse singulare omnino charisma, quod futurorum saeculorum scientiam criticam anticiparet. Id concessum esse difficile demonstrabis, cum ad veritatem et authentiam textus servandam omnino satis esset *specialis Dei providentia*, cuius lectissima instrumenta exstitere prophetae. Haec profecto effectura erat, ut in textu hac ratione restituto nihil esset, quod Deum non haberet inspiratorem et auctorem, utque textus ille totus cum omnibus suis partibus sacer esset et inspiratus, itemque mosaicus, sensu non critico sed vulgari, quem Iudaei solum in mente habebant, quando librum Moysi adscribebant auctori.

Sed erant etiam lacunae, quae quandoque sutura aliqua essent obtegendae; vel deerat vox una, incisum unum, sententia una, sed quae facile e contextu supplerentur. In quibus iuvabantur fortasse restitutores memoria satis distincta, quam habebant ordinis sacrae narrationis. Neque enim eius rei memoriam impii reges valuerant ex hominum mentibus delere, neque facile evanescebat memoria rerum, quas a pueris audierant et domi et apud sanctuarium, sabbatis, calendis et in magnis solemnitatibus.

Verum, si eo quem describimus modo facta esse supponatur textus restitutio, erit etiam concedendum hoc : quando idiomata aliqua eorum, quae J, E vel P attribuuntur, reperiuntur non in longiores

periodos collecta, sed longis intervallis disseminata, quando versus unus vel stichus vel hemistichus illorum fontium stilum imitatur, non inde legitime infertur, eum versum vel stichum vel hemistichum e documento J vel E vel P esse descriptum. Etenim restitutores textus continuo documenta stilorum J, E, P et manibus et animo versabant, habebant illos stilos omnes plane familiares. Incidebant porro in textum aliquem valde defiguratum, cuius voces aliquae plane desiderarentur, e contextu tamen facile supplerentur; explebant lacunam ipsi idiomatibus iis, quae prima venirent in mentem, modo ex J, modo ex E, modo e P derivatis. Alias fortasse versus aliquis necessarius penitus exciderat, sed sensus memoria tenebatur; exprimebant tunc sensum ipsi idiomatibus iis, quae prima occurrerent. Novit quisque, *inspirationem* sacri textus non necessario adstruendam esse verbalem : longe minus cogimur adstruere *praeservationem* textus inspirati verbalem; voces clariores sufficiebantur in locum expressionum antiquatarum, quandoque illae et hae in textibus iuxtapositae deprehenduntur. Impune concedes, horum similia facta esse in libro bipartito, facta ibi esse fortasse saepius, quam in aliis libris, quod textus fuerit laboriose restituendus. Ea facta esse fere suggerit narratio 4 Esdr. 14, si ei aliqua veritas inesse concedatur.

Porro, si haec horumque similia fieri *potuere,* ad sequentem gravissimam deducimur conclusionem. Licet idiomatum communio, quae in longioribus observatur pericopis, indicium sit, haberi unius scriptoris unum documentum, at eadem in brevioribus pericopis, in separatis quibusdam sententiis, incisis, expressionibus non efficit minora haec, quatenus iis idiomatibus exprimuntur, partes aliquando fuisse illius documenti longioris, quando illud iisdem idiomatibus descriptum legebatur, neque efficit minora illa qualia nunc sunt, fluxisse ex eiusdem scriptoris calamo, qui longius illud documentum illis idiomatibus expressit. Illa idiomatum communio prodit factum, minora illa *nunc* eodem, atque longiores illas pericopas, stilo esse exarata, et unum cum illis in nostro pentateucho efficere *stili stratum,* produnt *stili affinitatem* inter haec et illa, sed nullatenus definiunt, sitne ea affinitas naturalis an *artificiosa,* nativa an adventitia. Hoc nobis videtur satis affine esse eius, quod affirmat Holz. p. 487, J, E, P non designare unum aliquem scriptorem, sed solummodo aliquem « laborem literarium relative unum ».

Ex his, quae de uniformitate stili universim considerata hucusque statuimus, perspicies criticam textus esse artem potius quam scientiam, definiri gustu quodam et instinctu magis quam syllogismis, uti pluribus coniecturis quam certis argumentis. Est ea huius

artis nativa indoles. Tantum abest, ut criticae vitio vertamus frequentem coniecturarum usum, ut eum potius omnino probatum habeamus. Verum, ne in gravissimos et continuos errores abripiatur critica, necesse est, ut a certis quibusdam factis proficiscatur, atque eorum factorum continuam rationem habeat. Haec facta suppetat necesse est hermeneutica et historia. Critica illa, quae facta ab his scientiis solide stabilita ignorat, in praesentissimo atque necessario versatur erroris periculo. Cf. CN p. 7 sq. His factis accensenda sunt ea omnia, quae p. 61.76.79.94 statuebamus, prae ceteris vero facta haec :

a. *thoram*, i. e. secundam orationem Deut., scripsit Moyses; quod factum Deut. 31,9 affirmatum invicte confirmatur factis Ios. 24,26 et 1 Reg. 10,25 comparatis cum iis, quae de indole collectanei tradebamus;

b. aevo regum posteriorum exitiales exarsere *persecutiones*, non contra prophetas solum, sed item contra libros sacros.

c. pentateuchus textum habet operose *restitutum;* id quoad historiam foederis diserte affirmatur Deut. 29,29 (28); quoad reliquum pentateuchum, praeter alia indicia, colligitur ex eo, quod narrationis partes aliquae haud exiguae dicendae sint esse excisae.

d. Collectaneum Deut. 12,1-26,15 non est Moysis, sed Samuelis auctoris, 26,16-17,26 probabilius est Iosue auctoris.

His universim praemissis, transimus ad potissima criticorum axiomata (v. s. p. 136) cum sacro textu comparanda, neque enim ad minora quaeque descendere lubet. Non examinamus, sintne ea axiomata sufficienter demonstrata, sed ea, uti proponuntur, ita interim recipimus. Non plane fidimus ei criticae, quam penitus fugit discrimen illud capitale collectaneum inter et tria documenta mosaica. Censemus sanam criticam penitus oportere abdicare praeiudicium illud rationalistarum, miracula et prophetias esse impossibilia; quod certe non e principiis critices fluit, sed e spuria philosophia. Censemus item abdicandum esse pruritum, levissimas quasque textus inaequalitates pro patentibus contradictionibus divendendi. Verum, his omnibus aliisque praetermissis, in illud nunc inquirimus, quid eorum axiomatum interpreti catholico sit absolute repudiandum, quid ab eo, si sufficientia rei afferantur argumenta, aliquando concedi possit. His revocamur ad quatuor illa placita, quae p. 136 describebamus. Atque de D dictum est satis. Excisis Deut. 12-27, quae aliis auctoribus attribuimus, reliquum textus 1,1-31,13 concedimus esse unum continuum atque aequalem textum, idque concedimus ob rationes potissimum historicas; stili differentiam item admittimus. Considerandae autem supersunt quaestiones hae :

a. an liceat a reliquo, quem bipartitum vocamus, libro secernere fontem P, qui fons ante omnia sit liber legum et, praeter alia, complectatur Lev. et leges Num.;

b. an vere affirmetur D non novisse P, sed novisse JE, vel J et E, i. e. reliquum praeter P librum bipartitum eiusve fontes;

c. an liceat admittere, praeter P primitus exstitisse fontes duos J et E, qui postmodum coaluerint in unam narrationem JE;

d. an liceat admittere, praeter P exstitisse primitus unicam narrationem, e qua postmodum, similiter atque ex uno textu primigenio Iob fluxerint textus hebraeus et textus LXX satis diversi inter se, ita fluxerint duo textus diversi J et E, qui tandem in unam rursus narrationem JE coaluerint.

Qua in re non plus h. l. praestare intendimus, quam quod in opere De Genesi ad literam se praestitisse affirmabat Aug. (Retract. II. 24; *M*. 32,640) : « In quo opere plura quaesita quam inventa sunt; et eorum, quae inventa sunt, pauciora firmata; cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint ». Quae nobis videntur in quaque quaestione utiliter esse perpendenda, ea indicamus, ipsi ut plurimum nihil definientes. Sunt horum pleraque *hypotheses*, atque ut tales a nobis proferuntur. Nonne criticorum placita, quod artis criticae indoles secum fert, plurimas intermixtas habent hypotheses? Quibus nostras comparamus hypotheses. Hypothesis aliqua non solum prolatis rationibus adversis infirmatur, sed eo etiam, quod alia in eadem re haberi hypothesis demonstretur. In nostris hypothesibus proponendis rationem semper habebimus eorum factorum, quae modo compendio recensebamus. Hypotheses adversarii adstruunt plures certe plane gratuitas, illam v. g. thoram aevo Iosiae regis primum esse fabricatam, quod e narratione 4 Reg. 22 sq. et 2 Par. 34 sq. nequaquam consequitur.

Liceatne libri bipartiti unum discernere fontem P, qui potissimum fuerit liber legum.

Scriptas censeo esse illas leges tum, quando ferebantur. Recordare Moysen, dum Aegypto egrederetur, fuisse eruditum in omni sapientia Aegyptiorum. Erant autem Aegyptii gens scriptoria : habebant leges scriptas et contractus, omnisque generis rerum scriptas rationes; erat apud eos frequens commercium epistolarum, inscriptionibus erant operti muri templorum et sepulcrorum. Hebraei illi, qui in Aegypto angariis adacti fuerant, quotidie contuiti erant regios exactores angariae praestandae et praestitae, accuratam rationem scriptam habentes. Neque deerant inter Hebraeos Aegypto egressos scribae (Num. 11,16 sec. Hebr.). Ithamar Ex. 38,21 a Moyse iussus

digessit, scripto utique, computum expensarum pro novo sanctuario factarum. Numerationes populi fiebant scripto. Duos libros foederis Moyses, uti vidimus, scriptis mandavit. Crediderim eum reliquas etiam leges scriptis consignasse, et antea quidem quam eas promulgaret. Etenim, quando populus aliquis ad eum culturae gradum evectus est, ut scripturae non iam sit expers, ante alia scriptis consignari consuevere eius populi *leges*. Scriptura symbolum est perennitatis illius, quae legibus congruit : etenim scripta manent. Exigebat fere auctoritates legislatoris, multoque magis legislatoris Dei, ut eius mandata scriberentur, quo contra dubia, iniqua interpretamenta, oblivionem munirentur. Decet, ut divina lex e scripto promulgetur. Scriptum est illud particulare contra Amalecitas mandatum Ex. 17,14 : credesne mansisse non scriptas gravissimas illas leges Thorarum Munditiei et Sanctitatis?

Igitur censeo equidem, quascunque leges Moyses promulgaverit, easdem eum antea aut scripsisse aut scribi curasse. Potuit enim illas aut ipse scribere aut dictare, imo legis summam suorum alicui indicare atque elaborandam permittere, eleboratam postea ipse recognoscere et approbare. Quo facto vere manebat Moyses legis auctor, legemque tradebatur scripsisse; vere manebat ea lex verbum Iahve, cum non cogamur in his adstruere inspirationem verbalem, sed verborum delectum potuerit Iahve Moysi permittere.

Verum, si leges promulgabantur scriptae, dubitaverit aliquis, scriptaene sint uno eodemque simul tempore et narratio historica et leges omnes, totus textus Ex.-Num. qualis nunc est, an potius seorsim scriptae sint leges, seorsim narratio, ac tandem haec et illae in unum opus confusae. Videtur unaquaeque lex scribenda fuisse absque mora tum, quando a Deo promulgari iubebatur, ne quod eius mutandae aut obscurandae esset periculum. Id fere exigebat reverentia Deo debita. Sed nulla videtur fuisse necessitas eventuum historicorum illico describendorum, qui vividissime inhaererent aequalium memoriae. Satis certe erat tum conscribi accuratam rationem stationum, distantiarum, temporum. At primi duo ab exodo anni fuere occupatissimi itineribus, rebellionibus, sacrorum institutionibus, legum scriptionibus et promulgationibus. Non apparet ratio affirmandi, Moysen de die in diem eorum annorum acta scripsisse. Otium potius scribendis historiis praebuit multorum annorum commoratio cadesiana. Alii etiam viri de re publica bene meriti sua memorabilia conscripsere tum, quando otium nacti sunt inviti. Non igitur perspicio necessario esse affirmandum et leges et narrationem historicam continuo calamo scripsisse Moysen, sed diversis fortasse

temporibus, in unum tandem librum compingenda. Verum illud sentio, eum leges scripsisse, non solum librum foederis.

Subscriptiones Lev. 26,45;27,34; Num. 36,13 omnes meminerunt *legum* tantum : Haec sunt mandata etc. Eratne aliquando aliqua *lex bipartita*, recensens leges sinaiticas et postsinaiticas, ac praeterea alterum scriptum *actorum Moysis*, narrationem producens ultra illas leges usque ad mortem Moysis? Responderi potest, ideo subscriptiones meminisse solarum legum, quod extrema utraque libri bipartiti parte recitarentur leges, extrema priore parte leges Lev., extrema posteriore parte leges Num. 28-36.

Quaeres, *sintne leges omnes Ex.-Num. censendae ab ipso Moyse esse profectae*, an forte legibus a Moyse scriptis aliae quaedam deinceps accessere leges, fortasse non a Moyse neque Moysis iussu descriptae? Tempore perantiquo, cum acta sinaitica iam essent conclusa subscriptione Lev. 26,45 (cf. p. 64), iisdem actis adscribebatur lex de redemptione votorum, ad cuius calcem 27,34 repetebatur illa eadem subscriptio. Defendesne, ipsum Moysen eam legem primum esse oblitum, aut textum non reperisse, tandem omissionem supplevisse? Deut. 14,3-21 habetur textus magis nativus legis de animalibus mundis et immundis (v. i.), dum idem textus Lev. 11 adscripta habet plura serioris casuisticae oracula : habes aliquod in his profecto additamentum, quod diu post Moysen textui Levitici accrevit. In textum Sam. pluribus locis se ingessere notae in laudem montis Garizim : similia in textu hebraeo fieri potuisse non negabis, facta certe sunt in chronologiis patriarcharum, quorum tantum systematicum discrimen inter Hebr. et LXX observatur. Num. 3,31 inter ea, quae Caathitis portanda attribuuntur, desideratur *labrum aeneum* cum sua *basi*. Quare Sam. illud ib. supplevit; et cum ipso LXX 4, 14 adscripsere verba : « et sument pallium purpureum, et operient labrum et basin eius, et involvent velamine ianthinarum pellium, et ponent super vectes ». Hi igitur, quod censerent labrum cum basi sua in oneribus Caathitarum non fuisse omittendum, illud supplevere ipsi. Quid, si labrum illud cum basi non solum in textus Num. 3,31; 4,14, sed in alios etiam Ex. et Lev. textus, ubi nunc legitur, irrepsit?

Inspice divinum mandatum novorum sacrorum instituendorum. Habes divinum alloquium maius Ex. 25,1-30,10, ex ordine describens omnes sanctuarii partes, supellectilem, cultum, sacerdotum ordinationem. Cui appenduntur 30,11-16. 17-21. 22-33. 34-38 alloquia longe minora quatuor, quae statuunt, quomodo providendum sit sanctuarii expensis, quomodo faciendum labrum cum basi, quomodo

praeparandum oleum unctionis et thymiama. Fingat iam aliquis, non fuisse minora haec definita ad ipsas montis Sinai radices; non sanxisse Iahven, ut ponderosum illud labrum cum basi tot annis hominum humeris aut plaustro impositum raptaretur per avia et devia deserti; illud labrum cum basi Iahve annuente fabricatum esse tum, quando sanctuarium in terra promissa nactum est sedem magis stabilem. Quod vero illud labrum etiam ipsum tandem esset instrumentum legitimum cultus mosaici, ideo textui Exodi aliquando insertum esse 30,17-21 inspirante Deo mandatum aliquod conficiendi labri, itemque 31,9; 35,16; 39,39; 40,7. 11. 28; Lev. 8.11 labrum cum basi adscriptum esse reliquis, quae ib. enumerarentur, rebus sacris. Fingat aliquis, non ad ipsas montis Sinai radices visum esse necessarium ut, praeter dona liberalissime ab Hebraeis collata, provideretur expensis, sed methodum Ex. 30,17-21 postea sapienter et Iahve inspirante esse sancitam, postea item accuratas statutas esse regulas conficiendi olei unctionis et thymiamatis.

Quibus oppones, singulis illis brevioribus alloquiis praefigi verba « Locutus est Iahve ad Moysen »; ergo Moyse superstite facta esse illa alloquia. Verum enimvero, si auctores illi, quorum leges collectaneum habet, potuere impune producere Moysen pronuntiantem eas leges, quas ipsi edebant aut certe plurimum mutabant, cur non potuerint alii legibus suis, quibus Moysis leges complebant, praefigere verba : « Locutus est Iahve ad Moysen? » Quae verba non necessario credenda sunt illis locis adscripta esse ab aliquo scriptore inspirato, uti neque tituli, qui nunc singulis bibliae libris inscripti leguntur. Neque tamen illa verba alicui scriptori inspirato necessario videntur esse abiudicanda. Poterant illa fortasse scribi sensu aliquo vero, non historico quidem neque critico, sed derivato et legali. Habent sc. leges sua idiomata legalia, quae a sensu verborum naturali et obvio translata sunt ad sensum aliquem conventionalem exprimendum, qui sensus cum sit omnibus legum peritis oppido perspectus, *vere* etiam illis idiomatibus competit. Exemplum accipe. Decretum Gratiani praeter auctoritates a Gratiano collectas, alios canones habet a posterioribus adiectos. Primus, qui eiusmodi additamenta apposuit, fuit Gratiani discipulus *Paucapalea :* unde huiusmodi additamenta, ab ipso in decretum illata *Palea* inscribuntur. Cum autem additamenta ab ipso Paucapalea in decretum illata voce *Palea* signari coepissent, paulatim invaluit usus, ut etiam illa additamenta, quae ab aliis viris eruditis post Paucapaleam decreto adiecta sunt, eadem voce *Palea* notarentur, et tali ratione vox *Palea,* quae primo nomen proprium erat et ad Paucapaleam spectabat, vim nominis appellativi

obtineret et omnia huiusmodi addimenta decreto post Gratianum apposita, sive a Paucapalea sive ab aliis adscripta fuissent, designaret. Cf. *F. Laurin :* Introd. in Corpus Iuris Canonici § 16, Friburgi Brisgoviae 1889. Sicut igitur « Palea » inscribuntur additamenta Decreti tam paleana quam postpaleana, ita coniecerit aliquis formulam « Locutus est Iahve ad Moysen » inscribi potuisse legibus divinis quibuslibet, non mosaicis tantum, sed item postmosaicis. Qua formula *I. P. Lagrange* (R.B. 1898 p. 20) censet affirmari eiusmodi legum originem mediate saltem mosaicam.

Noveritne D narrationem historicam J E, seu J et E. Id critici omnes concedunt. Ubi primum adverte, Moysen dum in Deut. attingat facta plura, quae Hebraeis inter Sinai et Iordanem acciderunt, attingere facta potiora omnia, quae Ex.-Num. referuntur, nulla vero attingere facta, quae. Ex.-Num. non referantur. Unde merito inferes, eum textum Ex.-Num. novisse.

Praeterea, inquit *Dr.* p. XIV sq., « Deut. tradit bis conspectum priorum actorum Hebraeorum, et 1,6-3,29 quidem itineris a monte Horeb ad terram Moab usque, 9,8-10,11 superstitionis vituli aurei cum eventibus proxime secutis (Ex. 32-34); praeterea brevius alludit ad alios eventus Gen.-Num. In duabus illis longioribus pericopis Deut. presse adhaeret narrationi Ex.-Num., incisa, quandoque integros versus recitat ad verbum, ut nullo nomine fas sit dubitare, quin auctor Deut. usus sit narratione Ex.-Num. ». Idem fere dicas de aliis eventibus Ex.-Num., quos brevius attingit Deut. Ad Deut. 4,3 cf. Num. 25,1-5, de superstitione Beelphegor; — ad 4,10 sqq.; 5,2 sqq. cf. Ex. 19,3-20,21, de promulgatione decalogi; — ad 6,16 cf. Ex. 17,7, de Massa; — ad 6,21 sq. etc. cf. Ex. 13,14; 14,30, de liberatione aegyptiaca; — ad 8,3.16 cf. Ex. 16,4 sq., de manna; — ad 8,15 cf. Num. 21,6; Ex. 17,6, de uraeis et de rupe; — ad 9,22 cf. Num. 11,1-3; Ex. 17,7; Num. 11,34, de Tabera, Massa, Qibroth ha-Taawa; — ad 11,4 cf. Ex. 14,27, de transitu Maris Rubri; — ad 11,6 cf. Num. 16,1. 27. 30. 32, de Dathan et Abiron.

Recitat porro *Dr.* p. 10. 19. 24. 29. 33. 42. 46. 51. 112 sequentes textus, quibus eadem facta iisdem verbis exprimuntur :

1,15 = Ex. 18,25. — 1,17^{b} = Ex. 18,22.26. — 1,24^{a} = Num. 13,18 (17). — 1,25^{a} = Num. 13,21.27(20.26). — 1.28^{b} = Num. 13,29(28). — 1,35 sq. = Num. 14,23 sq. — 1,39^{a} (deest apud LXX) = Num. 14,31 (cf. Num. 14,3). — 1,40 = Num. 14.25^{b}. — 1,41^{a} = Num. 14, 40^{b}. — 1,42 = Num. 14,42. — 1,43^{b} ≐ Num. 14.41. — 1,44 = Num. 14,45. — 2,14^{b} = Num. 32,13^{b}. — 2,26^{a} = Num. 21,21. — 2,27^{a} = Num. 21,22. — 2,30 = Num. 21,23^{a}. — 2,32^{b} = Num. 21,23^{b}. — 2,34^{a} = Num. 21,25^{a}. — 3,1 sq. = Num. 21,33 sq. — 3,3^{b} = Num. 21,35^{a}. —

3,14 = Num. 32,41. — 3,15 = Num. 32,40. — 3,18^b = Num. 32,21. — 3,19^a = Num. 32,26;32,1. — 9,9 = Ex. 24,12^a.18^b. — 9,10^a = Ex. 31,18^b. — 9,12 = Ex. 32,7.8^a. — 9,13 = Ex. 32,9. — 9,14^b = Ex. 32,10^b (cf. Num. 14,12^b). — 9,15 = Ex. 32,15. — 9,17 = Ex. 32,19^b. — 9,18 sq. = Ex. 34,28 (cf. v. 9). — 9,21 = Ex. 32,20. — 9,22 vide Num. 11,1-3; Ex. 17,7; Num. 11,4-34. — 10,1^a = Ex. 34,1^a. — 10,1^b = Ex. 34,2. — 10,2^a = Ex. 34,1^b. — 10,3^b = Ex. 34,4. — 10,4 = Ex. 34,28^b.

Addit Dr. alios textus, quibus iisdem verbis exprimuntur facta non plane eadem, sed analoga :

1,7^a = Num. 14,25. — 1,9^b = Num. 11,14. — 1,12 = Num. 11,17^b. — 1,30^a = Ex. 13,21;14,14. — 1,33 = Ex. 13,21; Num. 14,14^b. — 1,33^a = Num. 10,33^b. — 1,46^a = Num. 20,1. — 2,1^b = Num. 21,4. — 2,27^b = Num. 20,17. — 2,28^b = Num. 20,19^b. — 2,32 = Num. 21,33^b. — 2,33^b = Num. 21,35^a. — 9,9^b = Ex. 34,28^a. — 9,26 = Ex. 32,11^b. — 9,27^a = Ex. 32,13. — 9,28 = Num. 14,16; cf. Ex. 32,12. — 9,29^b = Ex. 32,11^b.

Addit alios textus, ubi expressiones sunt eaedem, non tamen ad verbum, de factis sive iisdem sive analogis :

1,13^a = Ex. 18,21^a. — 1,18 = Ex. 34,3.7. — 1,23 = Num. 13,2^b. — 1,27 = Num. 14,2^b.3^a. — 1,32 = Num. 14,11^b. — 2,8^b = Num. 21,11. — 2,13 = Num. 21,12. — 2,18.24^a = Num. 21,13. — 2,36 sq. = Num. 21,24 sq. — 3,4-7 = Num. 21,35^b. — 3,8-10 = Num, 21,24 sq. 35. — 3,12 sq. = Num. 32,33. — 9,16 = Ex. 32,19^a. — 10,10 (= 9,18^a.19^b) = Ex. 34,9 sq. 28^a. — 10,11 = Ex. 33,1.

Superest tamen in iisdem narrationibus tanta expressionum etiam diversitas, ut adstrui nequeat posteriorem aliquem alterutrum textum alteri textui conformasse : is etenim facili ope textus etiam effecisset multo similiores inter se. Neque dici potest, sensim neque consulto alterutrum textum factum esse alterius textus similiorem. Concedendum ergo omnino est, scriptorem Deut. novisse textum narrationis Ex.-Num.

Noveritne D etiam librum legum P. Dum pericopae historicae orationum Deut. comparari possunt cum textu narrationis Ex.-Num., nequit eiusmodi comparatio institui inter Deut. et inter Ex.-Num. quoad *leges*, quia orationes Deut., praeter decalogum et pentalogum, nullas speciales leges habent, sed solum universim inculcant legum observationem. Leges particulares non habentur nisi in collectaneo, quod est orationibus longe recentius.

Verum collectaneum suppetit argumentum indirectum, leges P item notas fuisse auctori D seu Moysi. Etenim collectaneum (v. i.) omnino supponit apparatum quemdam legum antiquiorum se quas explicat, applicat, modificat. Has leges habet sacras, verendas. Leges Thorae

Sacrificiorum non attingit, quod collector intendat non mores sacerdotum, sed mores populi reformare, populumque ad adeundum sanctuarium compellere. Leges Libri Foederis, quas critici quidem non attribuunt P, habet collectaneum ceteris sanctiores; sed novit etiam Thoram Munditiei; legem quippe de animalibus mundis et immundis describit Deut. 14,3-21 de verbo ad verbum, textu magis genuino eo, qui Lev. 11 nunc habetur; novit (Deut. 24,8 sqq. : cf. Lev. 13 sq.) penes Levitas esse, scriptas utique, leges de lepra. Se novisse legem Lev. 17, quae mactationes restringebat, prodit eo, quod Deut. 12 tam instanter restrictionem revocet. Habet leges de fimbriis, de disparatis, de misericordia erga egenos deque aliis rebus, perquam affines legum in Lev. et Num. de iisdem rebus latarum. Quod vero collectaneum leges P repetat pauciores neque verbotenus eas referat, imo ab iis dissonantia praescribat, eius facti non eam esse rationem ostendemus, quod collectaneum ignoraverit P, sed quod eius leges minoris censuerit esse auctoritatis quam utriusque Foederis Libros; hos eum habuisse sanctos et immutabiles, illas sanctas sed non immutabiles. Quod si porro collector et, qui ante ipsum collectanei leges condidere, leges P habebant pro venerandae antiquitatis documentis, negari non potest D easdem novisse.

Non illud efficit haec nostra conclusio, omnes et singulas leges, quae nunc in Lev. et Num. leguntur, fuisse notas collectori, neque omnes in unicum librum aut eodem ordine, quo nunc leguntur, fuisse collectas, sed demonstrat illum traditum accepisse totum aliquem apparatum legum, qui non potuit non esse mosaicus. Has leges fuisse illas ipsas, quas habet P, disce ex eo, quod p. 146 dicebamus, Moysen leges sibi a Iahve commissas illico scripsisse vel scribi curasse : porro has leges se profitetur recitare P.

Venimus porro ad illam libri bipartiti partem, quae superest dempto P, quamque critici vocant JE. Quaeres, *an de eius auctore aliquid ipse pentateuchus affirmet.*

Ex. 24,4 explicite statuitur Moyses scripsisse *Librum Foederis*, uti Deut. 31,9 statuitur scripsisse alterius foederis thoram. Utrumque assertum egregie confirmatur iis, quae de collectaneo disserebamus. Thorae a Moyse scriptae sua adscripsit Samuel, neque adscripsisset, nisi vere thoram a Moyse scriptam existimasset. Ipsum igitur collectaneum testimonium dat, librum secundi foederis a Moyse esse scriptum. Atqui Moyses in secundo foedere sanciendo eundem ritum adhibere debuit et adhibuit, quem in priore foedere sanciendo adhibuerat : ergo revera pro priore etiam foedere sanciendo, quod Ex. 24,4 diserte affirmat, scripsit Librum Foederis.

Nihil certi eruitur e textu Ex. 17,14 : « Scribe haec in libro in memoriam, et pone in auribus Iosue ». Cf. CEL p. 182; *Cornely* Introd. II 1. 40 sq. Non satis perspicitur, agaturne de libro an de scheda, de libro determinato (Masor.) an indeterminato. Potest sensus esse, mandatum de puniendis aliquando Amalecitis (cf. Deut. 25, 17-19) iniungendum esse Iosue et verbo et etiam scripto, sc. in scheda aliqua, ad instar schedae Num. 21,14 (cf. CN p. 244 sq.). Sensus probabilior alterius textus Num. 33,2 is est, Moysen a Deo iussum esse scribere elenchum stationum : CN p. 360 sq. E quibus textibus neque illud consequitur, scripsisse Moysen haec duo sola, neque illud, scripsisse praeter haec duo etiam reliqua omnia. Tamen illud modo demonstrabamus, quo tempore Moyses ad Iordanem versabatur, iam exstitisse inspirante Deo scriptam historicam narrationem substantialiter eandem, quam libri Ex.-Num. habent. Censendane est scripta esse inscio aut invito Moyse? Nequaquam : Moyses eam utique suam facit et sacram habet. Ceterum, non in linguis latina et graeca solum, sed item in hebraea dicitur aliquis scripsisse id, non solum quod scripsit ipse manu sua, sed etiam quod scripsit per alios, scribi mandavit. Neque, si id factum esse quis adstruat quoad narrationem JE, ideo tamquam falsam reiicit Iudaeorum traditionem, Moysen esse pentateuchi auctorem. Quae ita affirmat « Moysen scripsisse librum suum », uti affirmat « Samuelem scripsisse librum suum » (libros Samuelis). Certe Ex.-Num., si supponantur orti esse congestis in unum duobus scriptis partim immediate et partim mediate mosaicis, magis ad Moysen pertinent, quam ad Samuelem pertinent libri Samuelis, quorum maior pars eventus recitat morte Samuelis posteriores. Haec igitur hypothesis non erit negligenda ei, qui sibi videatur deprehendere stili inaequalitatem inter JE, P et D.

Possuntne concedi sacrae narrationis duo primitus fuisse fontes J et E, qui postmodum in unam narrationem JE coaluerint? Haud facile credendus est Moyses duas diversas narrationes actuum suorum concinnasse manu sua; si vero Moyses concedatur potuisse scribere per alios, illos iubendo etc., res difficultatem non habet. Profecto, si Christo concedantur quatuor suorum actorum scriptores evangelistae, cur non concesseris Moysi item duos suarum rerum scriptores? Scribere iusserit duos, recognoverit duos, approbaverit duos, duorum calamo et stilo locutus sit ipse unus. Quorum alter E narrationem texuerit ab Abrahae adventu in Chanaanitiden, alter a mundi exordio. E fragmentis horum duorum veluti V. T. evangeliorum texuerint postmodum restitutores textus vel etiam alii ante eos, unam historiam *synopticam*.

Potestne supponi, ea quae primitus exstiterit unica narratio, postmodum diffissa esse in narrationes duas diversas J et E, quae tandem in unicam narrationem JE rursum sint confusae? Concedit *Holz.* p. 215 sqq., nondum definiri posse, utra historia, J an E, altera exstiterit antiquior. In hac hypothesi unica illa primigenia narratio facilius Moysi concedetur auctori, sed magnam difficultatem patitur illa narrationis diffissio ac postmodum restitutio.

Concedunt omnes, inspirationem non esse necessario verbalem : ea, quae Deus auctori inspirat, auctor ut plurimum enuntiat *verbis suis* et *stilo suo;* verba et stilum auctoris exprimit *textus,* qualis ex auctoris calamo fluit. Sed hic textus rursum plurimas admittit *mutationes.* Non loquimur hic de minutis illis mutationibus, cum voces aliquae corrumpuntur vel excidunt, duae lectiones variantes in unum textum coalescunt, glossae irrepunt etc. Quaerimus de mutationibus illis, quae non textus particulas, sed totum libri textum attingunt.

Textus mutatur, quando in aliam linguam *vertitur.* Neque levis censenda est haec mutatio : « nam deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam » (Eccli. in Prolog.). Tanto maior mutatio, quanto longius distant linguae inter se. Porro placuit providentissimo Deo, ut quorumdam librorum sacrorum non textus primigenius, sed sola versio graeca in manus ecclesiae perveniret. Inter quos est liber omnino supremi momenti, evangelium S. Matthaei. Et illae quidem versiones, quas ecclesia suas fecit, graeca, latina, syra, servabantur, quantum fieri potest, immutatae : sunt autem praeterea versiones linguarum vernacularum ab ecclesia approbatae, quae earum linguarum vicissitudines sequuntur et linguarum mutationibus accommodantur, idiomata mutant totumque stilum. Mansitne semper a Moyse ad Esdram immutatus stilus libri bipartiti? Id certe non cogeris affirmare. Erat tum lingua hebraea lingua vernacula lectorum : mansitne ea lingua plane immutata toto illo tempore? Ceterum, non quaerimus mutarine potuerint apographa omnia : manserint immutata apographa plura, ea imprimis quae in templo asservarentur. Sed, num ab his solis nostrum textum derivari defendes? Erant sane exemplaria plura per urbes et pagos disseminata, quae communi aedificationi inservirent. Affirmabisne, haec omnia summa critica acribia esse exarata, et non potius in eum stilum eaque idiomata esse transfusa, quibus ab audientibus intimius intelligerentur? Erant tum homines pii quidem, sed critices fere expertes. Critici quaerunt *textum,* quem student praeservare intactum; homines pii quaerunt *sensum,* quem clarius perspicere itemque clarius exprimere in votis habent.

Recole narrationem actorum Moysis magis etiam ad Hebraeos pertinuisse, quam ad nos evangelia pertinent : erant ea acta non historia salutis tantum, sed propriae gentis historia. Quam nosse videtur, eam certe partem quae transiordanicos spectaret, homo ferus et illiteratus Iephte (Iud. 11); et satis accurate quidem. Fortasse, uti alias apud Semitas, ea gentis historia recitabatur in domibus civium, in vigiliis pastorum, non semper e scripto, sed e memoria etiam. 4 Reg. 4,23 doceris consuevisse regum aevo haberi conventus sacros sabbatis et calendis : in illis forte etiam illae historiae recitabantur, quod posterioribus aevis religiose observabatur. Fuit autem aevum iudicum aevum rude, *quo in rebus etiam sacerrimis faceret quisque pro lubitu, quod rectum videretur in oculis suis;* aevum certa carens auctoritate, quae rebus civilibus et sacris efficaciter invigilaret. Negabisne eo aevo potuisse evolvi textum alterum, re quidem eundem cum textu primigenio, stilo plurimum diversum? potuisse sequente regum aevo circumferri exemplaria formae E et exemplaria formae J, fortasse aliarum praeterea formarum, quae ad nos non pervenerint? potuisse eventuum quorumdam narrationem desiderari in exemplaribus formae E, aliorum vero eventuum in exemplaribus formae J?

Secutae sunt posteriore regum aevo exitiales illae in libros sacros persecutiones, quando sacrae narrationis partes quaedam haud exiguae interiere penitus (CN p. 213 sqq.). Affirmabisne eas, quae servatae sunt pericopae, fuisse omnes textuum maxime castigatorum, primigeniorum, non vero derivatorum? Id fieri potuisse, non infitior. Si factum est, fuit istud sane miraculi instar. Eratne istud miraculum necessarium, ut vere ad nos transmitteretur verbum Dei? Neque cogeris adstruere unica persecutione effectam esse totam illam sacrorum librorum stragem : fuerint persecutiones sacrorum librorum plures, sicuti fuere plures persecutiones prophetarum; ea, quam movit Manasses, persecutio describitur fuisse praecedentibus omnibus persecutionibus atrocior. Ergo primum destructa sint apographa plura, non omnia eiusdem necessario formae, servata fragmenta plura; quorum fortasse brevi post tentabatur restitutio, non necessario numeris omnibus absoluta; fortasse iam permiscebantur textus et stili. Sequebatur persecutio altera, destruebantur rursum apographa, partim ea quae priorem furorem effugissent, partim ea quorum restitutio aliqua iam fuisset attentata. Novae mox restitutioni admovebantur manus; et ita porro. Quaeres, si tanta adstruatur fragmentorum permixtio, quomodo omnino potuerint restitutores textum restituere. Sed illud indubium est, quod etiam supponebant non 4 Esdr. solum, sed ii quos recensebamus patres, restitutoribus adfuisse *prae-*

sentissimum divinae providentiae auxilium. Quodsi hoc auxilium in tantis difficultatibus tibi videatur miraculi fuisse affine, dicam huius miraculi adstruendi aliquam haberi rationem, non priorum illorum miraculorum. Hoc miraculum certe adstruebat, imo ultra omnem modum exaggerabat iudaica traditio.

Sistebamus hucusque in solis stili mutationibus. Verum inter E et J, inquiunt critici, alia praeter solius stili intercedunt discrimina : sunt quippe unius documenti narrationes et dialogi vividiores, delectatur illud considerationibus ethicis et theologicis etc. Quandoque igitur alicuius documenti textus mutatur non solum versione in aliam linguam vel dialectum, idiomatum vicibus, sed eo etiam quod liberius describatur et elegantius, ad paraphrasin vergat, augeatur reflexionibus moralibus, rerum descriptionibus, tandem efficiatur veluti sui ipsius targum. Horum aliqua ubicunque fiant, illico librum fieri alium, neque primo suo auctori attribui posse, durius affirmaveris, cum horum similia quandoque in LXX etiam et in Vulg. observentur. Quid vero, si haec totum quadamtenus librum pervadant? Dices, haec profecto tollere inspirationem : verum, quorsum ea pertingit? Non inspirantur singula verba non solecismi : suntne pro inspiratis habenda singula incisa? Inspiratur res. Num necessario dicenda est inspirari forma, eaque tota? difficile est limitem accurate definire inter rem et formam.

Aliud advertas. Prophetarum erat, revelationem mosaicam praeservare, explicare, inculcare, non thoram solum sed etiam historiam populi. Id fecerint textum sacrum praelegendo, explicando, verbis auditorum ingeniis magis accommodatis inculcando. Unus alterve horum targumim prophetarum fuerit etiam scriptis mandatus, sit ipse E aut J : habebis scriptum mosaicum utique, at minus mosaicum, sed vere divinum, propheticum, inspiratum. Etenim in omnibus illis viris, qui ad textum pentateuchi evolvendum vel restituendum aliquid contulerunt, tantum iure merito adstrues divinae providentiae auxilium tantumque inspirationis charisma, quanta tibi requiri videbuntur, ut hic pentateuchus vere et cum omnibus suis partibus sit verbum Dei. Quem voluit Deus ab Esdra adhiberi instrumentum foederis renovandi, uti Moyses usus fuerat Libro Foederis et thora instrumentis foederis in Sinai feriendi et in Moabitide restituendi, et uti Samuel usus fuerat thora collectaneo aucta instrumento foederis renovandi. Atque ita testabatur Deus, quascunque ille textus inde a Moyse passus esset vicissitudines, eum esse aeque sacrum atque illi textus fuissent, aeque divinum, verbum Dei.

Quam sane restituti textus indolem nunquam agnituri erant Ios.,

Philo, Iudaei posteriores universi, qui litera huius restituti textus gloriabantur. Ipsi literam tanto labore restitutam summi faciebant, anxia superstitione tuebantur, atque hinc in superstitionem sunt adducti, maiores suos eadem semper religione textum sacrum esse veritos. Quod eorum praeiudicium alii item non iudaei suum fecere, imprimis veteres protestantes. Sicut autem insignis alicuius viri temperantia non est certo argumento, eum nunquam per totam vitam intemperantem fuisse, cum ii quoque, qui vitio intemperantiae dediti fuere, ad meliorem frugem reversi quandoque temperantia postmodum excellant : ita posteriorum Iudaeorum quoad sacrum textum diligentia non est certo argumento, antiquos item Hebraeos sacrum semper textum summa cura et reverentia tractasse. Minus diligentes Masorethis hac in re fuisse Iudaeos post Esdram demonstrant discrimina inter Hebr. et LXX; longe minus diligens exstitit rex Ioakim, qui librum Ieremiae combussit, et ii, qui ipsam thoram in latebras compulere.

Verum coniecturarum de textus vicissitudinibus hic sit finis. Vides compositionem pentateuchi esse quaestionem intricatissimam, quam Wellhusiani non solverunt, sed summis tantum digitis attigerunt : a principiis profecti partim veris partim falsis ad conclusiones delati sunt partim incertas partim omnino falsas. Retexendus penelopaeus labor.

Ad ea, quae demonstrata habemus, reflectimus gressum. Thoram scripsit Moyses, itemque Librum Foederis; reliquas, praeter collectaneum, leges ipse a Deo iussus promulgavit; novit narrationem historicam libri bipartiti. Scripta, quibus noster constat pentateuchus, quando primum edebantur, erant vere mosaica, etiam narratio historica, quam, si ab alio alioque stilo scriptam quis iudicet, tamen Moyses et norat et probabat et suam faciebat.

Moysen omnia illa scripta in unum congessisse pentateuchum, non affirmamus; neque id defendatur oportet, ut pentateuchus liber divinus et mosaicus esse demonstretur. Ei opinioni videtur illud obstare, et Moysen solam thoram, non reliquum pentateuchum apud arcam reposuisse, et solam thoram usque ad Iosiam penes arcam esse asservatam. Compositio pentateuchi videtur opus fuisse non unius aevi, sed plurium saeculorum. In quod tres potissimum conspiravere causae : inspiratio divina, vires humanae, providentia divina.

Inspiratio concedebatur Moysi iisque item viris, quos quis supposuerit Moyse iubente et approbante quaedam scripsisse. Non cogeris aevi mosaici unicum adstruere auctorem inspiratum, cum aevo prophetarum ac postea aevo apostolorum tot una floruerint auctores inspi-

rati. Inspiratio item concedebatur Iosue et Samueli quoad ea, quae thorae ipsi adscripsere. Concedebatur prophetae, qui maledictionibus Deut. 28 novam adscripsit paragraphum. Concedebatur textus restitutori 29,29 (28), nulla quippe est ratio asserendi eum non inspiratum eum versum adscripsisse. Tantam praeterea restitutoribus textus adscribas inspirationem, quanta tibi adscribenda videbitur. Eam affirmabat traditio iudaica, affirmavere Patres. Concedenda certe est ea inspiratio omnis, quae requiritur, ut pentateuchus vere dicatur et sit verbum Dei.

Vires humanae, quae ad pentateuchi compositionem aliquid contulere, aliae fuere *amicae,* aliae *adversae.* Dei quippe providentiam nulla, neque mala fallit voluntas.

Viribus amicis attribuendum est, quidquid pii homines praestitere in textu sacro praeservando, describendo, restituendo. Qui omnes credi possunt fuisse pii et prudentes, sed in rebus criticis fuere tirones. Sensum et aedificationem quaerebant magis quam textum. Neque affirmandus est Deus illis contulisse aliquod plane extraordinarium criticum acumen, quod eorum temporum indolem plane excederet essetque miraculi instar, cum Deus quemlibet hac in re humanarum virium defectum facillime potuerit aut praepedire aut corrigere sapientissima sua providentia.

Recole, quaeso, illud quod iterum iterumque monebamus, neque rursum monere haesitamus : lex mosaica non erat mortua lex, sed viva, credita successioni *prophetarum* moraliter continuae, quorum primarium officium non erat futura praenuntiare, sed foedus et legem conservare, explicare, excolere, atque novum foedus per Christum dandum praeparare (*Cornely* II 2. 271). Quae igitur eius aevi mentes necessario fugiebat ratio critica, eam supplebat Dei providentia ministerio prophetarum. Ipsi sacras leges et historias custodiebant, ipsi ne illae notabile paterentur detrimentum invigilabant, ipsis monentibus, approbantibus, tolerantibus, inhibentibus factum est, ut historia quidem sacra in alteram etiam formam transfunderetur, detrimentum tamen rei pateretur nullum. Magnifice nos sentire decet de illa Dei per tot saecula constanter producta speciali providentia, qua, post thoram et librum bipartitum Hebraeis datum, nobis tandem dedit pentateuchum. Quae initium sumpsit ab inspirationibus Moysi, Samueli aliisque concessis, producebatur ministerio tot prophetarum tot saeculis continuato, utebatur ad suos fines et aevi iudicum licentia, et impiorum regum furoribus, et Iudaeorum Babylone degentium studiis, neque enim h. l. praeterire decet egregium illud divinae providentiae instrumentum, scholam babylonicam,

huiusque scholae nobilissimum ornamentum, scribam in lege Dei versatissimum, *Esdram*.

Vires adversae, quae ad pentateuchum componendum invitae sunt cooperatae, fuere impiorum inter Israelitas hominum, imprimis regum quorumdam odia, qui varias deinceps in sacros libros suscitavere persecutiones, illos omnibus modis mutilare, imo destruere conati sunt.

His viribus omnibus, amicis et adversis, utebatur *divina providentia* ad *fines* suos, qui non omnibus saeculis iidem fuere.

Primum dedit Dei providentia Hebraeis illa sacra scripta, quibus edocerentur suae religionis historiam et obligationes. Historia aevi mosaici erat religionis V. T. potissimum fundamentum : opus erat Hebraeis historia accuratiore, quae non Dei solum gloriose acta, sed populi etiam pudenda peccata recitaret, fiduciam simul generaret et timorem. Opus erat, ut utrumque foedus distincte enarraretur, sinaiticum et moabiticum, utriusque conditiones inculcarentur. Oportebat, non obstante hominum negligentia et criticae artis imperitia, ut scripta mosaica usque praeservarentur talia, ut vere verbum essent et Dei et Moysis, et certa regula pie vivendi. Ubi obortae sunt in libros sacros persecutiones, divina providentia in arenam veluti descendit : libros protegebat, efficiebat ut amissi reperirentur, discissi restituerentur.

Verum aliquando Deus sapienter mutavit finem, quem circa libros sacros eius providentia antea prosequebatur. Consuevit Deus gratiis pertinaciter repudiatis uti flagellis suae iustitiae. Quia Israel pertinaciter recusaverat foedus, pluribus foederis beneficiis destituebatur. Quia legem respuerat, permisit Deus ut obscuraretur lex, antiquiora commiscerentur recentioribus, immutabilia mutabilibus. Historiae sacrae partes illas, quas Israel lethali odio abiecerat, permisit Deus interire; prophetarum interemptoribus prophetas non iam concessit. Scripta mosaica in unum congesta pentateuchum, scribis in locum prophetarum subeuntibus, effecit onus grave.

Sed una cum fine puniendae impietatis prosequebatur divina providentia alterum finem : « iustitia et pax osculatae sunt ». Paranda erat via novo foederi dudum promisso. Incerta et dura reddebatur veteris foederis conditio, ut ad novum foedus aspirarent Iudaei. Carebant prophetis, ut totis votis principis prophetarum adventum opperirentur. Pentateuchus christianis profuturus erat magis quam Iudaeis. Christianis non erat opus historia perquam articulata originum hebraearum : opus erat ea historia, qua ad messiam in ipso paradisi limine et rursum patriarchis promissum perducerentur;

non erat opus tam distincta legum V. T. notitia, quae ipsis tandem non erant, aut non eadem ratione erant observandae. Pentateuchus donum est christianorum usibus plane accommodatum.

Liber hic est verbum Dei, divina inspiratione ortum et auctum, hominum impietate imminutum, e pluribus scriptis inspiratis in unum congestum, forma in quibusdam fortasse mutatum, sed non re. Liber hic, praeter quaedam quae ei deinceps accrevisse demonstrantur, mosaicus est : primum materia, qui totus sit de actis Moysis; etiam origine, cuius omnes partes Moyse superstite scriptae primum fuere sive ab ipso Moyse, sive eo iubente et approbante. Verum est iudaicae traditionis axioma « Moyses scripsit librum suum », verum eo sensu, quo illud a Iudaeis statuebatur, qui non criticum de libro ferebant iudicium, sed quae a maioribus tradita acceperant profitebantur; verius quam alia quaedam eiusdem traditionis axiomata, Samuelem scripsisse librum suum, viros magnae synagogae scripsisse Ezechielem et duodecim prophetas (cf. *Cornely* II 2. 459 sqq. 518 sq.).

Illud tandem hac tota nostra disputatione edocemur, quod neque antecessores nostros latuit, non oportere ingenua fide recipi, quaecunque affirmant *traditiones Iudaeorum*, sed integerrime discuti : habent eae aurum mixtum scoriis, veritatem auctam fabulis. Quae inter alia affirmant, tot elapsis saeculis textum hebraeum perseverasse adamussim talem, qualis ex auctorum calamis fluxisset; affirmant, per plurima portenta LXX suam versionem exarasse; affirmant, libros sacros aliquando penitus deperditos insigni plane et inaudito miraculo ab Esdra tales omnino, quales ante fuissent, esse restitutos. Septuaginta virorum cellulas explosas iam habebat S. Hier. Thesis de incomparabili textus hebraei excellentia, quae primorum maxime protestantium animos obsidebat, nunc ad aequiores limites revocata conspicitur. Admittenda omnino est strages illa sacrorum librorum extremo regum aevo facta, quam alii etiam praeter Ps. Esdram testes asseverant, cuius in sacro textu indubia deprehenduntur vestigia (factum Helciae, Deut. 29,29, etc.); sed neganda, quae communi consensu negatur, portentosa illa librorum restitutio. Affirmanda restitutio talis, qualis post tantam stragem, hominum pia studia iuvante et regente speciali divina providentia, fieri et potuit et debuit, quaeque abunde consuleret sacrorum librorum veritati et inspirationi.

ORATIO MOYSIS PRIMA, QUAE EST PARAENESIS THORAE

DEUT. 1,1-4,43

Arg. — Constant haec duabus partibus, v. 1-3 et v. 4 sq. Erat primitus v. 1-3 summarium simul praecedentis libri Num. narrationis, et transitio ad eam, quae versum 3 immediate excipiebat, 31,14-34,12 narrationem actorum supremae diei vitae Moysis. Resumebat v. 1 sq. peregrinationis a Sinai ad Iordanem iter et durationem, adscripta v. 3 die, qua Moyses, officio mediatoris Iahven inter et populum plene functus, vitae valedixit. Ubi postmodum inter 1,3 et 31,14 inserebantur orationes Moysis, visum est adscripto v. 4. 5ª distinctius describere habitae prioris orationis tempus et locum, imprimis quo intelligeretur, non ipso extremo vitae die, sed aliquando post Amorrhaeorum stragem Moysen eam orationem habuisse.

Mandata Ex.-Num. proponebantur ut *verba Iahve per Moysen facta* (v. p. 62 sqq. et Num. 36,13; Lev. 26,45[46]; 27,34), ergo secundario etiam ut *verba Moysis* tamquam interpretis et mediatoris. v. 1. 3 illud enuntiare vult scriptor, defecisse iam non verba Iahve quidem, quae etiam ad Iosue et prophetas deinceps facta sunt, sed *verba Moysis*, qui mediatoris officio iam plene functus moritur : quare v. 1. 3 scribit *verba Moysis*. *Cap. I* v. 1 « *Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem, in solitudine campestri contra Mare Rubrum, inter Pharan et Thophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum* »; seu secundum *Hebr.* nostrum : *trans Iordanem, in deserto* (ab oriente Moabitidis et Seiritidis), *in Araba contra Suph, inter Pharan et inter Thophel et Laban et Haseroth et Dizahab.* Sensus sententiae universim clarus est, licet quaedam voces sint obscurae. *Transiordanica* idem est tractus, atque Num. 36,13 *campestria Moab super Iordanem. Pharan* est desertum notissimum Num. 10,12; 13,1. 27 etc. *Haseroth,* statio famosa Num. 11, 34(35); 13,1(12,16); 33,17. Quisquis igitur sit sensus vocum interiectarum, describitur series locorum a Iordane montem Sinai versus. Certe non describitur locus unus prope Iordanem, ubi Moyses orationem

sequentem habuerit (*Cai.*), cuius locus v. 5 clare et concise describitur fuisse « trans Iordanem in terra Moab ». Quomodo ille locus lectoribus oppido notus h. l. describatur accuratius per Suph, Haseroth et Pharan, loca interiectis tot desertis et montibus separata? Si accuratiore descriptione opus erat, appellandi erant Nebo, Iericho, Setim etc. Ergo v. 1 refertur ad *praecedentem* narrationem. Et, quia v. 1 non ad nova narranda transit, sed respicit acta Iordanem inter et Sinai, quorum pars erant « mandata » Num. 36,13, ideo אלה caret copula (cf. 4,44 sq.). Si enim v. 1 novum ordiebatur narrationis caput, potius scribendum erat ואלה. Recte igitur *Mar.* : v. 1, inquit, « repetit in summa, quibus locis Moyses locutus est, quae superioribus libris continentur. Ita hi duo primi versus quasi epilogus sunt superiorum ». Ipse Horeb non recensetur, versus non attingit copiosam doctrinam, quam ad eius montis radices Moyses impertitus est populo, sed solam respicit doctrinam *postsinaiticam*. Ubi item advertas, stationes a Iordane recitari *ordine inverso* (*Cornely* I 1. p. 47) : Iordanis, desertum ad orientem Moab et Seir, Araba meridionalis, Pharan etc. Enumerationis modum insuetum. Narrator in termino constitutus unico veluti obtutu complectitur primum, quae proxima adiacent, itineris extrema, dein, quae longius absunt, itineris initia; ad montem ignis et fumi oculi acies non pertingit.

ערבה, *Araba* vocatur regio demissior ad septentrionem (Ios. 12,1; 2 Reg. 4,7; 4 Reg. 25,4), sed potissimum ad meridiem Maris Mortui, vallis ab hoc mari decurrens ad Sinum Aelaniticum. Hanc intelligi h. l. patet ex adscripto *ex opposito Suph*, cui opponebatur Num. 36,13 *Araba Moab*. Quod Suph non est idem atque Supha Num. 21,14 (*Malv.*); differt quippe scriptio nominum, et pagus aliis interiectis tractibus ab Araba seiungitur; sed est Maris Rubri ea pars, quae Sinus Aelaniticus audit. Eadem Araba vocatur Deut. 1,40;2,1 מדבר דרך ים סוף, desertum quod ducit ad mare Suph (cf. Num. 21,4). — Verum, quid h. l. sibi vult praecedens nomen מדבר? Quod concluditur hic Iordane, ibi Sinu Aelanitico. Commode intelliges *desertum*, quod est ad orientem montis Seir et Moabitidis, quodque peragrarunt Hebraei Num. 33,42-44; cf. Num. 21,18; habebisque continuam variorum v. 1 locorum seriem. Suggesserit aliquis, vocem iungi posse sequentibus tamquam appositioni : *desertum, i. e. Araba ex opposito Suph* (*Vulg.*). Sed, cum. post הירדן et מול non legatur copula, cum tamen loca habeantur diversa, praestat etiam מדבר et ערבה, inter quae copula non intercedit, interpretari loca diversa. — *Thophel*, תפל, locus plane ignotus. Assonantia cum et-Tafile, regione fertili Idumaeae septentrionalis, potest esse fortuita. — *Laban*, לבן aliqui componunt cum לבנה, Lebna Num. 33,20. — די זהב *Hier.* vertit *ubi auri plurimum* (cf. *Aq.*), sed (De situ et nominibus locorum hebr.; cf. *Eus.-Lagarde* 109,4;269,19) secutus *LXX* et *Eus.* scribit *Cata Chrysea*, definitque esse nomen loci cuiusdam, probabilius ab auro petitum. Item *Syr.* nomen proprium intelligit : *Dizahab*. An forte hoc erat nativum nomen loci Num. 11,34, qui ab eventu appellatus est Sepulcra Concupiscentiae? Quocum nomine *I. L. Burckhardt* (Reisen in Syrien etc. II. 848, Weimar 1824.

übers. v. W. Gesenius) comparat portum Dhahab, ad orientem montis Sinai situm, ad quem ab eo monte procurrit vallis Wadi Nasb, a cupro uti videtur nomen nacta (*G. Ebers* : Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 324 sq. 364). Vel coniecerit aliquis די זהב deformatione unius literae ortum esse ex גי זהב, *vallis auri*, quae Vallis Auri ob carnium ingluviem Hebraeis effecta sit Sepulcra Concupiscentiae. — Sed quid sibi volunt extrema quinque v. 1 locorum nomina? Ubi sentiunt fere interpretes, quod tria extrema nomina careant praepositione בין, supplendam esse pro illis ex immediate praecedentibus eandem praepositionem. Constructio valde inaequalis et impedita : inter Pharan et inter Tophel et (inter) Laban et (inter) Haseroth et (inter) Dizahab. Et, si Laban reapse idem sit atque Lebna, cur tandem haec effertur statio, de qua praeter nudum nomen Num. 33,20 compertum habemus nihil? Pro ולבן ו suggero ולבין (cf. Is. 59,2) : *inter Pharan et inter Thophel* ex una parte, *et inter Haseroth et Dizahab* ex altera parte. Quae non sunt appositio ad *Arabam*, quae erat sufficienter nota per se, iamque accurate definitur per *Suph* notissimum, quaeque minime *inter* quatuor illa loca reperitur; sed describunt totum illud a Sinai Cadesam desertum, quod peragravere Hebraei antequam in Arabam deflecterent. Habes igitur v. 1 totum Hebraeorum iter a Sinai usque Iordanem : sc. desertum a Sinai Cadesam, Cadesa ad Sinum Aelaniticum, ab hoc Sinu ad limitem septentrionalem Moabitidis, tandem transiordanicam. Quae si pro veris recipiantur, praesto est suspicio, in nomine illo inaudito *Thophel* latere *Cadesam*. Perpende, quod CN p. 213 sqq. explicabamus, et Deut. 1,2,46;2,1 etc. explicantes confirmabimus, quantopere Hebraei quidam posteriores solliciti fuerint de actis cadesianis obscurandis. Porro תפל sonat *insipidum, stultum* (Thren. 2,14; cf. Iob 1,22;24,12; Ier. 23,13). pseudonymum haud incongruum Cadesae, ubi tantopere desipuere Hebraei. Ceterum, si malis supponere nomen קדש in textu fere obliteratum scribam aliquem infelicius expressisse תפל, non equidem repugno.

v. 2 « *Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cades Barne* ». In textu, qui certe mancus est et recusus (v. i.), nunc legi non, quod libri bipartiti magis proprium sit, *Sinai*, sed *Horeb*, difficultatem non habet : potuit sc. pro *Sinai* scribi *Horeb* ab illo, qui textum recudit. Sed h. l. dicendum nobis est de illis nominibus. Quae dicebamus CEL p. 44 sq. 187 esse synonyma; videntur designasse modo unum aliquod cacumen, modo totum tractum montanum. Ante primum foedus habes Horeb Ex. 3,1; 17,6; inde ab accessu populi ad locum foederis, ac deinceps per totum librum bipartitum (etiam Deut. 33,2) habes Sinai; in orationibus Moysis constanter habes Horeb (itemque 3 Reg. 8,9; 19,8 in narratione prioris partis aevi regum). Postmodum, quod Hebraei tam librum bipartitum quam orationes prae manibus haberent, habes modo Horeb (Mal. 4,4; Ps. 105 [106], 19), modo Sinai (Iud. 5,5; Iudith 5,14; Ps. 67 [68], 9.18; Act. 7,30. 38; Gal. 4,24 sq.), utrumque nomen Eccli. 48,7. Nota, nominis Sinai nullum vestigium reperiri in inscriptionibus hieroglyphicis, cuneiformibus aliisve antiquis documentis, dum nomen Horeb videatur ab indole loci esse

sequentem habuerit (*Cai.*), cuius locus v. 5 clare et concise describitur fuisse « trans Iordanem in terra Moab ». Quomodo ille locus lectoribus oppido notus h. l. describatur accuratius per Suph, Haseroth et Pharan, loca interiectis tot desertis et montibus separata? Si accuratiore descriptione opus erat, appellandi erant Nebo, Iericho, Setim etc. Ergo v. 1 refertur ad *praecedentem* narrationem. Et, quia v. 1 non ad nova narranda transit, sed respicit acta Iordanem inter et Sinai, quorum pars erant « mandata » Num. 36,13, ideo אלה caret copula (cf. 4,44 sq.). Si enim v. 1 novum ordiebatur narrationis caput, potius scribendum erat ואלה. Recte igitur *Mar.* : v. 1, inquit, « repetit in summa, quibus locis Moyses locutus est, quae superioribus libris continentur. Ita hi duo primi versus quasi epilogus sunt superiorum ». Ipse Horeb non recensetur, versus non attingit copiosam doctrinam, quam ad eius montis radices Moyses impertitus est populo, sed solam respicit doctrinam *postsinaiticam*. Ubi item advertas, stationes a Iordane recitari *ordine inverso* (*Cornely* I 1. p. 47) : Iordanis, desertum ad orientem Moab et Seir, Araba meridionalis, Pharan etc. Enumerationis modum insuetum. Narrator in termino constitutus unico veluti obtutu complectitur primum, quae proxima adiacent, itineris extrema, dein, quae longius absunt, itineris initia; ad montem ignis et fumi oculi acies non pertingit.

ערבה, *Araba* vocatur regio demissior ad septentrionem (Ios. 12,1; 2 Reg. 4,7; 4 Reg. 25,4), sed potissimum ad meridiem Maris Mortui, vallis ab hoc mari decurrens ad Sinum Aelaniticum. Hanc intelligi h. l. patet ex adscripto *ex opposito Suph*, cui opponebatur Num. 36,13 ***Araba Moab***. Quod Suph non est idem atque Supha Num. 21,14 (***Malv.***); differt quippe scriptio nominum, et pagus aliis interiectis tractibus ab Araba seiungitur; sed est Maris Rubri ea pars, quae Sinus Aelaniticus audit. Eadem Araba vocatur Deut. 1,40;2,1 מדבר דרך ים סוף, desertum quod ducit ad mare Suph (cf. Num. 21.4). — Verum, quid h. l. sibi vult praecedens nomen מדבר? Quod concluditur hic Iordane, ibi Sinu Aelanitico. Commode intelliges *desertum*, quod est ad orientem montis Seir et Moabitidis, quodque peragrarunt Hebraei Num. 33,42-44; cf. Num. 21,18; habebisque continuam variorum v. 1 locorum seriem. Suggesserit aliquis, vocem iungi posse sequentibus tamquam appositioni : *desertum, i. e. Araba ex opposito Suph* (*Vulg.*). Sed, cum. post הירדן et מוף non legatur copula, cum tamen loca habeantur diversa, praestat etiam מדבר et ערבה, inter quae copula non intercedit, interpretari loca diversa. — *Thophel*, תפל, locus plane ignotus. Assonantia cum et-Tafile, regione fertili Idumaeae septentrionalis, potest esse fortuita. — *Laban*, לבן aliqui componunt cum לבנה, Lebna Num. 33,20. — די זהב *Hier.* vertit *ubi auri plurimum* (cf. *Aq.*), sed (De situ et nominibus locorum hebr.; cf. *Eus.-Lagarde* 109,4;269.19) secutus *LXX* et *Eus.* scribit *Cata Chrysea*, definitque esse nomen loci cuiusdam, probabilius ab auro petitum. Item *Syr.* nomen proprium intelligit : *Dizahab*. An forte hoc erat nativum nomen loci Num. 11,34, qui ab eventu appellatus est Sepulcra Concupiscentiae? Quocum nomine *I. L. Burckhardt* (Reisen in Syrien etc. II. 848, Weimar 1824.

übers. v. W. Gesenius) comparat portum Dhahab, ad orientem montis Sinai situm, ad quem ab eo monte procurrit vallis Wadi Nasb, a cupro uti videtur nomen nacta (*G. Ebers* : Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 324 sq. 364). Vel coniecerit aliquis די זהב deformatione unius literae ortum esse ex גי זהב, *vallis auri*, quae Vallis Auri ob carnium ingluviem Hebraeis effecta sit Sepulcra Concupiscentiae. — Sed quid sibi volunt extrema quinque v. 1 locorum nomina? Ubi sentiunt fere interpretes, quod tria extrema nomina careant praepositione בין, supplendam esse pro illis ex immediate praecedentibus eandem praepositionem. Constructio valde inaequalis et impedita : inter Pharan et inter Tophel et (inter) Laban et (inter) Haseroth et (inter) Dizahab. Et, si Laban reapse idem sit atque Lebna, cur tandem haec effertur statio, de qua praeter nudum nomen Num. 33,20 compertum habemus nihil? Pro ולבן ו suggero ולבין (cf. Is. 59,2) : *inter Pharan et inter Thophel* ex una parte, *et inter Haseroth et Dizahab* ex altera parte. Quae non sunt appositio ad *Arabam*, quae erat sufficienter nota per se, iamque accurate definitur per *Suph* notissimum, quaeque minime *inter* quatuor illa loca reperitur; sed describunt totum illud a Sinai Cadesam desertum, quod peragravere Hebraei antequam in Arabam deflecterent. Habes igitur v. 1 totum Hebraeorum iter a Sinai usque Iordanem : sc. desertum a Sinai Cadesam, Cadesa ad Sinum Aelaniticum, ab hoc Sinu ad limitem septentrionalem Moabitidis, tandem transiordanicam. Quae si pro veris recipiantur, praesto est suspicio, in nomine illo inaudito *Thophel* latere *Cadesam*. Perpende, quod CN p. 213 sqq. explicabamus, et Deut. 1,2,46;2,1 etc. explicantes confirmabimus, quantopere Hebraei quidam posteriores solliciti fuerint de actis cadesianis obscurandis. Porro תפל sonat *insipidum, stultum* (Thren. 2,14; cf. Iob 1,22;24,12; Ier. 23,13), pseudonymum haud incongruum Cadesae, ubi tantopere desipuere Hebraei. Ceterum, si malis supponere nomen קדש in textu fere obliteratum scribam aliquem infelicius expressisse תפל, non equidem repugno.

v. 2 « *Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cades Barne* ». In textu, qui certe mancus est et recusus (v. i.), nunc legi non, quod libri bipartiti magis proprium sit, *Sinai*, sed *Horeb*, difficultatem non habet : potuit sc. pro *Sinai* scribi *Horeb* ab illo, qui textum recudit. Sed h. l. dicendum nobis est de illis nominibus. Quae dicebamus CEL p. 44 sq. 187 esse synonyma; videntur designasse modo unum aliquod cacumen, modo totum tractum montanum. Ante primum foedus habes Horeb Ex. 3,1; 17,6; inde ab accessu populi ad locum foederis, ac deinceps per totum librum bipartitum (etiam Deut. 33,2) habes Sinai; in orationibus Moysis constanter habes Horeb (itemque 3 Reg. 8,9; 19,8 in narratione prioris partis aevi regum). Postmodum, quod Hebraei tam librum bipartitum quam orationes prae manibus haberent, habes modo Horeb (Mal. 4,4; Ps. 105 [106], 19), modo Sinai (Iud. 5,5; Iudith 5,14; Ps. 67 [68], 9.18; Act. 7,30. 38; Gal. 4,24 sq.), utrumque nomen Eccli. 48,7. Nota, nominis Sinai nullum vestigium reperiri in inscriptionibus hieroglyphicis, cuneiformibus aliisve antiquis documentis, dum nomen Horeb videatur ab indole loci esse

petitum, ut sonet montem « siccum, aridum ». Porro rationem inquirimus, cui inde ab Ex. 19,1 liber bipartitus constanter scribat Sinai, Deut. aeque constanter Horeb. Quam rationem critici moderni unanimes statuunt, haberi idioma stili, quod prodat illa scripta a diversis auctoribus diversis temporibus esse concinnata. Aliam suggerimus probabilem explicationem. Novimus nomina virorum quandoque mutari consuevisse (sive a Deo sive a rege aliquo), quando ad speciale munus assumerentur; novimus item locis quibusdam nomina esse imposita ab eventibus (cf. Gen. 16,14; 28,22) : congruum videtur, ut si quis collato muneri non satisfaceret, aut eventus aliquis non iam aeque laetus aut gloriosus haberetur, eiusmodi nomen supprimeretur. Ergo, quando foedus sinaiticum quoad maiorem populi partem et ad tempus est revocatum, suppressum item fuerit illud montis nomen, quod foederis illius memoriam maxime revocabat in mentem; revocatum fuerit, non dico Dei decreto, fortasse neque Moysis decreto, sed communi hominum consensu. Non pronuntiabatur nomen, quod maledictioni esset magis affine quam benedictioni. Quae opinio non adstruit nomen Sinai a Deo monti esse impositum, aut non esse derivatum a nomine deserti Sin, cuius nominis origo ceteroquin nos latet, sed solum, istud nomen inde a primo sancito foedere de facto evasisse sacrum aut certe ad montem foederis designandum communissimum, postea ob Dei vindicis apostasiae reverentiam esse suppressum. Quae agendi ratio moribus quidem nostri aevi non est conformis, sed omnino respondet indoli et cogitatis antiquorum hominum semitarum. Ergo, quod liber bipartitus solum habeat Sinai, Deut. solum Horeb, non est irrefragabile argumentum duos illos libros diversorum esse auctorum et temporum.

v. 2 sensu obvio intellectus exprimit distantiam a monte Horeb Cadesam, atque hoc sensu *praeter omnem contextum* adscribitur. Quid iuvat unicam ab Horeb Cadesam adscribere distantiam? Cur non item adscribitur distantia Cadesa ad mare Suph, ab hoc ad Arnonem, Arnone ad Iordanem? Narrator non consueverat nudas distantias adscribere, sed durationem itineris, quae est alia omnino res (cf. CN p. 167), exprimens simul et durationem itineris de statione in stationem, et durationem morarum in stationibus factarum. Reperit igitur, qui clausulam adscripsit Num. 36,13; Deut. 1,1, hoc disiectum narrationis mosaicae membrum et, quo illud spectaret ignarus, h. l. adscripserit.

Nostrarum tamen partium esse censemus accuratius dispicere, annon intimior aliquis inter v. 2 et 1 deprehendatur nexus, ut v. 2 non forte huc sit dilapsus, sed ab initio versui 1 fuerit adscriptus. Rur-

sum recole, quam studiose posterior aliquis deformator acta cadesiana et imprimis horum actorum *tempora* obscuraverit. Num. 20,1 delevit *annum* et *diem*, solo *mense primo* retento; ubi nos CN p. 156 demonstrabamus agi *annum tertium*, diem tamen adventus cadesiani non valebamus definire. Rursum Deut. 1,46 (v. i. p. 191 sq.) obliteravit durationem commorationis cadesianae, suffecta in eius locum inani sententia : « Sedistis Cadesae diebus multis, tot quot ibi sedistis ». Rursum Deut. 2,1 durationi, quae ib. primitus legebatur, peregrinationis Cadesa per Arabam ad Mare Suph substituit generalem expressionem « multis diebus ». Haec prae oculis habens supponas, quaeso, nostrum v. 2 primum habuisse fere haec : Undecim dies ab Horeb per viam montis Seir usque Cades Barne; [anni x in Cades Barne; dies y a Cades Barne ad Iordanem]. Evidens habetur contextus : v. 1 tradit directionem, v. 2 tradit durationem peregrinationis Hebraeorum a Sinai Iordanem usque. Haec duo profecto exspectaveris efferri iis versibus qui praecedentis narrationis summarium tradunt. Verum non potuit haec intacta relinquere narrationis deformator. Quid proderat Deut. 1,46 obliterare tempus commorationis cadesianae, si ea Deut. 1,2 accurate expressa legeretur? Qui deformavit 1,46, debuit idem deformare 1,2. Quod praestitit excisis duobus extremis incisis, quae parenthesi [ ] includebamus.

Obiicies, haec si pro veris admittantur, illud consequi, debuisse item deformatorem primum eliminare incisum : quid proderat Num. 20,1 amputare initium commorationis cadesianae, si ea h. l. legeretur coepisse undecim diebus post profectionem a monte Sinai? Verum adverte, hos *undecim dies* nequaquam totum exprimere tempus, quod a Sinai Cadesam insumpsere Hebraei. A Sinai profecti sunt die 20ª mensis 2ⁱ anni 2ⁱ (Num. 10,11), Cadesam pervenere Num. 20,1 certe post initium anni tertii : habes hic dies ducentis plures. Vel in solo deserto Pharan substitere aliquando (Num. 13,26) diebus saltem 40. *E. Robinson* (Palaestina etc. I. 238 sqq., Halle 1841), inquit *Dr.*, undecim solidis diebus iter complevit a Sinai usque prope Cadesam. Omnino complevit : sed Robinson cum paucis sociis vehebatur camelis per 7-11 horas quotidie : ergo Hebraei pedites et impediti gregibus insumpsere dies multo plures. Nonne Elias 3 Reg. 19,8 cibo miraculoso refectus ambulavit per desertum 40 diebus et 40 noctibus usque ad montem Horeb? Perpende porro, e Num. 10,11; 20,1 cum CN p. 156 illud haberi, profectos esse Hebraeos a monte Sinai die 20ª mensis 2ⁱ anni 2ⁱ, advenisse Cadesam die x mensis 1ⁱ anni 3ⁱ. Annus lunaris Hebraeorum habebat dies 352-356; pro x substitue Num. 20,1 unum e diebus 9-5 mensis Nisan, et habebis totius itineris

a Sinai Cadesam *dies 311* : textus deformator *dies 300 expunxit, diebus 11 in textu retentis.*

Videantur tibi hae coniecturae non satis fundatae : accipe earum confirmationem aliquam. Narratum habes Ex. 12,18; Num. 9,3 Phase 1^{i} et 2^{i} ab exodo anni; habes Ios. 5,10 Phase anni 41^{i}; ante hoc per plures annos non est celebratum Phase, ideo etiam quod Ios. 5,5 sqq. homines non essent circumcisi. Recitat ergo sacra narratio ea Phase, quae fuere celebrata : Num. 20 non recitatur Phase 3^{i} anni, ergo illud non est celebratum, sed praeoccupatum apostasia cadesiana. Reapse obvius sensus narrationis Num. 20,1 sq. is est, apostasiam proxime subsecutam esse mortem Mariae. Si eius anni die 14^{a} Nisan nondum erat absolutus luctus Mariae, erat omnis populus ob eum luctum immundus, eratque secundum Num. 9,11 Phase differendum usque ad 14^{am} sequentis mensis. Utrolibet mense celebrandum fuerit Phase illud, ante diem pro eius celebratione statutum apostasia intercessit. Hoc igitur argumento efficitur, Hebraeos Cadesam advenisse ante 14^{am} Nisan 3^{i} anni et, cum certe advenerint (Num. 20,1) incoepto iam mense Nisan atque in priore eius mensis parte completi sint dies 311 ab inita profectione de monte Sinai, confirmatur coniectura textum Deut. 1,2 pro 11 primitus habuisse 311. Quae coniectura si tibi, lector benevole, non satis fundata appareat, solidiorem quaeso in medium proferas; vix reperies in iis, quae alii antehac interpretes suggessere.

Nihil profecto est, cur v. 1 sq. auctori narrationis Ex.-Num. et Deut. 31,14-34,12 abiudicemus, licet v. 2 a recentiore aliquo decurtatum esse fateamur. Norat ille scriptor nomen stationis Dizahab, quod hoc solo loco legitur, norat completam stationum et temporum rationem. Legebat in suo textu ea, quae recentiori illi ratio fuere decurtandi textus, universam historiam apostasiae cadesianae et probabilius item sacerdotum praemosaicorum. Haec utique habebat textus ille, qui idem habebat accuratam temporum rationem. Vides tolli apparentem illam duarum partium libri bipartiti inaequalitatem, cuius secundum nostrarum bibliarum vulgares divisiones habet nunc pars prior capita 117, pars posterior capita certe 40 pauciora. Verum habebat primitus haec altera pars, quae nunc exciderunt. Cf. CN p. 213 sqq.

Certum est, ante Phase Ios. 5,10 et Moysen mortuum esse, et eius triginta dierum (Deut. 34,8) luctum esse absolutum. Illud vero Phase celebrabatur die 14^{a} Nisan seu mensis primi. *Ps. Ion.* Moysen et natum et mortuum scribit 7^{a} die mensis 12^{i} Adar, 30 dies luctus producit usque ad diem 8^{am} Nisan : supersunt ei dies 6, quibus Iordanem traiiciat, Phase praeparet. Sed nota, circumcisionem (Ios. 5,2 sqq.),

etiamsi supponatur unico die in viris omnibus esse peracta, solam fere illos 6 dies occupaturam fuisse, cum gravissimus vulnerum dolor haberetur (Gen. 34,25) die tertio. Sermonum Moysis Deut. 1,6-30,20 initium Ps. Ion. attribuit 1ae diei 11i mensis Sabath, ergo eidem atque Deut. 1,3 diei. Relinquitur igitur plus quam integer mensis, cui factum aliud attribuitur nullum praeter illos sermones. *Ios.* Moysen mortuum scribit 1a die mensis 12i Adar, monetque (Ant. IV. 8 initio) sermonem habitum esse integro mense ante expletos 40 annos. Verum, undenam Ios. hos annos computabat? nonne a die 1a Nisan? Ergo secundum Ios. illos duos sermones habuerit Moyses ipso die mortis suae vel pridie! Sc. hi auctores supponebant, descriptionem temporis v. 3 referri ad initium sermonum, quod falsum est.

v. 3 « *Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quae praeceperat illi Dominus, ut diceret eis* ». ויהי demonstrat novum ordiri narrationis caput : recensitis summario v. 1 sq. iis, quae ante locutus est Moyses, venitur ad diem 1am mensis 11i. Qua die non est locutus Moyses ea *verba,* de quibus v. 1 : haec enim praecedens narratio in varias distribuit stationes, non fuit eo uno die Moyses in omnibus illis locis v. 1 enumeratis; vel illa verba, quae Moyses inter Sinai et Cades locutus est, secundum v. 2 in plures dies distribuuntur; tandem res est per se evidens. Si v. 3 compares cum v. 1 et Num. 36,13, perspicies *locutus est* v. 3 idem sonare atque *loquendi finem fecit* seu *locutus erat*. *Verba* v. 3 utique eadem sunt atque verba v. 1, sed ea Moyses illo die non est locutus, sed loquendi finem fecerat. Quae ibi generatim dicebantur *verba Moysis,* h. l. accuratius describuntur fuisse *verba Iahve per Moysen.* Eo die plene functus erat Moyses suo officio mediatoris inter Iahven et populum, legislatoris promulgantis leges nomine Iahve : quid supererat, nisi ut moreretur? Igitur v. 3, si solus spectetur, totus est negativus; non tradit, quid die mensis 1a Moyses fecerit, sed quid eo die non perrexerit facere, quod res iam esset ante absoluta. Cf. descriptiones temporum CN p. 167, quae describunt tempora eventuum maxime illustrium, non vero tempora, quibus illi eventus fieri desierant. Ergo etiam descriptio v. 3 traditur ad demonstrandum factum aliquod, non negativum tantum seu cessationem prioris facti, sed factum aliquod praeterea positivum, quod illo primo die mensis locum habuerit. Ubi iuvat conferre 31,30 : « Et locutus est Moyses in auribus totius ecclesiae Israel verba cantici huius *ad finem usque* »; et 32,45 : « Et *complevit* Moyses loqui omnes sermones istos » (cantici) « ad omnem Israel ». I. e., postquam absolvit Moyses canticum, pronuntiata item benedictione cap. 33, montem *conscendit* moriturus; similiter 1,3 : postquam plene functus est officio mediatoris, a Iahve 31,14 *iussus* est montem conscendere.

Dices, hunc sensum eo excludi, quod v. 4 sq. illi diei attribuat

concionem Moysis 1,6-4,40; haec igitur concio ille est eventus positivus, qui eam diem illustrem reddidit. Mirum est huius concionis tempus per annum, mensem et diem tam accurate describi, non vero concionis longe augustioris Deut. 5 sqq. Dein illius concionis videtur v. 4 *aliud* adscribere tempus : habita est *post* cladem Sehon. Ubi parta de Sehone victoria Hebraeis obtigit diutius habere fixa in eodem loco castra, tempus se nactum esse opportunum censuit Moyses populo supremum de officiis monendo. Putasne, voluisse scriptorem monere lectorem, cladem Sehonis exstitisse mense 11° non posteriorem, sed priorem? Non erat hic eius moniti locus. Neque eodem opus erat, cum narratio Num. ordinem temporum sequatur, ergo quaecunque Num. 22-36 narrantur oportuerit evenisse *post* cladem Sehon Num. 21. Imo erat illud plane superfluum, cum neminem lectorem potuerit latere, tempus duorum mensium et dimidii, quod inter initium mensis 11[i] et Phase Ios. 5,10 intercessit, futurum fuisse plane insufficiens iis omnibus, quae eo tempore essent peragenda. Erant ea acta Balaam, peccatum Beelphegor, altera populi numeratio, duae de filiabus Salphaad actiones, clades Madianitarum, transiordanicae attributio (quae non unico die facta est, Num. 32,16), aliquae leges latae, concio Deut. 1,6-4,40, renovatio foederis 29,1, quae credenda est celebrata esse per octavam, tandem canticum, benedictio, mors, luctus triginta dierum, transitus Iordanis, praeparatio Phase. Putasne, haec omnia acta esse brevissimis intervallis? Profecto duae ad Balaamum legationes aliquas occupavere hebdomadas; seductio Num. 25 a Balaamo suggesta aliquamdiu in populo serpebat, quoad in ipsum Moysis et tabernaculi conspectum palam erupit; intercessit tempus usque ad proelium Num. 31, quod eius seductionis poenam inflixit. Estne numeratio populi unico die absoluta? Profecto lectorem latere non potuit, cladem Sehon exstitisse mense 11° anteriorem.

Ergo verba v. 4 non adduntur ad magis determinandam temporis descriptionem v. 3, quae est plane determinata; neque adduntur ad monendum lectorem, cladem Sehon fuisse mense 11° anteriorem, rem omnino evidentem. Sed enuntiant, non determinate per diem et mensem, sed indeterminate tempus habitae sequentis paraeneseos; indeterminate ideo sane, quod ille, qui v. 4 sq. adscripsit, non habuerit compertum diem et mensem. Tempus v. 4 diversum est a tempore v. 3; paraenesis non est habita die 1° mensis 11[i], qui de cetero fuit dies occupatissimus. Deseritur ordo stricte historicus narrationis, qui Ex.-Num. observabatur; post scriptum v. 3 mensem 11[um], afferuntur aliqua eo mense anteriora.

Perpende, eventus alios, quorum Ex.-Num. tempora per annos,

menses et dies describuntur, fuisse eventus gravissimos omnes : dicesne 1,3 eodem solemni ritu describi tempus, quo Moyses *coeperit*, i. e. *animum adiecerit* populo supremum commonendo, non gravem eventum, sed gravis eventus initium tantum? Idque, dum alterius gravissimi prorsus eventus, mortis sc. Moysis tempus sileatur? Recole, quod dicebamus CN p. 5. 156, totam inde ab Exodo narrationem ita esse arte dispositam, ut ad Moysis mortem tendat tamquam ad suum terminum. Non potuit in ea primitus narratione silentio praeteriri tempus, quo Moyses e vivis cessit, oportuit illud etiam describi per annum, mensem, diem. Illud tempus aut excidit e nostro textu, aut habetur 1,3.

Perpende, totam praecedentem Ex.-Num. narrationem in eo fuisse, ut traderet *acta Iahve per Moysen*; vix non singula acta Moysis legislatoris revocabat narratio ad Iahven primum auctorem hac fere formula : « Locutus est Iahve ad Moysen dicens ». Quae eadem divina alloquia rursum habes inde a Deut. 31,14. Intercedunt tres Moysis orationes, quae non sunt verba Iahve ad Moysen, sed *verba Moysis*, carentque illis alloquiis, licet utique aliqua praecedentium librorum divina alloquia appellentur (1,6 etc.). Nequit dici fortuitum hoc discrimen, quod per totam continuo narrationem nulla exceptione observatur : non iubetur a Iahve Moyses habere orationem primam (1,6) neque secundam (5,1) neque alloquia 29,2; 31,2. 7. 10, neque civitates refugii transiordanicas designare 4,41, neque renovationem foederis in cisiordanica peragendam indicere cap. 27, neque thoram scribere, levitis tradere, praelegendam praescribere 31,9 sqq. Sola foederis renovatio transiordanica 31,1 ad aliquod Iahve praeceptum revocatur, et indirecte quidem, in subscriptione aliqua, quae potuit a recentiore scriba adiici.

Ergo in narrationem libri bipartiti immissae sunt tres orationes mosaicae. Verba 1,3, quibus affirmabatur Moyses mediatoris officio plene functus esse, excipiebant primitus verba 31,14 : « Et ait Iahve ad Moysen : Ecce prope sunt etc. ». Dies 1ᵃ mensis 11ⁱ erat ipsa dies, qua mortuus est Moyses. Immittebantur autem illae orationes non inepte, quod vita Moysis ad finem vergente habitae essent. Et ne lector in errorem induceretur, eas tres orationes omnes pronuntiatas esse una illa die 1ᵃ mensis 11ⁱ, effecere v. 4 sq., qui vel pridem orationi 1,6-4,40 praefixi legebantur, vel ab insertore vel alio adscripti sunt. Definiunt hi universim tempus et locum habitarum orationum, locum terram Moab, tempus illud, quod post cladem Sehon fuit. אחרי v. 4 copula caret : sc. v. 4 sq. non continuant praecedentem sermonem.

v. 4 « *Postquam percussit Sehon regem Amorrhaeorum, qui habitabat in Hesebon, et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth et in Edrai* » — v. ad Num. 21,25 sqq. Ibi v. 33 et Deut. 3,1 dicitur Og *victus* esse in Edrai; h. l. et Ios. 12,4 dicitur *mansisse*, i. e. caput regni habuisse, Ios. 13,12. 31 *regnasse* in Astaroth et Edrai. Inter quae duo nomina urbium perperam *Hebr. Sam. Chald.* omittunt h. l. copulam. *Astaroth* collocat *Eus.-Lagarde* 86, 31; 212,35 sex milliariis ab Adra seu Edrai; recentiores demonstrant Tell'Ashtere, quae tamen quindecim milliariis indidem distat, habetque tumulum cum reliquiis murorum e lapidibus non sectis exstructorum — v. 5 « *trans Iordanem in terra Moab* ». Locus accuratius describitur 3,29.

Dicunt, Deuteronomistam scribere ארץ מואב, *terram Moab*, dum narrator Num. 22,1; 26,3. 63; 31,12; 33,48-50; 35,1; 36,13; Iosue 13,32 scribat ערבות מואב, *campestria Moab*. Respondeo, Deut. 1,5 et probabilius item 29,1 (28,69), non esse Deuteronomistae, sed ab alio adscripta; 32,49 et 34,5 sq. neque Deuteronomistae esse demonstrari posse; 32,49 *terram Moab opponi terrae Chanaan*, itemque 34,5 sq., ubi v. 1 scribebatur *campestria Moab*.

« *Coepit*[*que*] *Moyses explanare legem* » *hanc* « *et dicere* », seu verius *et dixit*. Dele copulam initio, habetur enim una cum v. 4. 5ª sententia : Eo tempore et loco coepit. יאל sensu nativo *aggredi*, hinc *audere* (Gen. 18,27), *tentare* (1 Reg. 17,39), *animum adiicere* (Ios. 17,12; Iud. 1,27. 35) : ergo non est mere *incipere*, licet *LXX* undecies vertant ἄρχομαι, sed cum conatu aliquo facere, *Vat.* « sedit animo », Dr. « he set himself to expound ». Non dicitur Moyses nunquam antea mandata Iahve explanasse, cuius rei aliqua in praecedentibus libris habentur exempla, v. g. Ex. 12,21-27. Sed, ubi devictis regibus Amorrhaeis Israelitae quietas in campestribus Moab nacti sunt sedes, visum est Moysi opportunum advenisse tempus, quo populum de officiis supremum summaque instantia commonefaceret. Expertus quippe erat non semel, quam parum alte haec animis suorum insiderent (cf. Deut. 31,27). Quare consilium inierat, ubi aliquod nancisceretur otium, iterum illos cohortari verbis suis. Illud *et dixit* non eum habet sensum, sequentibus tradi *totam* Moysis explicationem, aut 1,6-4,40 fuisse *primam* eius in transiordanica explanationem. Non bis tantum crediderim Moysen hac de re populum esse allocutum, sed fortasse inde a Sehonis clade persaepe ac fere quotidie. Non sufficiebat tam graves veritates populo dixisse bis. Sed neque necesse erat omnes Moysis sermones scriptis mandari (cf. Io. 21,25).

Supersunt iam nostri textus explicandae duae gravissimae voces : באר, *explanare*, et תורה, *legem*.

Verbum באר in V. T. legitur ter; aliis praeter Deut. 1,5 textibus nativa *insculpendi* significatione. 27.8 : « inscribes lapidibus, insculpens diligenter », *LXX* σαφῶς σφόδρα, *Chald.* distincte, correcte, *Syr.* distingues eos bene. Hab. 2,2 : « Scribe visionem, et insculpe super lapides ». Versiones Deut. 1,5 unanimiter vertunt *explanare,* et apud Iudaeos recentiores ביאור est *explanatio, commentarius.* Secundum etymon vertas fortasse accuratius *inculcatio.* Potest vero aliqua lex inculcari duobus modis : primum, ut eius *sensus* penitius explanetur; secundo, ut eius observandae *motiva* proponantur. Quidquid h. l. voce *thora* intelligatur, patet eius thorae 1,6-4,40 non tradi sensus explanationem sed motivorum inculcationem seu *paraenesin.*

Nomine *thora* h. l. non designatur ipsa oratio 1,6-440, cum diversa inter se sint oportet inculcatio et inculcatum. Designantur igitur aut, quae hanc orationem praecedunt, aut sequentium aliqua. Qui praecedit liber bipartitus nusquam nomine *thora* appellatur. Neque nostra oratio dici potest libri bipartiti esse *inculcatio.* Inculcat ea potissimum mandatorum observationem, cultum Iahve simulacris carentem, fiduciam in Iahven : haec etiam habet liber bipartitus, verum tot aliis permixta, ut infelicius eius libri inculcatio appellaretur scriptum illud, quod ea sola, et solis quidem 40 versibus capitis 4 inculcet; etenim pericope historica 1,6-3,29 praeparat solummodo paraenesin cap. 4. Nomen *thora* in Deut. unum semper documentum designat, illud cui 4,44 praemittuntur verba « Haec est thora », quodque 31,9 sqq. refertur Moyses scripsisse sacerdotibusque tradidisse asservandum, singulisque remissionis annis populo praelegendum. Huius thorae nucleus est pentalogus (cf. p. 43 sqq.) : pentalogum universim, et eius speciatim mandata primum, tertium, quartum (cf. p. 17 sq.) reapse inculcat nostra paraenesis.

Ei igitur thorae inculcandae applicuit Moyses animum post cladem Sehon. Non negatur ea antea fuisse promulgata et nota : debuit fere promulgari, antequam primum inculcaretur; sed solemnior paraenesis non est habita nisi post illam cladem, quando populus praeparandus fuit ad solemnem foederis restitutionem. Explicaverit Moyses thoram suis Levitis Cadesae, sed non toti populo : pace tribuum Cadesae composita, videtur Moyses nulla interiecta mora ad Iordanem contendisse.

Scribitur tandem *thoram hanc.* Qui scripsit v. 4 sq., non fuit Moyses, qui scripturus iamiam esset paraenesin, et *nondum* scripsisset thoram, quique haud commode thoram nondum scriptam demonstrasset pronomine *hanc.* Pronomen fere supponit thoram iam exsistentem scriptam. Pronomen est scriptoris, qui secundam orationem titulo

thora inscriptam prae oculis habens, inscripsit priori orationi verba v. 4 sq. Fortasse idem scriptor utriusque inscriptionis est auctor, fortasse diversi scriptoris.

Quo clarius perspiciatur, quomodo 1,1-5 duo scripta, liber bipartitus et paraenesis, invicem copulentur, adscribimus versionem, etiam Num. 36,13. Ubi concluditur tota libri Num. narratio his verbis :

« *Haec sunt mandata et iudicia, quae mandavit Iahve per Moysen filiis Israel in Araba Moab, super Iordanem Iericho; haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem, in deserto, in Araba contra Suph, inter Pharan et Thophel, et inter Haseroth et Dizahab. Undecim* (?) *diebus de Horeb per viam montis Seir, usque Cades... Et factum est 40° anno, 11° mense, 1ª die mensis locutus fuerat Moyses ad filios Israel omnia, quae mandaverat ei Iahve ad eos* ».

« Post cladem Sehon regis Amorrhaei, qui habitabat in Hesebon, et Og regis Basan, qui habitabat in Astaroth et in Edrai, trans Iordanem in terra Moab, applicuit Moyses animum, ut inculcaret thoram hanc, et dixit » : —

Paraeneseos praenotanda.

1. Synopsin orationis habes p. 15 sqq. Quacum conferas recentiorum criticorum placita quaedam.

Dillm. p. 227 sqq. : « oratio haec praeparatoria », inquit, « duabus partibus constat *male invicem connexis* : recapitulatione historica cap. 1-3 et paraenesi 4,1-40 ». Has duas partes apte necti inter se, disce e nostra synopsi, e commentario, vel etiam e sola sine commentario lectione.

Holz. p. 262 : « Textus, qualis nunc est, praetendit se *unicam* recitare Moysis orationem Deut. 1-31 ». Respondeo, textum, qualis nunc est, tres diversas affirmare conciones 1,5; 5,1; 29,2 (1), ergo etiam orationes diversas tres.

König p. 212 sq. ait « 1,1-4,40 esse *amplificationem* brevioris prooemii 4,45-49 ». Aliqua 1,1-4,40 copiosius pertractari, quam eadem quinque versibus 4,45-49 attingantur, evidens est. Habentur longe plura, quae 4,45-49 penitus ignorantur. Scriptorem eo consilio scripsisse, ut 4,45-49 amplificaret, gratis fingitur.

Cornill p. 28 : habentur ad cap. 12-26 *introductiones duae* : introductio 1,6-4,40 cum suo initio 1,1-5, et introductio cap. 5-11 cum suo initio 4,45-49. Sunt duae orationes, suum quaeque initium seu praeambulum habentes, quarum neutra, uti sequitur ex iis, quae p. 42 sq. dicebamus, introductio est respectu cap. 12-26.

Wellh. C. p. 195 : cap. 1-4 est « *copiosum summarium* » praecedentis narrationis. Repetuntur quaedam ex ante narratis, sed cap. 1-4 certe non est merum summarium. Si spectetur ut summarium, summarium erit in quibusdam copiosum, in aliis misere incomple-

tum. Deprehendetur autem summarium esse abunde sufficiens, si attendatur finis orationis, qui e 4,1-40 maxime intelligitur, quod caput totum est paraeneticum, obiterque tantum historica quaedam attingit.

Dr. p. 1 : « 1,6-4,40 est Moysis prima et *introductoria* oratio ». Prima scribitur, estque credenda ante restitutionem foederis alteramque orationem esse habita. Similiter dicebat *Bonfr.* (ad 4,1), cap. 1-3 praeambulum esse ad 4,1-40, item 4,1-40 praeambulum esse orationis cap. 5 sqq. Vitanda aequivocatio vocis *introductio* seu *praeambulum*. Sensu rhetorico prima oratio certe non est secundae orationis introductio, sed utraque est oratio conclusa in se, suam habens dispositionem. Sensu reali oratio prima utique praeparat et introducit, non tam solam secundam orationem, quam potius solemnitatem restituendi foederis, cuius secunda oratio futura erat pars aliqua.

2. Huius igitur orationis pars altera paraenetica brevior, affinis orationis paraeneticae Deut. 6-11. *Pars historica* prolixior eventus enarrat, qui iidem in Ex. et Num. referebantur. Ubi notandum

a. res narrari generatim eodem atque in prioribus libris stilo, quandoque verbotenus aut fere verbotenus, generatim liberius, expressionibus tamen potissimum iis, quae aut eaedem aliis priorum librorum pericopis legantur, aut earum, quae ibi legantur sint valde affines. Orator non exscribit codicem, sed e memoria recitat eventus, quorum aliqui sunt valde recentes, alii ante 38 circiter annos evenere. Cf. p. 149 sq.

b. Finis oratoris non est historicus, sed rhetoricus. Describere vult, qua providentia Israel a monte Sinai perductus sit ad ripam Iordanis, quid pro ipso egerint Iahve et Moyses, quid contra Iahven deliquerit Israel; hisque Israelem studet confirmare in obsequio et fiducia. Hinc facta particularia omittit Mariae, Core etc.; rebelliones duas potissimas solas attingit, quae factae sunt in deserto Pharan et ad Aquas Contradictionis (v. ad 1,46). In singulis narrationibus aliqua e prius narratis supprimit, alia supplet, orationis fine constanter prae oculis servato. Non habebatur Num. 10,11 explicitum divinum mandatum recedendi a monte Sinai : hoc habet Deut. 1,6 sq., expressionibus iisdem atque Num. 13,30 (29); 14,25; 16,3. 7. Demonstrat sc. orator *Iahven* profectionis auctorem, qui serio a primis cupierit populum recta in Chananaeam deducere, qui morarum ipse non fuerit auctor. Ubi agit de iudicibus Ex. 18 institutis, tacet 1,9 sqq. acta Iethro : non enim quae Iethro, sed quae Iahve et Moyses populo beneficia contulerint, enarrare in animo habet. Sed 1,14 effert, populum summa

approbatione iudicum institutum acceptasse : non fuere iudices impositi nolentibus. Describit 1,16 sq. regulas iustitiae et aequitatis, quas iudicibus proposuit ad bonum populi observandas, 1,18 meminit sapientium monitorum, quae praeter iudices ipsi populo proposuit. — Ubi perventum est ad limitem meridionalem terrae promissae, antequam Num. 13,3 populus exploratores mittendos suggereret, Moyses Deut. 1,20 eos primus hortatus est, ut Amorrhaeorum montem recta peterent. Dicitur 1,23 Moyses suggestionem approbasse, sed tacetur (Num. 13,2 sq.) eum de ea re etiam Iahven consuluisse : non in eo est orator, ut omnibus conquisitis circumstantiis populi peccatum attenuet. 1,24 sq. recitantur verba, quibus exploratores terrae fertilitatem laudavere, tacentur ea, quibus incolarum robur exaggeravere. Populi querelae 1,27 sq. etiam magis crude, quam Num. 14,3, recitantur. Adduntur 1,29 sqq., blanda verba, quibus Moyses rebelles demulcere conatus est. Tacentur acta Caleb Num. 13,31, quod substantiam facti non attingant. Sententia, quam Iahve tulit 14,21 sqq., brevius refertur 1,34 sq. : « incredulitatis » poena 1,32 non erat utique supprimenda, at neque exaggeranda, quod tandem orator non terrorem, sed fiduciam excitare cupiat; imo illico extenuatur poenae gravitas, adscripta exemptione non Calebi solum (Num. 14,24) sed etiam Iosue, item adscripta praeter nexum chronologicum simili poena, quam ob infidelitatem postmodum admissam tulit ipse Moyses. Sed adscribitur et illustratur 1,39 promissio (Num. 14,31), reorum filios terram promissam fore possessuros, dum ignorantur labores, qui per multos annos his filiis in deserto fuere perferendi, de quibus Num. 14,33-35. Quibus omnibus efficitur, ut divinae sententiae iustitia illustretur, severitas mitigetur, idque tanto efficacius, quod Moyses non eos alloquatur, quibus durissima poena mortis in deserto obeunda indicebatur, sed horum filios, qui multis perlatis miseriis ad miseriarum finem iam pertigerant et terram promissam oculis obiectam contuebantur. Similiter, quod monitum Num. 14,41 sq. Moyses pronuntiaverat nomine suo, id 1,42 ab oraculo Iahve ortum sumpsisse demonstrat. — Ipse item *Iahve*, ubi populus aliquamdiu via maris Suph incessit, eos 2,3 monuit, ut aquilonem versus, i. e. versus terram promissam, iter flecterent; actio vero Num. 20,14 sqq. inter Israelem et regem Edom habita 2,4 levissime tantum attingitur, non enim de horum sed de Iahve actis sollicitus est orator. Generatim in actis cum Edomitis, Moabitis, Ammonitis, Amorrhaeis Iahvae ubique primae partes assignantur; nominatim is 2,30 cor Sehonis induravit itaque causa fuit, ut transiordanica Hebraeis cederet; imo ita *initium* fecit (2,24. 31) promissionum implendarum, qui enim quod non

promiserat praestabat, transiordanicam, sine dubio praestiturus erat quam promiserat cisiordanicam. Distinctius quam Num. 21,25 sq. 35 describuntur 2,34-37; 3,3-7 fructus victoriae de Sehon et de Og reportatae; distinctius singularum trans Iordanem tribuum familiarumve fines describuntur, quo etiam evidentius reliquae tribus perspiciant, nullam sibi trans Iordanem relinqui possessionis spem, sed alacriter traiiciendum esse flumen. Obiter Num. 27,23 attingebantur praecepta Iosue data : sed 3,21 diserte Iosue edocetur, victorias trans flumen reportatas pignus esse victoriarum cis flumen obtinendarum. Accurate tandem et facunde describitur, quae Num. 27 tacetur et a Iahve h. l. denegatur, Moysis ut cisiordanicam ingredi permittatur supplicatio; quo inflammetur sc. Israelitarum desiderium eiusdem ingrediendae, insignem favorem ducant sibi eum ingressum concedi, omnem abdicent pusillanimitatem. Explicite 3,28 affirmatur Iosue Hebraeos in cisiordanicam esse traducturus eamque illis esse distributurus. — Absit tamen, ut insinuemus oratorem facta artificiose distrahere, supprimere quae thesi minus faveant, alia indebite amplificare. Sed, cum tot annis ea facta mente secum volvisset, in eis Iahve potentiam, iustitiam, misericordiam admiratus esset, sensim sine sensu eo devectus est, ut iis factorum circumstantiis inhaereret meditatione, quae illas divinas perfectiones illustrarent magis, ut facta factorumque circumstantias memoria contextas servaret non secundum nudam temporum rerumque rationem, sed uti argumenta erant earum perfectionum demonstrandarum. Orator non annales recitat, sed argumenta.

c. Historiarum narratoris est tempora et loca accurate describere, dum orator persaepe haec sapienter negligit. Orator noster non accuratius definit annum, mensem, diem cuiusque eventus, sed vaga utitur formula *in illo tempore :* 1,9. 16. 18; 2,34; 3,4. 8. 12. 18. 21. 23; 4,14; cf. 9,20; 10,1. 8. Quae formula tempus exprimit indeterminate, sed non necessario tempus *remotum,* quare 2,34; 3,4. 8. 12. 18. 21. 23 scribitur etiam de iis, quae brevi ante acta fuerant. Sententiam, qua ipse aliquanto serius ingressu terrae sanctae excludebatur, in unum argumentum confundit cum illa, qua totus populus excludebatur, et mediis deserti Pharan actis inserit : post elapsos sc. 38 annos a tempore, quo eae sententiae ferebantur, fas omnino erat oratori ignorare, quod inter illas intercesserat, paucarum hebdomadarum intervallum. Quo egregie confirmatur nostra opinio CN p. 156, annum Num. 20,1 intelligendum esse annum ab exodo *tertium* : *Dr.* p. XXXV sq. 26 sq., annum interpretatus 39um, affirmat gravem haberi discordiam inter Num. 20 et Deut. 1.37 sq. Tandem orator noster deserti

partes non iam, uti in libro Num., nominibus distinguit, sed unico nomine *Cades Barne* (1,19) complectitur.

d. Ex dictis collige tandem hoc. Quando de *historica* eventuum serie quaeritur, potior omnino est auctoritas librorum Ex. et Num., qui historiam enarrandam suscipiunt, auctoritate oratoris nostri, qui rhetoricum argumentum evolvit. Non est illorum librorum narratio ex hac et sequente oratione *corrigenda*. Non sunt adstruendae duae diversae atque inter se dissonantes eorumdem eventuum narrationes. Eas, quas aliqui sibi visi sunt in his duabus orationibus cum narratione Ex. et Num. deprehendere contradictiones, facile resolves omnes, si rhetoricam indolem orationum debite attenderis.

3. Deut. 2 sq. quatuor textui insertae conspiciuntur notae historicae, archaeologicae, geographicae. Notae 2,10-12. 20-23 (v. 13 cf. Hebr.) interrumpunt divina alloquia; quarum est re affinis nota 3,11; accedit nota 3,9. Verbis Iahve 2,9. 19 affirmantis se nolle, ut Moabitarum et Ammonitarum fines occuparentur, adscribitur huius divini decreti ratio : sc., quod hae gentes exterminaverint Raphaim transiordanicos, uti Hebraei post illas cisiordanicos, quorum fines cisiordanicos Deus Gen. 15,20 soboli Abrahae promisisset, quodque ita agentes Iahve consilium quodammodo adiuverint, ideo voluisse Iahven, ut illis nativi sui fines manerent intacti. Praeterea nomini montis Hermon 3,8 adscribuntur v. 9 nomina, quibus idem mons a Sidoniis et ab Amorrhaeis appellabatur : trium veluti linguarum testimonio limes septentrionalis transiordanicae definitur. Tandem 3,11 nomini regis Og Raphaimitae adnectuntur quaedam rursus eam gentem spectantia.

Ergo duplicem hae notae habent effectum. Primum definiunt ambitum regionis transiordanicae Hebraeis concessae. Secundo complent, quae alii libri sacri tradunt de fatis Raphaim. Non repetuntur, quae habentur Ios. 15,14; Iud. 1,10 de gigantibus prope Hebron ab Hebraeis exstirpatis; traduntur 2,23 Hevaei a Caphthorim esse deleti; imprimis vero agunt de fatis Raphaim transiordanicorum. Sc., postquam praeter patriarcharum promissiones cessit etiam transiordanica Hebraeis, aequum erat, ut de fatis etiam Raphaim transiordanicorum edocerentur Hebraeorum posteri.

Notarum auctor, quem *Antiquarium* vocamus, loquitur perquam accurate et circumspecte, novit res, minime cum factis confundit publicos rumores; scriptorem inspiratum coniecerim, potius quam fortuitum glossatorem. Non fuit ille Moyses, qui notas non inscripsisset mediis duobus divinis alloquiis, neque in ethnologicas disputationes digressurus fuisse credendus est; neque fuit Esdras qui parum

amice sentiebat de Ammonitis et Moabitis (cf. 2 Esdr. 13), quique fragmenta, quae forte in manibus haberet, non consuevit in textum insinuare, sed ei ad calcem adscribere (cf. p. 12). Fuit vir benigne sentiens non de solis Edomitis (Deut. 2,12. 22), sed de Ammonitis quoque et Moabitis. Facilius concesserim notarum auctorem vixisse circa initia regni Davidis, qui rex tum habebat amicitias cum Moabitis et Ammonitis (cf. 1 Reg. 22,3; 2 Reg. 10,1 sqq.; Ruth).

Verum auctor notarum non est supponendus idem etiam notas textui Deut. 2 sq. inseruisse. Haud crediderim, auctorem aliquem inspiratum ita suas notas textui adscripturum fuisse, ut duo divina alloquia abrumperet. Ergo has notas e scripto aliquo inspirato Esdraeque aevo deperdito depromptas adscripserit aliquis ad marginem sui apographi paraeneseos, unde ante Esdram in textum penetraverint. Sunt vero hae notae omnino pretiosae ethnologis. Pretiosae sunt item interpretibus pentateuchi, cum demonstrent suas textum ante Esdram habuisse vicissitudines, neque fas esse omnes stili inaequalitates ad solam primam libri « compositionem » revocare.

Orator scribit « filios Enac » (1,28; 9,2), « filios Esau » (2,4.8.29), « filios Ammon » (2,19.37;3,11.16), non vero « filios Moab », sed 2,9 את מואב (cf. 2,18). 2,29 מואבים. E contra *Antiquarius* scribit nomina gentilicia formae pluralis : 2,10.11.21 Enacim, — 2,11.20;3,11.13 Raphaim, — 2,11 (cf. v. 29) המואבים, Moabitae, — 2.12.22 החרים, Horraei, — 2,20 העמנים, Ammonitae (tamen 3,11 « filii Ammon »), — 2,20 Zomzommim, — 2,23 עוים, Hevaei, — 2,23 Caphthorim. Sed 2,12 « Israel »; et 2,12.22 « filii Esau » : a nomine Esau non derivabatur nomen gentilicium, de nomine vero אדמים non videtur Antiquarius cogitasse.

4. Stilum paraeneseos 1,6-4,40 universim eundem esse atque stilum orationis cap. 5-11, fere concedunt critici. Sententiam plane singularem profitetur *Kue.* I a p. 113, scriptorem paraeneseos *imitatum* esse stilum scriptoris cap. 5-11, ergo recentiorem esse et diversum. Quod infert e pluribus, in quibus putat duo illa documenta invicem contradicere; leviuscula sunt ea omnia et suis locis, quantum opus fuerit, a nobis attingentur. Mirum est, eum scriptorem, qui stilum conformaverit stilo oratoris cap. 5-11, tam negligentem fuisse in ipsis rebus eidem conformandis. Si quorumdam documentorum stilum concedamus studiosa imitatione factum esse eundem, cur non aliorum documentorum stili discrimina coniiciamus nata esse studio, si non auctoris, at certe amanuensium? Quid tandem critica iuvabit ad pentateuchi origines elucidandas? Sane stili artificia solide demonstrentur oportet, non levibus solum indiciis affirmentur. Contra Kue. scripsit *Van H.* Cuius argumenta infirmare conatus est *L. Horst* : Revue de l'histoire des religions XXII (1891) p. 184-200.

Hic auctor censet 4,1-40 alii tribuendum esse auctori, quam 1, 6-3,29. Cuius rei indicium affert illud p. 185, « argumenta historica paraeneseos cap. 4 non peti e factis cap. 1-3 narratis, excepto solo 4,10 ». Facta 4,1-40 appellantur tria : superstitio in Beelphegor admissa v. 3, theophania in monte Horeb v. 10 sqq.; praeterea v. 20. 34. 37 generatim attingitur exodus, uti etiam 1,27. Restat tandem illud, 3,29 attingi solum adventum prope Beelphegor, 4,3 superstitionem post adventum ib. commissam. Verum eventus post eum adventum peractos non potuisse commemorari extremo cap. 3, doceris synopsi nostra p. 16; sc. 1,6-3,29 resumit orator historiam itineris ab Horeb ad Beelphegor, quae historia efficit, merito debere Hebraeos auscultare paraenesin, quam eis orator tradit 4,1-40 in illa valle prope Beelphegor. Vides, extremo cap. 3 non fuisse locum recitandis, quae acta essent in Beelphegor post adventum, sed soli commemorando adventui. Quod vero orator illico 4,3 primum argumentum historicum desumat ex actis in Beelphegor, fere suggerit eundem argumentari 4,3, qui historiam narraverit 1,6-3,29 : narratione perducta usque Beelphegor, ex ib. actis primum desumit argumentum.

Rursum p. 186 Horst e voce « docuerim » (non « doceo ») 4,5 infert, mandata thorae fuisse promulgata, *antequam* haberetur paraenesis 4,1-40, hanc igitur alius esse auctoris quam cap. 5 sqq., itemque alius auctoris quam 1,6-3,29. Sed pentalogus nullum habet *novum* mandatum : vere dicitur Moyses omnia eius mandata antea docuisse promulgasse. Praeterea, si quis sibi putet esse defendendum paraenesin 1,6-4,40, licet in Deut. praemittatur secundae orationi, tamen, pronuntiatam esse post illam, id sine periculo permitti posse videtur. Tandem minime nego pentalogum, vel ante primam et secundam orationem pronuntiatam, fuisse notum, imo quadamtenus promulgatum : qui potuit *inculcari* lex plane ignota? Sed aliud est fuisse notum vel etiam quadamtenus promulgatum, aliud est fuisse *solemniter promulgatum tamquam restituendi foederis instrumentum.*

Alia, quae affert Horst, negligimus. Ipse tandem eo perducitur, ut Deut. primigenium pronuntiet esse collectaneum legum, cui accreverit primum summarium historicum cap. 1-3, postea paraeneses cap. 4 et cap. 5-11. Contra quae nos iterum iterumque profitemur, collectaneum esse partem recentiorem et addititiam, nucleum Deut. esse pentalogum, haberi duas orationes suis inscriptionibus clare distinctas 1,6-4,40 et 5,1-11,32; 28.

Paraeneseos commentarius.

I. PARAENESEOS PARS HISTORICA DEUT. 1,6-3,29.

1. *Profectio de monte Sinai Deut.* 1,6-18.

Arg. — Ipse *Iahve* Hebraeis auctor fuit, ut a monte Sinai recta pergerent in terram promissam, quam vi divini iuramenti patriarchis facti facile essent possessuri ab Euphrate ad Aegyptum. *Moyses* vero non se exhibuit tyrannidis cupidum, sed ipse populo universo assentiente suggessit, ut suam ipse potestatem divideret cum iudicibus e numero principum a se deligendis. Quibus aequissimas officii gerendi regulas ipse praescripsit. Argumentum vero ad demonstrandam Moysis integritatem tanto est efficacius, quod is Ex. 18 egisset non praecipiente Iahve, sed suadente Iethrone.

Non ea, quae in monte Sinai acta fuerant, repetit orator, fortasse ideo etiam ne a limine memoriam resuscitet stragis Ex. 32 turbarumque eam consecutarum : sed narrationem orditur a divino mandato recedendi ab eo monte et terram promissam petendi. v. 6 « *Dominus Deus noster* », Deus non Moysis solum, sed communis totius populi, « *locutus est ad nos in Horeb dicens* » : — mandatum recedendi a monte non habetur explicite in Num., sed continetur in generali axiomate Num. 9,23, nonnisi Iahve iubente Hebraeos statione aliqua excessisse; cf. 10,1 sqq. — « *Sufficit vobis* » (cf. 2,3), « *quod in hoc monte mansistis* ». *LXX* ἱκανούσθω : sat diu hic substitistis. Loquebatur Deus ad populum per Moysen; hic inculcatur, Deum locutum esse ad populum; tacetur locutum esse mediate tantum. v. 7 « *Revertimini et venite* » — *Hebr. : agite, movete castra et ite;* eadem fere verba (*Dr.*), quibus Num. 14,25 iubebantur Hebraei recedere de deserto Pharan versus Mare Suph — « *ad montem Amorrhaeorum et ad cetera, quae ei proxima sunt, campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem, et iuxta litus maris, terram Chananaeorum et Libani usque ad flumen magnum Euphraten* ». v. 8 « *En,* [*inquit,*] *tradidi vobis : ingredimini et possidete eam, super qua iuravit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac et Iacob, ut daret illam eis et semini eorum post eos* ». Imperat. sing. ראה factus est veluti interiectio = הנה (*Keil*), adhibeturque etiam quando ad plures dirigitur sermo : cf. 4,5; 11,26.

Secundum constructionem hebraeam videntur v. 7 numerari tres regionis partes : *mons Amorrhaeorum* (cf. v. 19 sq. 44; cf. Num. 13,30[29]), *terra Chananaeorum* et *Libanon usque Euphraten.* Certe *Masor.* a praecentibus distinguunt *terram*

Chananaeorum, ut haec regionem designet a montibus Ephraim Hermonem usque (*Calm.*). *Keil* Chananaeam interpretatur appositionem ad praecedentia, ut tandem idem ea sit atque mons Amorrhaeorum : sed ita omitteretur totus tractus Hermonem usque, qui nunquam accensetur *monti* Amorrhaeorum, neque apte vocari potest *litus maris*. Mons hic complectitur montana, quae postea obtigere tribubus Iuda, Beniamin, Joseph. Eius recensentur tractus *vicini* : sc. *Araba*, quae hic intelligitur depressio Iordanis a Mari Mortuo lacum Genesareth versus; *Shephela*, planities ad occidentem Iudaeae, ubi etiam Philisthaei; *Negeb*, tractus ad austrum Iudaeae, ubi postmodum etiam Simeonitae; *litus maris*, quod cum vicinis montis Amorrhaeorum accenseatur, crediderim esse tractum a Shephela usque ad rivum Aegypti : ad hunc quippe producendus erat australis limes, cum septentrionalis usque ad Euphraten producatur. *Bonfr.* censet intelligi litus a Shephela Phoeniciam versus jungitque intimius *terrae Chananaeorum* (cf. Num. 13,30) : sed praeponenda erat haec terra, tamquam pars potior et propinquior.

Putavere *Or.*, *Theodoret.*, Moysis argumentum v. 9 sq. hoc esse : paruistis iudicibus, parete nunc Iosue. Sed de Iosue nihil habet textus. Adverte, quae dicebamus CN p. 129 sqq., iniquissime aliquando tulisse populum quod, uti ipsi reputabant, Moyses omnem auctoritatem sibi uni reservare per omnia niteretur. *Explanat* hic revera Moyses ea, quae Ex. 18,13 sqq. (*Proc.*) narrabantur. Ibi referebatur Iethro, ut iudices instituerentur, suggessisse, Moyses id exsecutus esse. Hic refertur, quod nemo sanus factum esse ambigat, Moysen de hac re sermonem ad populum habuisse, populum eius consilium approbasse. In narratione historica efferebatur suadente Iethrone, in hac morali paraenesi effertur consentientibus Moyse et populo rem actam esse; utrobique effertur rei necessitas. v. 9 « *Dixique vobis illo in tempore* » : — *Bonfr.* = « sub illud tempus ». Cf. p. 177. Tot interiectis annis ea, quae non duodecim plane mensium intervallo acta fuerant, veluti simul acta concipiuntur; unde etiam explicatur verbi forma וָאֹמַר — v. 10 « *Non possum solus sustinere vos* », vestris necessitatibus providere; recteque *Vulg.* vocem *quia* sequentibus praefigit : « [*quia*] *Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellae coeli plurimi* ». Ex eo, quod verba magis consentiunt verbis Moysis Num. 11,14 quam verbis Iethro Ex. 18,23 (*Dr.*), non sequitur eventum Ex. 18 eundem esse atque illum Num. 11, sed ad summum sequitur Moysen de rebus similibus loquentem diversis temporibus similibus usum esse expressionibus, a dictis Iethro paulum diversis (ceterum cf. v. 12). O miseram auctoris inspirati sortem, cui duo similes eventus narrandi sunt. Narrat expressionibus diversis : en duo habentur auctores. Narrat expressionibus iisdem : unus eventus habetur, non duo.

Mentione facta tam laeti incrementi, maius etiam incrementum

apprecatur Moyses v. 11 : « *Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia et benedicat vobis, sicut locutus est* ». Generosa est haec apprecatio, uti etiam illa Num. 11,29 (*Dr.*), simul habens hyperbolen. Porro si supponantur Israelitae omnes fuisse circiter 2,500,000, *millies tanti* erunt 2,500 milliones; si supponantur fuisse 25,000 (CN p. 226 sqq.), erunt 25 milliones. Hoc decens veri superlatio : an etiam illud? Ceterum, ut omnes nanciscerentur prophetiae donum (Num. 11,29), non promiserat Iahve, at promiserat laeta populi incrementa : *sicut locutus est vobis.*

Redit porro Moyses ad querelam v. 10 enuntiatam : v. 12 « *Non valeo solus negotia vestra sustinere et pondus ac iurgia* ». Querelam ut urgeat, primum utitur forma interrogativa *Quomodo feram?* dein prò simplici *vos* v. 10 substituit *molestiam vestram et onus vestrum* (Num. 11,11. 17) *et iurgium vestrum.* v. 13 « *Date* [*ex*] *vobis viros sapientes et gnaros et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris* », — ita recte *Vulg.* = *Masor. notos,* contra *LXX Chald. scientes,* quod fere gignit tautologiam cum praecedentibus. Quaeruntur viri primum *sapientes,* qui non in stultitiam abripiantur, dein *perspicaces,* qui intima cuiusque causae rimentur, tandem *bonae famae,* quibus omnes lubentes fidant — « *ut ponam eos vobis principes* ». Virorum dotes Ex. 18,21 efferebantur hae : « viri graves (auctoritate), timentes Deum, amantes veritatis et odientes avaritiam ». Haec reapse coincidunt cum iis, quae h. l. v. 13 efferuntur, maxime si etiam v. 16 sq. attendatur. Defendere poteris, Ex. 18 efferri potius eas dotes, quae viros ad officium implendum aptos faciant, h. l. eas dotes, quae illos populo commendent. Iis hominibus Moyses partem suae auctoritatis contulit, qui omnibus debebant esse merito acceptissimi. v. 14 « *Tunc respondistis mihi : Bona res est, quam vis facere* ».

v. 15 ***Hebr. Sam. Chald. Syr.*** את ראשי שבטיכם, pro quo ***Vulg. de tribubus vestris, LXX*** ἐξ ὑμῶν; illa verba censent ***Dillm.***, ***Dr.*** esse glossam, cum v. 13 et Ex. 18.21 nequaquam tradantur illa capita e solis principibus esse selecta. Si verba retineantur, dicendum erit illos viros initio v. 15 appellari titulo eius dignitatis, quae illis extremo v. 13 destinabatur et altero v. 15 inciso tandem confertur. — Extremo versu לשבטיכם : ergo *scribae* illi, seu potius varii illi iudices omnes, instituebantur ***secundum tribus suas***, in singulis tribubus; quod ceteroqui fere patet per se. Sed *LXX* לשפטיכם, ***iudicibus vestris***, omnes enim illi principes iudices constituebantur : non dicitur, quot scribae instituebantur, vix totidem quot principes, vix enim decimus quisque vir adultus credi potest artis scribendi fuisse gnarus; sed instituebantur scribae numero tot, quot illis iudicibus sufficerent, quos illi iudices, quoties res postularet, arcessere possent. Hic sensus certe longe commodior. Exspectaveris, aliquid statui, saltem generalius, de eorum scribarum nu-

mero, cum principum numerus tam accurate describatur. Habes illos scribas Num. 11,16; praeterea Deut. 16,18;29,10(9); 31,28; Ios. 8,33;23,2;24,1. Cf. *Dr.*

v. 15 « *Tulique* » *capita* « *de tribubus vestris viros sapientes et nobiles* », seu verius *notos* (cf. v. 13), « *et constitui eos principes* » *super vos :* « *tribunos* » — i. e. *chiliarchas* — « *et centuriones et quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula* ». Sed *Hebr.* loco ultimi incisi : *et scribas secundum tribus vestras,* seu potius *iudicibus vestris* (*LXX*). Hos scribas instituit Moyses, secutus etiam Aegyptiorum Ex. 5, 6 utile exemplum. Destinabantur, ut iuvarent *iudices* : in iudiciis quandoque oportebat aliqua scriptis mandari vel etiam e scriptis recitari; iudices certe non omnes, fortasse pauci scribendi atque legendi artes callebant. v. 16 « *Praecepique eis* » — *Hebr. iudicibus vestris,* non scribis — « *dicens : Audite illos* » — sed *Hebr.* (puncta pluralem cum *Sam.* et versionibus שמעו) : *audite inter fratres vestros,* « i. e. utramque partem » (*Tost.*) — « *et, quod iustum est, iudicate, sive civis sit ille sive peregrinus* ». Sed *Hebr. : inter virum et fratrem eius et advenam eius.* Alienigenae quique, qui sacris Hebraeorum nondum accesserant eoque alienigenae et advenae esse cessarant, videntur singuli alicui Hebraeorum familiae adhaesisse, ut essent advenae *eius.* Si igitur Hebraeus aliquis alterius Hebraei advenae seu clienti iniuriam inferebat, patronus Hebraeus coram iudice clientis causam agebat contra Hebraeum *fratrem*; si autem cliens contra patronum causam habebat, hanc ipse cliens coram iudice agebat, et pro hoc etiam casu Moyses advenarum protector (cf. C E L p. 12) integram iudicibus iustitiam inculcabat. v. 17 « *Nulla erit distantia personarum* », *Hebr. non respicietis personam in iudicio* » (cf. 16,19 et Ex. 23,6-8), « *ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam* », — sed *Hebr. : non verebimini quemquam,* magnum, divitem, amicum — « *quia Dei iudicium est* ». Iudicii dignitas ex *natura* Dei illustratur : ideo אלהים. Cf. 2 Par. 19,6 : « Non homini iudicatis, sed Iahve ». Dei, qui iustissimus est, placitum quaeritis, eius vice fungimini (*Bonfr., Est.*). Cf. etiam Ex. 18,15 sq.

« *Quodsi difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam* », item sine ulla personarum acceptione, Dei pronuntians sententiam. Cf. Ex. 18,26 et C E L p. 187. v. 18 « *Praecepique omnia* » *vobis in illo tempore* (cf. v. 9), « *quae facere deberetis* ». Praeceperat v. 16 iudicibus, praecepit v. 18 item populo. Quae sint illa *omnia,* e contextu definiri debet. Praecepit iudicibus, ut iuste iudicarent v. 16 sq.; praecepit plebi, ut iudices adirent, vererentur

(Ex. 22,28), eorum sententias reverenter exciperent et pro ratis haberent.

2. *Adventus in agrum cadesianum Deut.* 1,19-45.

Arg. — Advecti ad limitem australem terrae promissae petiere Hebraei universi, ut praemitterentur exploratores; his, cum redirent, terram laudantibus, defecere tamen prae timore Chananaeorum Hebraei a fide in promissa Iahve, neque Moysi iterum eos cohortanti obsecuti sunt. Quare decrevit Iahve, ne adultorum quisquam terram promissam contueretur, sed omnes in deserto morerentur, filii eorum tandem ingrederentur. Cum porro aliqui sera contritione acti Chananaeos adoriri proponerent in eoque consilio, Iahve per Moysen illos dehortante persisterent, merito victi sunt, neque Iahve seram eorum poenitentiam ratam habuit. Cf. Num. 13 sq.

v. 19 « *Profecti autem de Horeb, transivimus per* » *totam illam* « *eremum terribilem et maximam, quam vidistis* »; — veluti digito demonstrat eremum illam, cf. 8,15 — « [*per*] *viam montis Amorrhaei* », venientibus e Sinaitide, « *sicut praeceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cades Barne* », — quomodo hoc nomen modo pressius sumatur, modo latius pro desertis Sin et Pharan, dicebamus CN p. 104. 154 sq.; hic (v. s. p. 178) intelligitur ea pars deserti, quae Num. 13,1 desertum Pharan audit — v. 20 « *dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhaei, quem Dominus Deus noster daturus est nobis* ». Si versui 21 applicaveris sententiam *P. de Lagarde,* de qua p. 110 dicebamus, verborumque punctationem eidem conformaveris, disparebit suffixorum (ך — כם) et numerorum v. 20-22 dissonantia; cf. *LXX Syr.* v. 21 « *Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster* » — *Hebr. tuus* — « *patribus tuis : noli timere nec quidquam paveas* ». Facilis iuvante Iahve res : alio non est opus, nisi ut videant, ascendant, possideant; certa eos manet victoria. Verba v. 20 sq. quoad substantiam consonant verbis v. 7 sq. : Iahve et Moyses non semel tantum monuere Hebraeos eosque ad fiduciam provocavere, Hebraei non potuere postmodum praetendere promissiones non fuisse satis explicitas.

v. 22 « *Et accessistis ad me omnes atque dixistis : Mittamus viros qui considerent terram et renuntient, per quod iter* [*debeamus*] *ascendere et ad quas pergere civitates* ». Intra limites terrae sanctae defectura erat columna nubis et ignis Israelitas praecedens. Ceterum eadem exprimebat Moyses Num. 13,18 sqq. monitis, quae dabat

exploratoribus profecturis : sicut de urbibus volebat edoceri, essentne « muratae an absque muris », ita de via discere cupiebat, essetne satis tuta. Clarius h. l. quam Num. 13 edocemur, quae his in actis partes fuerint populi : ipse mittendos exploratores *suggesserat*, Moyses populo assensus erat, non tamen quin ante (Num. 13,2) Iahven consuluisset, quod oraculum h. l. tacetur. Nulla prorsus in his apparet ratio cum *Dr.* adstruendi duas diversas eiusdem eventus narrationes a P et JE concinnatas. Tota diversitas inde explicatur, quod Moyses in sermone Deut. 1,6-4,43 prosequitur *finem oratorium*, quem nullatenus prosequebatur narratio Num. 13. Per omnia ostendere nititur Moyses, cum se ipsum minime egisse tyrannice sed votis populi multa concessisse, tum populum ipsum auctorem fuisse malorum, quae imprimis e missis exploratoribus nata sunt.

v. 23 « *Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis* ». v. 24 « *Qui cum perrexissent et ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem Botri* » (Num. 13,24) « *et, considerata terra* » — *Hebr.* simpliciter *ea*, sc. Valle — v. 25 « *sumentes* » *in manu sua* « *de fructibus eius,* [*ut ostenderent ubertatem*], *attulerunt ad nos atque dixerunt : Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis* ». Tacetur h. l. altera pars eorum, quae exploratores retulerunt Num. 13,22 sq. 32 sqq., atque nonnisi v. 28 brevius tandem et oratione indirecta suppletur. Sc. *finis oratoris* h. l. non est demonstrare, quam ansam querelarum, sed quodnam argumentum plenae fidei exploratorum verba Hebraeis suppeditaverint; ob eundem finem adiecit h. l. orator verba *quam Dominus Deus noster daturus est nobis,* quae Num. 13.28 desiderantur. Nuntius exploratorum confirmabat Iahvae toties repetitam assertionem, terram promissam esse fertilissimam; confirmabat idem indirecte omnes Iahvae promissiones auxilii Hebraeis ferendi in ea terra occupanda.

Describitur porro, quomodo Hebraei a fide in Iahven defecerint. v. 26 « *Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri* » — ita etiam *LXX Syr.*; reliqui *vestri*. Ceterum ultimum incisum ita habet : *restitistis mandato Iahve Dei vestri* — v. 27 « *murmurastis in tabernaculis vestris* » — « *Geiger* p. 290 sq. supponebat באהליכם ortum duxisse ex consulto mutato באלהיכם, *contra Deum vestrum,* voluisse scribam supprimere factum Israeli probrosum. Gratuita suppositio. *In tabernaculis vestris* idem sonat, atque inter vos, simulque prodit noluisse populum collectis tabernaculis itineri se dare ad Chanaanitiden subigendam » (*Dr.*) — « *atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Aegypti,*

ut traderet nos in manu Amorrhaei atque deleret ». Argumentatio similis est eius, quae Gen. 3,4 sq. habetur. v. 28 « *Quo ascendemus?* » *Hebr.* : *Quo nos sumus ascendentes?* Nonne in regionem periculis plenam? Deus non omnia nobis revelavit, sed pericula siluit, quo certius in perniciem ageret. « *Nuntii* », *Hebr. fratres nostri*, ceteris, etiam ipso Iahve nobis propinquiores, indubiae amicitiae et veracitatis viri, « *terruerunt cor nostrum dicentes : Maxima multitudo est, et nobis statura procerior, urbes magnae et ad coelum usque munitae* »; — ita etiam *LXX Chald. Syr.* explicant בצורת בשמים; item 9,1; similis expressio Num. 13,29. Illae munitiones sunt in *coelis*, ad coelos usque pertingunt (*Dillm.*) — « *filios Enacim vidimus ibi* ». Cf. CN p. 110.

v. 29 « *Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis eos* ». Eis in memoriam revocat Moyses, eos progredi Iahve duce, qui pugnaturus sit pro eis contra inimicos validos pro suo in eos amore; quem manifestaverit in portentis Aegypti et in suavi per desertum providentia. v. 30 « *Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Aegypto cunctis* », seu potius *vobis*, « *videntibus* ». Testes oculatos appellat. v. 31 « *Et in solitudine, ipse vidisti, portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum* ». De suffixis, vide quae dicebamus supra p. 110.

Non refert Moyses, quid Iosue et Caleb dixerint Num. 14,6 sqq., quia non horum virorum auctoritatem et moderationem nunc commendandam suscepit; non refert, quid sibi ib. v. 3 sq. Hebraei impudentissime responderint; sed, affirmans illos credere renuisse, breviter repetit altiusque inculcat argumentum v. 31 prolatum. v. 32 « *Et nec sic quidem* » — *Hebr.* : *sed in hoc sermone* (v. 29-31) *nequaquam vos* — « *credidistis Domino Deo vestro* », v. 33 « *qui praecessit vos in via, et metatus est locum, in quo* [*tentoria*] *figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis* ». Non generaliori tantum ratione Deus illis providit, sed parentis instar via primus incessit, ut facilius ipsi sequerentur, ut ipsis *exploraret locum quiescendi,* ut ipsi in eius lumine *viderent viam* noctu.

Brevius, quam id Num. 14,21 sqq. fuerat factum, refert Moyses sententiam, quam tulit Iahve in populum rebellem. v. 34 « *Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iuravit et ait* » : v. 35 « *Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimae terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris* » — Verba *generatio haec pessima* non habentur apud *LXX* neque Num. 14 : quae tamen non est ratio sufficiens eorum

h. l. expungendorum, cum Moyses non teneatur ad verbum recitare ea, quae ante 37 annos dixerat ipse vel Deus. Non meminit Moyses hic (bene vero 2,7. 14) *40 annorum* Num. 14,33, quo ipse divinae condemnationis textus h. l. quodammodo mitigatur — v. 36 « *praeter Caleb filium Iephone : ipse enim videbit eam, et ipsi dabo terram quam calcavit* », puta tractum prope Hebronem, « *et filiis eius, quia* » *perfecte* « *secutus est Dominum* ». Cf. Num. 14,24 : uti ibi ita h. l. ignoratur Iosue, qui utrobique v. 38 commemoratur; cf. quae dicebamus CN p. 116. Una ratio praetermissi Iosue potuit esse haec, utrobique haereditatem promitti posteris Caleb, posteros vero Iosue nullibi recenseri. Altera praeterea h. l. deprehenditur ratio : sc. sicut Caleb terram ingressurus est tamquam unus superstes generationis perversae, ita Iosue ingressurus est tamquam locum tenens Moysis quondam excludendi. Uterque perfecte secutus est Dominum, fidem servavit, sed non uterque eodem titulo admittetur : Caleb personam aget generationis, quae a deserto absorpta est; Iosue reservatur substituendus in locum Moysis, cuius peccatum praevidebat Deus.

Iustitiam porro sententiae v. 35 sq. pronuntiatae illustrat Moyses exemplo sententiae in se ipsum aliquando latae : affinitatem vero illarum duarum sententiarum effert v. 37 duplici גם, quod non habetur Num. 20,12. v. 37 « [*Nec miranda indignatio in populum, cum*] » — hoc addito *Vulg.* argumenti vim feliciter effert, est enim argumentum a fortiori : vel mihi, qui vobis certe exstiti longe innocentior, propter vos similem indixit Iahve sententiam, Iosue in meum locum substituto, uti Caleb subintravit in locum patrum vestrorum. Adverte perfectum parallelismum inter v. 35 et 37, v. 36 et 38. Unus orator hoc totum v. 35-38 argumentum contexuit — « *mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit : Nec tu ingredieris illuc* »; v. 38 « *sed Iosue filius Nun, minister tuus, ipse intrabit pro te; hunc* [*exhortare et*] *robora, et ipse sorte terram dividet Israeli* ». Nihil de hoc Num. 20, sed tantum 34,17 (cf. 27,18 sqq.) : sc. Moyses, quae variis temporibus edixit Deus, in unum argumentum colligit.

Quod persentiens Vulg. transitum a v. 36 ad 37, quibusdam additis verbis, complanare conata est. Difficultatem movent contra v. 37 sq. Adhaeret secus, inquiunt, sermo ordini chronologico eventuum, hic ille aut describitur aut Moysis repudiatio exhibetur ut aliquid exploratorum rebellioni intime connexum, tempore eius rebellionis effectum. Praeterea Moyses repudiatus dicitur *propter vos*, i. e. propter peccatum populi Num. 13 sq., dum Num. 20 repudiatus exhibetur propter peccatum suum ad Aquas Contradictionis commissum. Quare *Dillm.* v. 37 sq. censet esse glossam redactoris cuiusdam; *Dr.* suggerit Moysen, licet innocens fuerit, sen-

tentia Num. 14,21 sqq. reapse fuisse inclusum. Quod admitti nullo nomine potest, cum nimis evidenter in Moysen sententia feratur non ob peccatum populi Num. 13 sq., sed ob peccatum proprium Num. 20. Et quomodo potuit Moyses sententia 14,21 sqq. includi, qui 13,2 consulto Domino rem egerat?

Oratio Deut. 1,6-4,40 argumenta quidem adhibet historica, ordine ut plurimum historico, est tamen documentum non historicum sed rhetoricum, ideoque ordinem historicum eventuum quandoque deserit ob rationem rhetoricam. Argumentum v. 6 orsa erat ab eventibus, qui discessum a monte Horeb erant secuti; illico tamen v. 9-18 eventus eo discessu priores appellat : quid mirum, eam v. 37 sq. argumenti confirmandi causa rursum ab ordine historico deflectere et eventus posteriores appellare? — Nonne post annorum fere 38 intervallum illi duo eventus Num. 13 sq. et Num. 20, inter quos paucorum mensium intervallum intercesserat, debuere Moysi videri fuisse vix non simultanei? Continuis 38 annis unus ille dolor eius mentem oppresserat, excludi se ab ingressu terrae promissae; unam eodem illo temporis intervallo sociorum exaudierat querelam ab ingressu eiusdem terrae prohibitorum : itane mirum est, in eius mente haec duo facta coaluisse tandem in unum? Neque tamen dicit unum fuisse chronologice, sed illa in unicum argumentum confundit. Quod argumentum ex ipsius Moysis corde et mente fluxisse facilius concedes, quam ex alicuius redactoris ingenio. Ne oportet quidem cum *Calm.* v. 37 sq. accipere pro « parenthesi ». — Verum, nonne dicit Moyses se punitum esse *propter vos*, i. e. propter peccatum populi?,Verum, nonne peccavit populus etiam Num. 20? Non ergo cogimur ad peccatum populi Num. 13 sq. recurrere. Praeterea recte advertit *Tost.*, punitum scribi Moysen non propter peccatum Hebraeorum, sed *propter Hebraeos*. Punitus est ob peccatum suum, commissum occasione (*Bonfr.*) Hebraeorum seu peccati Hebraeorum; etenim Deus carissimum sibi prophetam punivit, quod is dubitaverit de salute populi, qui Deo carior esset ipso propheta (cf. CN p. 161).

Post relatam et illustratam v. 34-38 poenam redit orator ad eam partem divinae Num. 14,21 sqq. sententiae, quae posteros respiciebat et promissionem habebat. Hos posteros praesens alloquebatur Moyses, a pudore ad gratum animum provocabat. v. 39 « *Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, et filii, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, et ipsis dabo terram, et possidebunt eam* ». Cf. Num. 14,31. v. 40 « *Vos autem revertimini, et abite in solitudinem per viam Maris Rubri* ». Cf. Num. 14,25. Probabilius intelligitur eadem via, quae v. 19 audiebat *via montis Amorrhaeorum* : venientibus de Sinaitide erat ea via montis Amorrhaeorum, redeuntibus de Pharan et Cades erat eadem via Maris Rubri. Directionem itineris indicat Deus, non unam aliquam viam, quam postea ipse demonstraturus erat in columna nubis.

Narrationem rebellionis complebat Num. 14,40-45 narratio infaustae expeditionis a quibusdam susceptae contra placitum Iahve. Consentiebat orationis consilio, ut ea etiam h. l. attingeretur (v. 41-45), ne cladem illam Hebraei « odio » (v. 27) Iahve, quin potius suis

animis serius et turbulenter poenitentibus adscriberent. Verba in pluribus sunt eadem atque Num. 14, quibusdam mutatis, non enim post 38 annorum intervallum locuturus erat Moyses verbotenus, uti pridem. v. 41 « *Et respondistis mihi: Peccavimus Domino, ascendemus et pugnabimus, sicut praecepit Dominus Deus noster* ». Magis emphatice h. l. quam Num. 14,40 praemittitur peccati confessio; magis directe exprimitur opinio, tam sero obsequio reapse impleri Iahve praeceptum; sed .non exprimitur, expeditionem fuisse quorumdam, plures, fortasse plerosque in castris mansisse (Num. 14,44). « *Cumque instructi armis pergeretis in montem* », — ותהינו, ἅπαξ λεγόμενον, *petulanter egistis* (?), *Vulg.* omittit. *Chald.* ושרתון, *voluistis* vel *coepistis*. *Aq.* ἐμονοήσαντες. *LXX* συναθροισθέντες, fortasse = ותכנסו (cf. Ier. 18,21). *Syr.* ואתגרגתון, fortasse = ותתגרו. Habebatne Hebr. verbum aliquod simile praecedentis verbi ותחגרו? — v. 42 « *ait mihi Dominus : Dic ad eos : Nolite ascendere neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis* », *conteramini*, « *coram inimicis vestris* ». v. 43 « *Locutus sum et non audistis, sed adversantes imperio Domini et tumentes superbia, ascendistis in montem* ». v. 44 « *Itaque egressus Amorrhaeus, qui habitabat in montibus* », qui h. l. hoc generali nomine appellatur, Num. 14,43. 45 nominibus Amalecitarum et Chananaeorum, « *et obviam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi* ». Qui modo a Iahve uti parvuli in ulnis securi portabantur, ii a Iahve relicti fugantur ab inimicis, qui belle apibus comparantur. « *Et cecidit* » *vos* « *de Seir usque Horma* ». v. 45 « *Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos nec voci vestrae voluit acquiescere* ». Cf. Iud. 2,1. 5; 20,23; 21,2; 4 Reg. 22,19.

Situs Sephaath (Iud. 1,17) seu Horma incertus; non videtur procul abfuisse ab Arad, hodie Tell Arad : cf. CJ p. 47 sq. Non videtur tum Horma fuisse in potestate Hebraeorum, qui Num. 21,3 civitatem destruxere in ultionem cladis, quam ib. fuerant passi. *Hebr. Sam. Chald. in Seir*, sed *LXX Vulg. Syr. de Seir* : ב et מ in antiqua scriptura erant simillima et facile permutabantur inter se (*Dr.*). Tacetur autem *Seir* in loco parallelo Num. 14,45. Seir, regio Edomitarum, debuit variis temporibus latius vel pressius sumi, prout Edomitarum fines latius vel angustius paterent. Moysis aevo Num. 20,16 erat Cades Barnea in finibus Edomitarum, potuit tum tractus etiam a Mari Mortuo Hormam versus ad Seir spectare. Petebant igitur Hebraei Num. 14,40 « verticem montis », montes eius regionis altiores qui postea fuere montes Iuda et Beniamin. Tribus, quae illam partem regionis Seir obtinebant, eos a latere seu *de Seir* aggressae, reiecerunt occidentem versus *usque Horma*, quae tum Sephaath audiebat. Ubi Hebraei, a fronte et a tergo simul ab hostibus pressi, atrocem cladem passi sunt, quam postmodum ulti sunt excidio urbis Sephaath.

3. *Commoratio cadesiana Deut.* 1,46.

Arg. — Post priorem v. 19 in Cades Barnea (= desertum Pharan Num. 13,27) rebellionem, ob quam Hebraei adulti ab ingressu terrae sanctae prohibiti sunt, transit Moyses ad magnam in Cades Barnea apostasiam, qua occasione eadem ipsi poena imposita est. Quae tamen orationis pars excisa est temporisque indicationes v. 46 et 2,1 defiguratae.

Moyses argumenta hinc inde ex historiis Israelis colligit, non meminit rebellionis Ex. 32 neque rebellionis Core Num. 16, sed a prima Cadesae rebellione Num. 13 sq. transit ad alteram Num. 20. Quodsi ea, quae CN p. 168-207 de actis cadesianis disserebamus, vera sint, oportuit h. l. apostasiam cadesianam primitus fusius tractari, uti priorem v. 19-45 rebellionem, dein eum tractatum h. l. a recentiore aliquo exscindi seu obscurari, similiter atque Num. 20; Deut. 33,2 factum est; cuius facti vestigia aliqua, uti locis item laudatis, h. l. deprehenderis. Si igitur h. l. offendas textum acta cadesiana attingentem evidenter mancum, habebis egregiam eorum, quae CN suggerebamus, confirmationem. Iamvero textus v. 46 est evidenter mancus et obscuratus.

Diuturnam Cadesae commorationem affirmat textus Deut. 1,46, etiam qualis nunc legitur. Ubi conferas Num. 9,22 (sec. Hebr.) : Si biduo aut mense aut *anno* continuo manebat nubes super habitaculum, manebant filii Israel. Quae verba supponunt accidisse aliquando intra illos 40 annos, ut nubes annum vel annos continuo tabernaculo incumberet; quod non alio tempore quam inter annum 3um et 39um fieri potuit, et secundum Deut. 1,46 factum est Cadesae. Ergo Num. 9,15-23 non scribebatur ante acta cadesiana. Probabilius item Num. 10,1-10, ubi pariter agitur de iis, quae longo tempore constanter fieri consuevere.

v. 46 « *Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore* » seu *multis diebus, quot diebus sedistis;* ita textus omnes contra *Vulg.*, quae ultimum incisum non expressit, sane quod illud ad sensum verborum videretur addere nihil. Cf. Zach. 10,8 ורבו כמו רבו, multiplicabuntur sicuti multiplicati sunt, tot erunt quot antea fuerunt. Ergo h. l. : sedistis tot dies, quot sedistis. Vides iam, in nostro contextu incisum aliquid addere sensui, scriptorem sc., licet affirmet tempus illud fuisse longum, *nolle* tamen nos edocere *quantum* illud tempus fuerit. Norat id certe Moyses accurate, norant auditores eius omnes. Non ita scribebat ipse sermonis auctor, sed recentior quidam, cum in textu legeret accuratam temporum seu annorum rationem eamque vellet supprimere, substituit tautologiam illam. Habebatur primitus

v. 46 accurata descriptio temporum, quibus Cadesae substitere Hebraei, sive usque ad profectionem 2,1 Cadesa Iordanem versus, sive usque ad quosdam fortasse eventus, qui primitus inter v. 46 et 2,1 narrabantur, in nostro autem textu reticentur. Habebatur primitus etiam Num. 20,1 accurata descriptio temporis, quo Hebraei pervenere Cadesam strictiori sensu acceptam, ubi mortua est Maria ac brevi post initium sumpsit magna apostasia cadesiana. Habebatur primitus fortasse etiam Deut. 2,1 accuratior descriptio temporis, quod in circumeundo monte Seir insumpsere Hebraei, ubi nunc eadem atque v. 46 vaga legitur expressio *multis diebus*. Habes tandem 2,14 annos triginta octo, quos alii item textus plures commemorant.

Studebat igitur recentior ille scriba obscurare *tempora*, quae acta cadesiana attingebant, non tamen *quaecunque* illa tempora spectabant. Commorationem cadesianam latius acceptam, quae etiam acta in Pharan includit, ingenue fatetur fuisse 38 annorum. At celat *initium* temporis, quod circumeundo monti Seir impendere Hebraei, quod idem *finis* exstitit illius commorationis. Celat item *initium* Num. 20,1 commorationis factae in Cades Barnea pressius accepta. Quot anni effluxerint inter adventum prope Aquas Contradictionis et profectionem, reticet. Eludere studet quaestionem, quid illis certe plus quam 30 annis actum sit; curiosius inquirentes remittit ad Num. 13,1-21,12 (= Deut. 2,14) narrata, quae quod certam temporum rationem adscriptam non habeant, distribuant sibi pro lubitu lectores per illos 30 annos.

At profecto non nudam temporum rationem cupiebat ille obscurare, sed *facta* quaedam quae illis temporibus evenere. Vide, quae CN p. 168 sqq. dicebamus de magna illa Israelis ad Aquas Contradictionis apostasia, cuius sat clara vestigia pluribus V. T. locis perseveravere, sed narratio ipsa studiose est excisa. Hanc autem nonne debuit Moyses in sua hac oratione commemorare, sicut priorem copiose enarraverat rebellionem? Poteratne silentio praeterire eventus illos, qui causa fuerant, cur praeter reliquos Hebraeos adultos ipse quoque a terra promissa excluderetur? Quare crediderim v. 46 primitus habuisse tempus non totius commorationis cadesianae, sed illud quod Num. 13-20 effluxit et primitus etiam Num. 20,1 legebatur; post quod perstringebat Moyses acta ad Aquas Contradictionis, sententiam a Iahve in ipsum latam, apostasiam populi, adscriptis fortasse horum eventuum temporibus; tandem Deut. 2 procedebat ad profectionem Iordanem versus enarrandam.

4. *Profectio ad Iordanem Deut. 2 sq.*

Quarta et extrema introductionis historicae pars est de actis Cadesa ad Jordanem : cum Edomitis 2,1-7, cum Moabitis v. 8-15, cum Ammonitis v. 16-23; cum Amorrhaeis 2,24-3,11; sequitur transiordanicae divisio 3,12-20; tandem 3,21-29 narratur, quomodo, recusante Deo sententiam in Moysen latam revocare, Iosue constitutus sit populi dux. Ei rei per omnia insistitur, fuisse Iahven horum omnium principem auctorem, quo Hebraeis augeatur fiducia in Iahve providentiam atque auctoritas mandatorum Iahve iamiam inculcandorum.

a. Acta cum Edomitis Deut. 2,1-7.

Arg. — v. 1-7 magis quam Num. 20 effertur, quomodo omnia acta sint disponente Iahve. Ipse determinavit iter, primum ab occidente Montis Seir versus Mare Suph descendens, dein ad orientem Montis Seir ascendens; ipse negavit, se Edomitiden Hebraeis concessurum, monuitque ut pacifice omnino cum Edomitis agerent, fisi sua liberalissima providentia. E contra non efferuntur h. l. acta Moysis et regis Edom Num. 20,14-21.

Cap. II v. 1 « *Profectique [inde] venimus in solitudinem, quae ducit ad Mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus* » Num. 14,25 et Deut. 1,40, « *et circuivimus montem Seir longo tempore* », de qua expressione v. s. p. 167. Cum 1,7 (cf. v. 19) פנו וסעו לכם ובאו הר האמרי, et 1,40 ואתם פנו לכם וסעו המדברה דרך ים סוף, cf. h. l. ויפן ויסע המדברה דרך ים סוף, et perspicies vel ex sola constructione, 2,1 narrari impletum tandem illud mandatum, quod 1,40 imponebatur statim post exploratorum rebellionem. Ergo illud Moyses non statim, quando imponebatur exsecutus est; deflexit quippe iter ex Pharan Cadesam, sed apostasia Cadesae facta eius progressum morata est, eius in populum auctoritatem concussit. Exsecutus est tandem post compositam magnam apostasiam. Hinc facile componuntur textus plures. Num. 14,25 et Deut. 1,40 nondum iubentur Hebraei montem Seir circumire, cuius illico circumeundi tum non erat ratio, cum essent 37 annis in deserto detinendi; iubentur recedere in directione Maris Rubri. Verum nequaquam per longius tempus dilaturus erat Moyses divini mandati exsecutionem, neque eius aliquam mitigationem populo constanter rebellante a Iahve poterat ipse exspectare. Unde inferas, eventus Num. 20,1 et 20,2-13 non longo temporis intervallo distitisse ab invicem et a rebellione Num. 13 sq. Exorta multorum annorum apostasia illud iter distulit. Quod ea composita illico resumptum est, non iam

ut mera poena, sed ut divinus favor initiumque profectionis in transiordanicam. Neque nunc solo divino mandato ad illud iter adigebantur Hebraei, sed ipsis rerum adiunctis. Sc. cum recta via cisiordanicam petere ob priores in eius limine rebelliones non permitterentur, cumque rex Edom directum in transiordanicum transitum negaret, una iam patebat via circumeundi montis Seir ideoque primum versus Mare Rubrum reflectendi itineris. Perspicis iam non fuisse severius Iahve decretum Hebraeos 37 annis in desertum relegantis, quippe qui praevideret tot annorum apostasiam, quae, quamdiu non esset composita, non poterant Hebraei in terram promissam induci. Fuit igitur illa mora poena non solius rebellionis Num. 13 sq., licet eius occasione Hebraeis imponebatur, sed potissimum magnae apostasiae a Iahve ante praevisae. Quod igitur tam Num. 20,1. 16 quam Deut. 1,46 habeatur expressio « sedendi in Cades », tam Num. 21,4 quam Deut. 2,1 altera expressio « circumeundi montis Seir », id non est mera « peculiaritas literaria » (*Dr.*), sed inde explicatur, quod cum Num. 20,1. 16 et Deut. 1,46, tum Num. 21,4 et Deut. 2,1 de iisdem eventibus agatur. Hebraei nequeunt demonstrari 40° anno *rediisse* Cadesam, suscepto iam ante aliquo versus Mare Rubrum itinere, sed toto apostasiae tempore in ea deserti parte substitisse videntur. *Multi dies* 2,1 non edicunt eos 37 annos impendisse circumeundo monti Seir; sed expressio haec 2,1 adscripta est ad celandum finem commorationis cadesianae, uti eadem expressio 1,46 adscribebatur ad celandum eiusdem initium.

v. 2 « *Dixitque Dominus ad me* » : v. 3 « *Sufficit vobis* » — eadem expressio atque 1,6; Iahve definit commorationum tempora — « *circuire montem istum, ite contra aquilonem* ». Postquam Cadesa ad Sinum Aelaniticum devenere (ad stationem Asiongaber : cum v. 8 cf. Num. 33,35 et CN p. 366), iussit eos Deus recta tandem petere transiordanicam. Quo loco inserit orator monitum, quomodo cum Edomitis agere debeant. An ergo Cadesa non per Arabam, secus Edomitarum fines petierant Mare Rubrum, ubi cum Edomitis habituri fuissent commercium? Id non sequitur. Auctor sc. non historiographum agit sed oratorem et, uti 1,9-18 subiunxit eventum, qui mandatum relinquendi montis Horeb v. 6-8 antecesserat, ita potuit h. l. primum v. 1-3 totum iter ex utraque parte Seiritidis describere, dein v. 4-7 adscribere monitum, quod revera ante susceptum iter traditum fuerat. Quomodo vero noster v. 6 componatur cum Num. 20,19, eum textum explanantes dicebamus : sc. rex Edom prohibuit Hebraeos, ne per medios suos fines transirent (« gradiemur via publica » Num. 20,17) simulque annonam procurarent; non prohibuit suos, quominus

extra vel prope fines progressi cum Hebraeis commercium haberent. v. 4 « *Et populo praecipe dicens : Transibitis per terminos fratrum vestrorum* » (cf. Num. 20,14) « *filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos* », ideoque transitum per fines suos denegabunt : cf. Num. 20,18-20.

עבר ב Num. 20,18 est transire *per*, non solum *secus* vel *prope* (על, את Deut. 2,18) : ergo videntur haec contradicere Num. 20,18, ubi rex Edom transitum *per* fines denegat. Quare *Dillm.*, *Dr.* censent Num. 20,18 denegari transitum per fines occidentales, Deut. 2,4 affirmari transitum per fines orientales. Potest etiam uterque textus de finibus occidentalibus accipi. Denegaverat rex transitum per *medios* fines, sed ut Hebraei in *extremis* finibus a suis necessaria coemerent, non obstabat.

v. 5 « *Videte ergo diligenter* », *Hebr. cavete vobis multum*, et explicatur mox, a quibus cavere debeant : « *ne* » ira « *moveamini contra eos* », et e v. 9. 24 supple : ad bellum; ergo : ne ira inducamini, ut eos bello adoriamini. « *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest* [*unius*] *pedis calcare vestigium* » (cf. 11,24; Ios. 1,3), « *quia in possessionem Esau dedi montem Seir* ». v. 6 « *Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis, aquam emptam haurietis et bibetis* ». Cf. Num. 20,17. 19. v. 7 *Quoniam* « *Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum* », — quo nomine (cf. p. 128) veniunt imprimis proventus omnes, non solum agriculturae (14,29; 16,15; 24,19; 28,12), sed imprimis gregum (30,9), quos intelligere oportet h. l. — « *novit iter tuum*, [*quomodo transieris*] *solitudinem hanc magnam* », novit atque ipse direxit, de eo sollicitus fuit: « *per* » integros « *quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit* ». Non ostenditur, unde argentum habituri sint ad illa coemenda (*Cai.*), sed ratio demonstratur fiduciae et promptae obedientiae (*Tost.*) : nihil defuit, nihil deerit, providebit quippe vobis Iahve. Cuius tria beneficia efferuntur : foecunditas gregum, itineris directio, in medio populo inhabitatio. Habitavit totis 40 annis Iahve cum Israele, licet non totis illis 40 annis habitaverit universus Israel cum Iahve; seu verius, habitavit Iahve totis 40 annis cum Israele populo suo electo, non vero cum iis, qui apostasia sua pluribus annis se (v. s. p. 89 sq.) ab Israele excommunicaverant, a communione Israelis secesserant, et Israelitarum iuribus exciderant. v. 8 « *Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath et de Asiongaber* », — videntur *LXX Vulg.* punctasse מִדֶּרֶךְ uti v. 5; sed melius *Masor. Chald. Syr.* : *de via Arabae* (*LXX*), quae est ad occidentem montis Seir quaque venerant Hebraei ad Sinum Aelaniticum, *de Elath et de Asiongaber*. Haec pars

versus describit *unde*, sequens pars *quo* iverint Hebraei. *Asiongaber* Num. 33,35, situs incertus. Haud procul aberat *Elath*, a Graecis et Romanis appellata Αἴλανα, Aelana, nunc 'Akabah ad Sinum Aelaniticum. Priorem versus partem ne construas dependentem a sequentibus : ונפן (cf. v. 1) novam itineris partem describendam orditur. Cf. *Masor.*

b. Acta cum Moabitis Deut. 2,8-15.

Arg. — Appropinquantibus regioni Moabitarum iniungit Deus, ut cum his pacem servent, eorum iura vereantur. Notatur, quo tempore Hebraei torrentem Zared traiecerint, inceptum iam fuisse annum migrationis quadragesimum. Adscripta legitur nota de primis Moabitidis incolis, cui appenditur altera notula de primis Seiritidis incolis.

« *Venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab* ». Transivimus via, quae ducit ad desertum Moab et per illud; desertum autem hoc Num. 21,11 patebat ad orientem Moabitidis. v. 9 « *Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas nec ineas adversus eos proelium : non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem* ». Cf. Num. 21,28; 22,36. Eadem ratio pro Seiritis et Ammonitis affertur v. 5. 19. Tradidit autem Deus, non speciali promissione Lot vel Esau facta, sed ratum habens Abrahae Gen. 13,5 sqq. a Lot, et Esau 36,6 a Iacob recedendi consilium.

Emim hoc nomine iam recensentur Gen. 14,5 tamquam incolae eius, quae postea exstitit Moabitis (CG p. 377 sq.), victique traduntur in Save Cariathaim, quam conferunt auctores cum Cariathaim Num. 32,37; Ios. 13,19, urbe ad aquilonem Arnonis haud procul flumine sita. ***Raphaim*** etiam (***Vulg.*** h. l. ***gigantes***) habentur Gen. 14,5, victi in Astaroth Carnaim, quam censent eandem esse vel cum Tell Ashtere ad orientem Maris Tiberiadis sita vel cum Bostra Auranitidis. ***Enacim*** offendis Num. 13,23 sq. incolentes circa Hebronem (CN p. 107 sq.).

v. 10-12 evidenter interrumpunt contextum, neque possunt accipi ut mera « parenthesis » ab ipso Moyse h. l. adiecta (*Smith* p. 480 sqq.). Etenim v. 9 vetabat Iahve Hebraeos, ne Moabitas impugnarent; dein, interiectis v. 10-12, sequitur v. 13 extremum incisum verborum Iahve : « Nunc surgite et traiicite vobis torrentem Zared ». Non ita inepte interrupturus erat Moyses textum, imo breve aliquod Iahve oraculum. v. 10-12 sunt verba Antiquarii (cf. p. 178 sq.).

v. 10 « *Emim primi* » — *Hebr. antea*, ante Moabitas — « *fuerunt habitatores eius, populus magnus et validus* » — *Hebr. magnus et multus :* est ἓν διὰ δυοῖν, nam proceram staturam exprimit tertium adiectivum; vel *magnus* intelligas de potentia, cuius duae causae

fuerint hominum numerus et giganteum robur — « *et tam excelsus ut* [*de*] *Enacim* [*stirpe*] »; v. 11 « [*quasi*] *gigantes crederentur* [*et essent*] *similes filiorum Enacim* ». Verte : *Raphaimis accensebantur ipsi quoque uti Enacim*. « [*Denique*] *Moabitae appellant eos Emim* ». Quod *Targ.* interpretantur *terribiles*; si tamen hoc nomen e lingua semitica sit derivandum. Sc. textus id solum edicit, ipsos illos *alio* se nomine quam nomine Emim vocasse; hoc nomine Moabitas eosdem appellasse, sed non *necessario* solos Moabitas. Potuit sc. fieri, ut aevo Abrahae Gen. 14 plures gentes circumincolentes illos iam vocaverint Emim, quod nomen adhibuerint postmodum etiam Moabitae. Auctor de origine Emim circumspecte loquitur et affirmatorum argumenta demonstrat. Illorum Emim cum Raphaim affinitatem coniicit primum e statura tam procera atque statura Enacim, qui Raphaim haberentur; secundo ex eo, quod Emim aeque ac Enacim Raphaimis vulgo accenserentur; tandem, quod Emim non fuerit eorum nomen nativum, ergo nativum nomen bene potuerit esse Raphaim aut nomen aliquod a Raphaimis derivatum. Nonne haec potius suggerunt scriptorem Moyse recentiorem, cuius tempore ne unus quidem illorum Emim superfuerit, nihil de illis nisi e Moabitarum populari traditione disci potuerit? Cur vero scriptor non sistit in Emim cum Enacim affinitate, sed utrosque revocat ad Raphaim? Raphaim una erat earum gentium, quarum fines Gen. 15,20 Deus « semini Abraham » possidendos promiserat; fines utique cisiordanicos; verum Moabitae, quod Raphaim transiordanicos exstirpassent, adiutores se exhibuerant consilii divini, Deus illorum acta probata habebat, eisque « tradiderat Ar in possessionem ». Haec una certe causa, cur ne Hebraei eorum fines attingerent inhibebat.

Notae de Emim visa est adscribenda similis de Seiritis nota. Qua quidem nihil docemur, quod non iam e Gen. 36, et quidem distinctius, compertum habemus, ibi quippe docemur, non ita brevi tempore deletos seu verius absorptos esse Seiritas. Nota haec utique etiam adscribitur intuitu v. 5 : sicut v. 10 sq. explicatur, cur Hebraei prohibiti sint Moabitas impugnare, ita v. 12 explicatur, cur iidem prohibiti sint Edomitas lacessere. Plenam notae rationem pandit v. 22, qui rursum est de Edomitis. Edomitis semper magis amici aut minus inimici fuere Hebraei, quam Ammonitis et Moabitis : insistit igitur Iahve, in hac re finium non impetendorum, eadem plane ratione habendos esse Ammonitas et Moabitas, atque Edomitas; singulos illos, uti Hebraeos ipsos, habere fines sibi a Iahve permissos, quos nefas sit adoriri. v. 12 « *In Seir autem prius habitaverunt Horraei* » (cf. ad Gen. 36,20), « *quibus expulsis atque*

deletis habitaverunt » *loco eorum* « *filii Esau*, *sicut fecit Israel in terra possessionis suae, quam dedit illi Dominus* ». Possessio Edomitarum aequiparatur possessioni Israelis. Sicut haec a Deo « data est » Israeli, ita idem Deus v. 5 « in possessionem Esau dedit montem Seir ». Haec rursum profertur ratio, cur Israelitae Edomitarum fines attingere prohibeantur. Verba scripta esse videntur post occupatam ab Israelitis terram sanctam.

Mensis primus, quo Num. 20,1 coepta est commoratio in Cades, certe exstitit altero ab exodo anno posterior, cum 20ª die mensis 2ⁱ anni 2ⁱ Hebraei Num. 10,11 discesserint a monte Sinai. Fuit mensis primus ipsius anni tertii, cum solum ab initio huius anni supersint 38 anni ad finem 40 annorum. Tamen annum illum 38um, dum traiiceretur torrens Zared, non fuisse completum, sed tantum inchoatum, efficit Deut. 1, 3 sq. : ille quippe annus ne post Sehonis quidem cladem completus erat, quae clades transitu torrentis fuit posterior. Ergo secundum nostri textus sensum obvium, quo tempore Hebraei anno 40° traiecere torrentem Zared, diem supremum obierant reliqui omnes, qui Num. 14 morti in deserto fuerant addicti, praeter unum Moysen qui usque ad extremum fere annum 40um vivere permissus est. Fuitque ratio adscribendae v. 14 a Moyse notulaè de 38 annis non ea, quod Hebraeis torrentem traiicientibus annus 40um aut coeperit aut desierit, id quippe utrumque falso asseruerit quis, sed quod prope illum torrentem ultimi illorum praeter Moysen virorum e vivis cesserint.

v. 13 « *Surgentes ergo, ut transiremus torrentem Zared*, *venimus ad eum* ». Sed reliqui omnes : *Nunc surgite et traiicite vobis torrentem Zared;* et pro עתה *Sam.* et codices hebraei plures ועתה. Habetur ergo hic conclusio divini v. 9 alloquii; post quam pergit *Hebr.* : *Et traiecimus torrentem Zared*, mandatum divinum implevimus. v. 14 « *Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared*, *triginta et octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum* », plus quam viginti annos natorum tempore rebellionis Num. 13, « *de castris, sicut iuraverat Dominus* » Num. 14,21-23. 28-35; Deut. 1,35. v. 15 « *Cuius manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio* », *nullo excepto*. Demonstrat orator haec omnia facta esse providente Deo, propter Hebraeorum demerita et quo impleretur iuramentum a Deo editum : sibi ipsis Hebraei attribuant molestias omnes, quas pertulerunt. Neque versui 14 opponitur 5,3 (*Wellh. C.* p. 191), ubi *patribus*, i. e. patriarchis, quibuscum Iahve non iniit foedus sinaiticum, opponuntur auditores Moysis, quibuscum, itemque cum eorum patribus in deserto mortuis eorumque posteris, foedus sinaiticum iniit. Vere cum iis iniit, qui *Moysi* loquenti *praesentes* aderant; unde non sequitur hos omnes *praesentes* adfuisse *Iahvae*, quando is foedus sancivit.

c. Acta cum Ammonitis Deut. 2,16-25.

Arg. — Narratione versui 15 intime contexta refert orator, quae in Num. non recitatur, sed Num. 21,24 facta supponitur, divinam prohibitionem aggrediendorum Ammonitarum. Cui adscripta legitur nota de Ammonitidis prioribus incolis. v. 24 resumitur divinum eloquium, iubenturque Hebraei Amorrhaeos adoriri et subigere.

v. 16 « *Postquam autem universi ceciderunt pugnatores* », nullo excepto, v. 17 « *locutus est Dominus ad me dicens* » : v. 18 « *Tu transibis hodie terminos Moab,* [*urbem nomine*] *Ar* ». Cum v. 9 *Ar* certe non solam urbem designet, sed aut urbem cum regione sibi subiecta, aut regionem eodem cum urbe principe nomine appellatam, eodem sensu h. l. sumi poterit nomen *Ar*; neque concludere fas est, urbem Ar regionis caput fuisse sitam in extremo finium angulo aquilonem et orientem versus. v. 19 « *Et accedens in vicina* », *Hebr. ex opposito* — non *transibunt* (v. 4. 8. 13), sed solum appropinquabunt et versabuntur ex opposito — « *filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos nec movearis ad proelium; non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem* ».

Rursus orationem Moysis interrumpit Antiquarius noster, rerum Raphaim apprime gnarus. De Raphaim Moabitarum antecessoribus veluti dubitans loquebatur, de Raphaim Ammonitidis certiora loquitur. Expeditis v. 11.20 Raphaim transiordanicis, putavit aliquid sibi v. 23 adscribendum de Raphaim cisiordanicis, quorum aliqui vel Davidis tempore 2 Reg. 21,16.18.20 in Philisthaea supererant.

v. 20 « *Terra gigantum reputata est, et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitae vocant Zomzommim* ». Hoc autem nomen aliqui coniiciunt esse idem atque Zuzim Gen. 14,5. *Hebr. : Terra Raphaim reputata est etiam ipsa, Raphaim habitaverunt in ea*; neque officit, Ammonitas eos vocasse non Raphaim sed Zomzommim, cum hoc non sit nativum eorum nomen. v. 21 « *Populus magnus et multus et procerae* [*longitudinis*] *sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum, et fecit illos habitare pro eis* ». Argumentum omnino idem est atque v. 10 sq. : merito Ammonitae Raphaitas expulere, iure merito eorum fines obtinent; idque confirmatur exemplo Edomitarum, quod hic uti v. 12 appellatur. Unde collige, quid sibi velit mentio Edomitarum utroque loco. Non accenset Antiquarius Seiritas Raphaimis, non eorum proceram staturam commemorat, non in originem nominis inquirit, sed exemplo Edomitarum illustrat Dei in Moabitas et Ammonitas indulgentiam. Videtur Antiquarius eo tempore scripsisse, quo nullae Hebraeorum erant in

Edomitas, bene vero in Moabitas et Ammonitas inimicitiae. Facile quisque agnoscebat, iuste Deum exegisse finium Edomitarum reverentiam : infert Antiquarius, aequo item iure sanxisse Deum, ut Moabitarum et Ammonitarum fines ne attingerentur; « datos » a Deo esse hos uti illos; imo hos fuisse devotorum Raphaim, dum de illis idem non affirmetur. v. 22 « *Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horraeos et terram eorum illis tradens, quam possident usque in praesens* ».

v. 23 « *Hevaeos quoque, qui habitabant in Haserim* » — verte *in tuguriis*; non in urbibus collecti vivebant — « *usque Gazam* », Philisthaeae urbem, « *Cappadoces expulerunt; qui egressi de Cappadocia deleverunt eos et habitaverunt pro illis* ». *Hevaei,* עוים, secus tantummodo Ios. 13,4 (3) commemorati, oppido distinguendi a Hevaeis, חוים Gen. 10,17 etc. Ad Gen. 10,24 demonstrabamus, *Caphtor* et *Caphtorim* esse Cretam et Cretenses; certe non *Cappadoces*. Philisthaei e Creta immigrarunt.

Antiquarius certe non est Moyses. Completurus suum de Raphaim tractatum, recensitis post transiordanicos cisiordanicis Raphaim, nihil affert de Raphaim seu Enacim prope Hebronem incolentibus, quorum Moysis tempore Num. 13. 34 florentes erant res. Antiquarii tempore videntur hi prorsus fuisse deleti vel expulsi. Neque videtur Antiquarius trans Iordanem scripsisse, sed in montibus fere Iudaeae, a quorum radicibus *tuguria* illa Gazam usque protendebantur. Scripsisse crediderim Antiquarium in Iudaea, circiter Davidis tempore.

v. 24 « *Surgite* », *proficiscimini* « *et transite torrentem Arnon* ». Sola punctatione hi tres imperativi facti sunt plurales : puncta numero singulari uti v. 24^{b} et v. 18 sqq.; diriguntur verba immediate ad Moysen, per ipsum ad populum. « *Ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhaeum, et terram eius incipe possidere, et committe adversus eum proelium* ». v. 25 « *Hodie incipiam* » — *Sam. LXX* uti v. 24 *incipe,* החל pro אחל : sed non consuevit Israel mittere terrorem sui, sed Iahve mittere terrorem Israel. Cf. item v. 31, ubi primum *incipit* Iahve, postea *incipit* Israel — « *mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni coelo, ut audito nomine tuo paveant, et [in morem parturientium contremiscant et] dolore teneantur* ». Cf. Ex. 15,14. Hucusque pacifice omnia cesserant, Israel Edomitas etc. non armis adoriebatur neque eorum fines occupabat : *hodie* tandem *incipit* certamen, quod nonnisi subacta universa terra promissa finem accipiet; hodie incipit Israel possidere terram, incipit Iahve mittere terrorem; haec mox obliviscebantur Ruben et Gad, quaerentes sibi otium post primas victorias. Monet

Dr. 11,25; Ex. 23,27 terrorem a Iahve scribi incutiendum solis cisiordanicis, hic etiam transiordanicis. Omnino, sed his conditionate, illis absolute : a Sehone postulant Hebraei primum veniam transeundi, quam si ille concessisset, nulla fuisset trans flumen pugna aut finium acquisitio. Transiordanica non erat stricte loquendo pars terrae promissae.

d. Acta cum Amorrhaeis Deut. 2,26-3,29.

α. Sehon Deut. 2,26-37.

Arg. — Orator, qui ordinem historicum non presse sequi consuevit, recensito v. 24 sq. divino contra Amorrhaeos pugnandi mandato, v. 26 sqq. commemorat, quae ante acceptum mandatum locum habuisse videtur (*Calm.*), legationem ad Sehonem missam pro obtinenda transitus venia. Qua denegata rursum v. 31 compendio repetitur idem mandatum, proelii successus narratur, effertur Hebraeos totam Sehonis regionem subiugasse, Ammonitarum fines non attigisse.

v. 26 idem est atque Num. 21,21, paucis additis : « *Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth* », quae civitas probabilius circa Arnonem superiorem sita postmodum Rubenitis cessit et levitis (Ios. 13,18; 21, 37 [Hebr.]; 1 Par. 6,79 [64]), « *ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis dicens* » : — v. 27-29 omnes contra *Vulg.* habent, uti v. 26, verba atque suffixa primae pers. sing., ultimum incisum v. 29 legunt uti Vulg. : ergò v. 27-29 loquitur Moyses nomine suo. Fusius pronuntiat eadem, quae Num. 21,22 — v. 27 « *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus neque ad dexteram neque ad sinistram* ». v. 28 « *Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur; aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum [est, ut nobis concedas] transitum* »; v. 29 « *sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitae, qui morantur in Ar : donec veniamus ad Iordanem et transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis* ». Acta cum Edomitis et Moabitis refert Moyses, non ut historiographus, sed ut orator, effert ea quae suum ad Sehonem argumentum firmant, et tacet difficultatem quam erat cum Edomitis et Moabitis expertus. Edomitae et Moabitae concesserant transitum non quidem per medios, sed per extremos fines (*Bonfr.*), « ut fines raderent » Hebraei (*Calm.*); idque concesserant tanto facilius, quod extremi ad orientem fines essent fortasse minus certi, et regio plana difficilius defenderetur quam montes (Num. 20,20); non prohibuerant suos, quominus annonam et aquam pretio vendentes lucrum facerent.

v. 30 « *Noluitque Sehon, rex Hesebon, dare nobis transitum, quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum eius* », — aliis locis induratur *cor :* Ex. 7,3; 13,15 — « *et obfirmaverat cor illius* », — cf. 15,7; 2 Par. 36,13; alias eadem expressio adhibetur de roborando corde ad faciendum bonum : Deut. 3,28 etc. — « *ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides* ». *Hebr. : sicut hoc die :* 4,20. 38; 8,18; 10,15; 29,28(27); Gen. 50,20. Cf. p. 123 n. 34 c. Videbant Hebraei Moysis auditores eum fuisse effectum, quem intenderat Deus indurans cor Sehonis. v. 31 « *Dixitque Dominus ad me : Ecce coepi tibi tradere Sehon et terram eius, incipe possidere eam* ». Cf. ad v. 24 sq. *Hebr.* : החל לרשת את ארצו, ubi ad similitudinem v. 24 post primam vocem irrepsit imperativus רש. v. 32 « *Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad proelium in Iasa* ». Cf. Num. 21,23. v. 33 « *Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis, percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo* ». In narratione longe breviore Num. 21,24 non habetur mentio *filiorum*. Cum tuto supponi possit Sehon fuisse polygamus et habuisse filios, nulla est ratio supponendi *filios* h. l. irrepsisse ad imitationem filiorum Og Num. 21,35. v. 34 « *Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis : non reliquimus in eis quidquam* », seu potius *quemquam superstitem*; v. 35 « *absque iumentis, quae in partem venere praedantium, et spoliis urbium, quas* » — seu potius *quae* — « *cepimus* ». v. 36 « *Ab Aroer, quae est super ripam torrentis Arnon* » septentrionalem (3,12; 4,48; Ios. 12,2; 13,9. 16; Iud. 11,26 etc.), *et* « *oppido, quod in valle situm est, usque Galaad, non fuit vicus et civitas, quae nostras effugeret manus. Omnes tradidit Dominus Deus noster nobis* ». Sola *Vulg.* omittit *et :* ita *oppido, quod etc.* appositio est accuratius etiam describens Aroer; appositio est superflua, certissime abundat vox *oppido*. Si retineatur copula, videtur haberi altera praeter Aroer urbs, eaque anonyma. Sed eadem plane expressio habetur Ios. 13,9. 16 : his omnibus locis העיר verte *Ar*, sive quod lectio emendanda sit in הער, sive quod Ar reapse pronuntianda fuerit *Ir*, sive quod Ar Moabitidis caput reapse nomen habuerit *urbs*, ἡ πόλις, uti Roma postmodum appellabatur urbs. Ergo : *ab Aroer, quae est in margine vallis Arnon, et ab Ar, quae est in valle.* Sc. Ar erat in valle Arnonis, in meridionali plaga. Hebraei, ut se a Moabitis certius tuerentur in summo opposito clivo, in Aroer praesidium habebant. v. 37 « *Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus,* [*et*] » — omitte copulam, sequentia quid nomine terrae Ammon veniat explicant — « *cunctis quae adiacent torrenti Ieboc, et urbibus montanis, universisque* [*locis*] *a quibus nos prohi-*

buit Dominus Deus noster ». Abstinuerunt tam ea parte vallis Ieboc, quam illis locis montanis, quae finibus Ammonitarum includebantur. Num. 21,24 dicuntur obtinuisse universam regionem ab Arnone ad Ieboc, exceptis finibus Ammonitarum, ergo fere dimidiam partem montium Galaad meridiem versus: illud *usque Galaad* limitem exprimit vage, sed vere, accuratior expressio habetur 3,12.

β. Og Deut. 3,1-11.

Arg. — Item Og, regem Basan, sibi occurrentem, iubente Deo adorti sunt Hebraei, eoque cum suis interempto totam eius possederunt regionem.

Cap. III v. 1 « *Itaque conversi ascendimus per iter Basan* ». וַנֵּפֶן novum huius narrationis caput uti 1,7. 24. 40; 2,1. 3. 8(9) indicat. « *Egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai* ». v. 2 « *Dixitque Dominus ad me : Ne timeas eum, quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua; faciesque ei, sicut fecisti Sehon regi Amorrhaeorum, qui habitavit in Hesebon* ». Hi duo versus verbotenus consonant cum Num. 21,33 sq., solum tertiam personam mutat in primam v. 1. — v. 3 « *Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan et universum populum eius, percussimusque eos usque ad internecionem* », — Idem brevius habet Num. 21,35, sed commemorat *filios* Og, cf. Deut. 2,33 — v. 4 « *vastantes cunctas civitates illius uno tempore : non fuit oppidum, quod nos effugeret, — sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan* ». Ergo *Argob* erat Basanitidis pars (cf. 3 Reg. 4,13) atque, uti videtur, pars longe maxima, cum rex Basan urbes suas munitas omnes videatur habuisse in Argob. Variorum coniecturas de finibus Argob v. ap. *Dr.; Targ.* טרכונא, *Trachonitis;* sitne *Arga* (*Eus.-Lagarde* p. 88 sq. 216), quindecim millibus distans Gerasa occidentem versus, eadem atque Argob, minime liquet. v. 5 « *Cunctae urbes erant munitae muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis innumeris, [quae non habebant muros]* ». Neque v. 5 nos iuvat in finibus Argob accuratius definiendis. Inventi sunt quidem in Derat seu Edrai et alibi putei, e quibus coniculi laterales excurrebant in subterranea latibula; inventae sunt cavernae quo confugiunt accolae irruentibus latronibus : sed haec alia sunt ab urbibus muratis. In clivis orientalibus et meridionalibus Auranitidis conspiciuntur plus quam trecentae urbes desertae et pagi; sed clivi orientales nunquam videntur pars fuisse Basanitidis, et structura, sculpturae, inscriptiones illa aedificia potius aevo attribuunt longe recentiori. Cf. *I. G. Wetzstein* : Reisebericht über

Hauran und die Trachonen, Berlin 1860. Post quem demonstravit etiam *G. Rindfleisch* (Zeitschrift des deutschen Palaestina-Vereins XXI 1 sqq., Leipzig 1898), illas urbes etc. exstructas esse ab Arabibus Sabaeis Ghassanidis, Romanorum tributariis. v. 6 « *Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos* ». v. 7 « *Iumenta autem et spolia urbium diripuimus.* » Cf. 2,34 sq. v. 8 « *Tulimus illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhaeorum, qui erant trans Iordanem, a torrente Arnon usque ad montem Hermon* ».

Hoc nomen Antiquario occasio est inserendae notulae cuiusdam : sane non ipse Moyses suo sermoni intermiscuit hanc notam philologiae comparatae. v. 9 « *Quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhaei Sanir* ». Cf. Gen. 31,47. Utrumque nomen *Sirara* et *Saniru* habent inscriptiones cuneiformes (*Schrader*). *Hebr. Sam. Chald.* שרין, *Vulg. Syr.* שריון (= Ps. 28 [29], 6), idem nomen censendum est cum Deut. 4,48 שיאן (*Hebr. LXX Vulg.*) vel שיאון (*Sam. Chald.*), cum antiqui characteres א et ר sint simillimi inter se. Porro שרין 1 Reg. 17,5. 38 *loricam* sonat, nomen fortasse a Sidoniis ad Hebraeos translatum. Eundem sensum in lingua arab. habet שַׂנִיר; correspondens, quod crediderim, nomini שניר. A nivibus (Prov. 25,13) vocabant tam Sidonii quam Amorrhaei eum montem *loricatum*. Ceterum cf. *Smith* p. 477 sq.

Continuatur generalis duorum contra Amorrhaeos bellorum conspectus, quem v. 9 interruperat : tulimus v. 10 « *omnes civitates, quae sitae sunt in planitie* », — מישר cum articulo de regione transiordanica scriptum designat planitiem moabiticam : 4,43; Ios. 13, 9. 16. 17. 21: Ier. 48,8. 21 — « *et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha et Edrai, civitates regni Og in Basan* ». סלכה urbs in extremis finibus Basanitidis sita (Ios. 12,4[5]; 13,11), fortasse in limite meridionali, cum 1 Par. 5,11 Gaditae usque ad eam urbem pertigerint. Non perspicio sufficientem rationem eius urbis confundendae cum צלחד, Nabataeorum in meridionali clivo montium Auranitidis, cum tam diversa reapse ratione illa duo nomina scribantur. Aliqui ob adscriptum *usque* putavere agi de urbibus in extrema regione septentrionem versus sitis, et novam effinxere *Edrai* diversam ab illa, quae potius ad austrum est Basanitidis. Verum adscribitur etiam *civitates regias* : ergo *totam* regionem tulimus, ne exceptis quidem duabus regiis civitatibus. Etiam alias duae regiae civitates tribuuntur Og, sc. praeter Edrai Astaroth Carnaim 1,4; Gen. 14,5 etc. Aut habetur error scribae aut, quae nomine sacro vocabatur Astaroth, eadem nomine profano vocabatur Selcha. — V. 10 enumerat

regiones omnes duobus bellis amorrhaeis subactas : planitiem Moab ab Arnone ad montes Galaad et Ammonitiden usque; montem Galaad in utraque parte fluminis Ieboc situm; Basanitiden universam.

Rursum loquitur Antiquarius v. 11 : « *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum* », seu verius *Raphaim*. « *Monstratur lectus eius* », *lectus* « *ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon* » (Ios. 13, 25; 2 Reg. 11,1; 12,26 sq.; 17,27 etc.), « *novem cubitos habens longitudinis et quatuor latitudinis, ad* [*mensuram*] *cubiti virilis* [*manus*] ». Narrator sentiens se ea referre, quae merito admirationem moveant, mensuram accurate definit. Post alios quosdam interpretes censebat etiam *Calm.* versum seriori manu esse adscriptum, fortasse quo tempore David Rabbam subegerit 2 Reg. 12,30. Non perspici, ait, cur Moyses tantopere institerit describendae staturae Og eamque ab obiectionibus aequalium suorum tam studiose defendat, qui Ogum ipsi vidissent; cur rei suo tempore evidentissimae argumenta petierit ex Rabba, quo suis minime pateret accessus. *Lectum* perperam *Arias Montanus* interpretatus est sepulcrum; eum sensum non habet vox ערש; sepulcra, sarcophagi, feretra non consueverunt e ferro confici; meritoque *Bonfr.* quaerit, quisnam tam sumptuosum monumentum erexerit regi, qui cum tota sua gente esset exstirpatus.

כי versum connectit non cum sententia v. 10, cuius ille nullam affert rationem, sed cum nomine *Og*, quod scriptori hanc de Og notulam suggessit, qua nos edoceret suprema fata Raphaim non omnium, nam alii serius in Philisthaea vixere (2 Reg. 21,16 sqq.; 1 Par. 20), sed incolarum Basanitidis. Hi interempto Og defecere. Solus quippe Og de Raphaim *restiterat,* sive quod ultimus in proelio contra Hebraeos, post occisos filios et socios omnes (cf. 1 Reg. 31) superfuerit; sive quod ipse cum suo populo ultima in eo regionis tractu exstiterit soboles Raphaim. Quod porro Antiquarius egerat iam 2,10. 21, ut e statura argumentum duceret originis ex Raphaim, idipsum h. l. facit. Quod argumentum ibi aliis fulcierat rationibus, positiva una e populari opinione petita, negativa altera e nominibus aliunde impositis; h. l. alia non appellat, neque argumento absolutam vim vindicat. Staturam igitur proxime infert e lecti amplitudine : « certa haud dubie mensura illius cubiti hic assignatur, quo cognosci possit regis illius statura » (*Bonfr.*). Omnino, sed sapienter addit *Calm.*, lectos consuevisse longiores esse iis, qui in illis decumbant. In antiquis regum palatiis cernuntur etiamnum mirandae magnitudinis lecti, licet illi reges gigantes haud fuerint. Antiquarius e magnitudine lecti demonstrat, et merito quidem, pro-

ceritatem viri; non demonstrat e longitudine lecti novem cubitorum proceritatem viri novem cubitorum, uti neque e latitudine lecti quatuor cubitorum infert quatuor cubitorum viri diametrum. Ceterum adverte, quam caute Antiquarius loquatur : non affirmat authentiam antiqui illius lecti : *nonne* interrogat, quod sapienter *Vulg.* explicat *monstratur*. Ergo argumenti vis potissima non derivatur ex ipso illo lecto, sed ex Ammonitarum opinione immanem illum lectum fuisse lectum Og, virum ipsum fuisse immanis staturae, qualis in sola Raphaim sobole reperiretur; est tandem, uti 2,11. 20 argumentum e populari opinione virum fuisse de genere Raphaim. — Manet tandem quaestio, quomodo lectus Og devenerit e Basanitide Rabbam. Non est tanta Basanitiden inter et Rabbam distantia. Ceterum ostenduntur etiamnum plures genuinae antiquorum temporum reliquiae, quin demonstrari possit, qua ratione illae e nativis suis sedibus in ea, ubi nunc cernuntur, loca devenerint.

γ. Transjordanica distributa Deut. 3,12-20.

Arg. — Commemoratis bellis contra Sehon et Og (cf. Num. 21,21-35), commemorat Moyses v. 12-17 factam a se (Num. 32) transiordanicae partitionem. Difficultates, quas hac in re cum Ruben et Gad expertus est, non attingit, Gadum v. 12.16 non praeponit Rubeno (CN p. 352 sq.) ut turbarum auctorem, sed sistit in facto partitionem a se esse decretam, et accuratius definit terminos tribubus concessos. Sc. primum v. 12 generatim describit terminos Ruben et Gad, v. 13 Manasse; in his distinguit v. 14 terminos Iair, v. 15 terminos Machir, i. e. Manassaeorum eorum qui Iairitae non erant; v. 16 sq. describit tandem accuratius fines assignatos Ruben et Gad. Ubi illud notandum, his concedi vallem Iordanis orientalem a Lacu Genesareth ad Mare Mortuum (cf. Ios. 13,27), quo efficiebatur, ut Manassaei transiordanici non solo flumine, sed interposita tribu Gad a reliqua domo Ioseph dividerentur. Terminos autem Ruben et Gad h. l. Moyses ab invicem non discernit, sed cf. Ios. 13,15-28. Tandem v. 18-20 transiordanicis Moyses in memoriam revocat obligationem strenue iuvandi cisiordanicos in suis finibus subigendis.

v. 12 « *Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quae est super ripam torrentis Arnon* », — *super marginem vallis Arnon*, cf. ad 2,36. חצי solus *Hebr.* ignorat — « *usque ad mediam partem montis Galaad; et civitates illius dedi Ruben et Gad* ». v. 13 « *Reliquam autem partem Galaad et omnem Basan regni Og tradidi mediae tribui Manasse, omnem regionem Argob; cunctaque Basan vocatur terra gigantum* », seu verius *Raphaim*. Cum *Masor.* junge : *omnis regio*

Argob cum universo Basan appellabatur terra Raphaim. Argob v. 4 erat pars potissima Basanitidis. v. 14 « *Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati* ». Cf. Gen. 22,24; 2 Reg. 15,8; 1 Par. 19,6. « *Vocavitque ex nomine suo Basan Havoth Iair,* [*i. e. villas Iair*], *usque in praesentem diem* ». Obiiciunt, Num. 32,41 easdem villas attribui non Basanitidi sed Galaaditidi. Respondeo fines ibi Manassaeorum minus distincte definiri, agi de sola Galaaditide Machiro concessa, Basaniliden taceri, ceterum v. 41 non legi *vicos eius*, sed *vicos eorum*, sc. inimicorum. H. l. distinguit scriptor fines Iair a finibus reliquorum Manassaeorum, non potuit non exprimere villas illas esse in Basanitide, non vero in Galaaditide.

Illud *usque in praesentem diem* non scripsit Moyses : cum nomen nonnisi pauculos menses ante Moysis orationem inditum esset, non erat admirationi locus illud, quo tempore Moyses eam orationem habebat, in desuetudinem nondum abiisse. Sed illa verba individuo adhaerent animadversioni de mutato regionis nomine, haec animadversioni v. 13 de antiquo regionis nomine : ergo has duas animadversiones v. 13^{b}.14^{b} adiecit Antiquarius, rursus occasionem nactus de antiquo Raphaim nomine quaedam in medium proferendi.

v. 15 « *Machir quoque dedi Galaad* » illud, de quo v. 13, ergo dimidiam partem septentrionalem. v. 16 « *Et tribubus Ruben et Gad dedi de* [*terra*] *Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, et confinium usque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon* ». Fines describere orditur *de Galaad*, quam intelliges aut eandem atque v. 15, ergo Galaaditiden Machiritarum; aut Galaaditidis partem australem ipsis iam v. 12 attributam; aut Galaaditiden universim. Quomodocunque intelligas, accipe potius exclusive : scriptor, in monte Galaad veluti constitutus, indidem fines universos circumspicit. Determinat eos autem primum meridiem et orientem versus : *usque ad vallem Arnon* et *usque ad Ieboc vallem*. Sed ne putes intelligi Ieboc, quatenus ad aquilonem finium Galaaditiden findit, cui tum certe cum Ammonitis nihil erat commune, adscribitur *terminum filiorum Ammon*. Ieboc quidem ab oriente influit in Iordanem, sed ab oriente Galaaditidis circulo fere cursum flectit, ita ut aliquis eius fons sit prope Iegbaam (Num. 32,35; Iud. 8,11; nunc Adschbehat), quae in extremis finibus Gaditarum erat, medio fere itinere inter Es-Salt et Rabbam. Neque longe indidem abfuisse videtur Iaser (Num. 21,32;32,1; nunc Chirbet Sar?), quam extremam occidentem versus tum obtinebant Ammonitae. Ergo totam vallem Ieboc superioris, seu omnes valles fontium Ieboc agnoscebat Moyses esse terminum Ammonitarum atque intra eorum fines con-

cludi. Hunc autem esse illius appositionis sensum, probat altera appositio vocibus *usque ad vallem Arnon* adscripta : *medium vallis et terminus*, in qua melius cum *LXX* omittes copulam, cuius secus valde insuetus h. l. usus esset adstruendus. Sc., ne errori esset locus, totam eam vallem pertinere ad Moabitas, uti totam vallem Ieboc ad Ammonitas, adscripta est illa appositio : *torrens* erat terminus, sed quia eadem vox נחל torrentem exprimit et vallem, circumlocutione opus fuit.

Et haec quidem quoad limitem australem, orientalem : definiendus superest limes occidentalis v. 17 : « *et planitiem solitudinis atque Iordanem, et terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga* » (cf. Num. 21,20; 23,14) « *contra orientem* ». Est ergo *Araba et Iordanis terminus*, depressio Iordanis usque ad ipsum flumen, *a Lacu Genesareth usque ad Mare Arabae, mare salsum*, i. e. Mare Mortuum, ubi illud *orientem versus* habet *radices montis Phasga*. Ergo Gaditae interponentur inter Manassaeos transiordanicos et tribus cisiordanicas, hi Manassaei penitus separabuntur imprimis ab Ephraim et Manassaeis cisiordanicis. Adverte, Ios. 13,23 Rubenitis concessum esse Iordanem terminum. Soli e transiordanicis Manassaei a flumine praecludebantur, cuius tamen a Ieboc ad Lacum Genesareth angusta vallis veluti ab ipsa natura videretur attribui iis, qui Galaaditiden septentrionalem obtinerent. *Volebat* igitur Moyses Manassaeos illos constituere loco iniquiore ceteris tribubus, volebat eos permanenter separare a reliqua domo Ioseph; eorum fortissimos, ferocissimos, Iairitas relegabat in regionis tractum remotissimum, ubi exstirpandis gigantibus utilem operam navarent, sed alias tribus concitare haud valerent.

Ad sequentia cf. Num. 32,17 sq. 20-22. v. 18 « *Praecepique vobis in tempore illo dicens* » : — *vobis* refertur ad solos transiordanicos (*Cai.*) — « *Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in haereditatem* » : — idem quod v. 20 *possideant* — « *expediti praecedite fratres vestros filios Israel* »; et h. l. adscribitur, quod in Num. non habetur, « *omnes viri robusti* »; — Ios. 22,1 sqq. laudantur transiordanici ii, qui cum Iosue cis flumen pugnaverant, easque profecto laudes promeriti erant. Quod ostendemus in Commentario in librum Iosue — v. 19 « *absque uxoribus et parvulis atque iumentis : novi enim, quod plura habeatis pecora; et in urbibus remanere* [*debebunt*], *quas tradidi vobis* », v. 20 « *donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit, et possideant ipsi etiam terram, quam daturus est eis trans Iordanem; tunc revertetur* » — *revertemini* — « *unusquisque in possessionem suam, quam dedi volis* ». Finem

adscriptae pericopae v. 12-20 pandunt extremi versus. Adscribebatur ea, etiam ut series eventuum compleretur, sed potissimum ut commonefierent Hebraei terminum peregrinationis suae non esse transiordanicam sed cisiordanicam. Transiordanica duabus tribubus et dimidiae attributa, patebat reliquarum tribuum possessionem cis flumen esse requirendam; monenturque ipsae duae tribus cum dimidia de obligatione iuvandorum fratrum in cisiordanica subigenda.

δ. Iosue futurus dux Deut. 3,21-29.

Arg. — Victoria de Sehon et Og relata Iosuen, futurorum bellorum ducem inducere debet, ut victoriam item de hostibus cisiordanicis reportatum iri firmiter confidat. Petenti Moysi, ut sibi populum trans flumen deducere concedatur, severe renuit Deus Iosuenque designat non belli tantum ducem, sed populi principem.

Censet *Dillm.*, v. 21 sq. anticipare v. 28 et 31,3 sqq. Re idem est v. 21 sq. cum 31,3-6. Sed belli dux iam erat Iosue inde ab Ex. 17 neque mirum est, eum a Deo iterato ad fiduciam divini auxilii esse provocatum, maxime cum inimicos numeris etc. longe validiores esset adorturus. 3,28 et 31,7 sq. 14 sq. 23 agunt de alia re, de Iosue sc. ad principem dignitatem ei a Deo destinatam promovendo. Ceterum cf. quae dicebamus ad 1,38. — Cur paraeneseos pars historica producatur usque ad recusatam Moysis petitionem, ut cisiordanicam ingredi permitteretur, et usque ad Iosuen ducem designatum, neque ultra haec excurrat, cf. p. 92 sq.: sc. eodem alloquio, quo haec sanciebat, annuebat Iahve Moysi petenti, ut foedus restituere permitteretur, cui solemni restitutioni praeludit oratio 1,6-4,40.

v. 21 « *Iosue quoque in tempore illo praecepi dicens : Oculi tui viderunt* » (cf. 4,3; 11,7), « *quae fecit Dominus Deus vester duobus his regibus : sic faciet omnibus regnis, ad quae transiturus es* ». v. 22 « *Ne timeas eos, Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis* ». v. 23 « *Precatusque sum* » — *Hebr. : misericordiam mihi expostulavi,* instantem et humilem petitionem exprimit, uti etiam v. 24 *domine Iahve,* expressio in libris historicis minus usitata (Ios. 7,7; Iud. 6,22; 16,28; 2 Reg. 7,18.19.20.28.29; 3 Reg. 2,26; 8,53; cf. Gen. 15,2. 8) — « *Dominum in tempore illo dicens* » : v. 24 « *Domine Deus, tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam manumque fortissimam* ». « Rogo, quod perficias ostendendo mihi cetera, quae desunt » (*Tost.*). Cf. 2,24 sq. 31. « *Neque enim est alius Deus vel in cœlo vel in terra, qui possit facere opera tua et [comparari] fortitudini tuae* ». Uti Ex. 15,11 comparatur Dei fortitudo cum infirmitate deorum gentilium. v. 25 « *Transibo igitur* », seu potius *transeam,* petit quippe Moyses, ut prior sententia in se lata revocetur, « *et videbo terram*

[*hanc*] *optimam trans Iordanem, et montem istum egregium* », non solum Sion (*Ps. Ion.*), sed universa montana cis flumen (Num. 14,40 sqq.), « *et Libanum* ». Cuius in nullis prioribus oraculis mentio habetur. Sed fortasse illum audierat eminere tamquam reliquorum omnium montium regem, nivibus coopertum; vel nomen serius irrepsit. v. 26 « *Iratusque est Dominus mihi propter vos* », — cf. ad 1,37. Publice peccaverat Moyses Num. 20,10 contra fidem Iahve debitam : eius publici peccati poena non erat ei condonanda *propter populum*, ne is tanti viri diffidentiam cernens impunitam, nihili faceret diffidentiae peccatum — « *nec exaudivit me, sed dixit mihi : Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me* ». רב לך, cf. Num. 16,3.9. 13. Rebelles socii Core inani querela Moysi dixerant : « Sufficit tibi »; sed Iahve Moysis auctoritatem gloriose tuitus est. Nunc ipse Iahve Moysi dicit : « Sufficit tibi », omnem causae retractationem praecludens. v. 27 « *Ascende cacumen Phasgae, et oculos tuos circumfer ad occidentem et ad aquilonem austrumque et orientem, et aspice* » *oculis tuis*. Maiorem tulerat pœnam Aaron, qui ne oculis quidem aspicere terram promissam permissus est (*Tost.*). Moysi vero solus aspectus conceditur, qui ei sufficiat oportet, quod amplius concedatur nihil (cf. Deut. 32,52) : « *nec enim transibis Iordanem istum* ». Pronomen in hoc contextu videtur aliquid plus edicere quam 31,2 : quam vere ibi fluit Iordanis, tam vere non transibis. Cf. Ios. 1,2. 11; 4,22; Gen. 32,10 (11).

· Sicut v. 23 verbum ואתחנן instantiam petitionis, ita v. 26 verbum ויתעבר, *extra se factus est*, instantiam exprimit recusationis. Quod verbum durius etiam est quam התאנף 1,37; 4,21, exprimitque veluti iram *ultra* consuetos limites progressam. Cf. nomen עברה Os. 5,10; Is. 9,18(19) etc. (*Dr.*). Fortasse illud verbum continet allusionem quamdam ad v. 25 אעברה, *transibo* (*Dillm.* post *Schröd.*). — Ad v. 27 cf. dicenda ad 34,1-4. Quomodo iubetur Moyses aspicere etiam *orientem* seu transiordanicam, cum de sola cisiordanica contuenda agatur? Sensus est : circumquaque circumspice. Aspectus conceditur illimitatus, ingressus prohibetur.

v. 28 « *Praecipe Iosue et corrobora eum atque conforta, quia ipse* », non tu, « *praecedet populum istum et dividet eis terram, quam visurus es* ». Dividere terram ad eum spectat, qui princeps est, non solum belli dux. v. 29 « *Mansimusque in valle contra fanum Phogor* », *Beth Peor*. Hic locus evidenter unus est cum eo 4,46, ubi Moyses alteram orationem habuit et restitutionem foederis celebravit, quique erat « trans Iordanem, in valle contra Beth Peor ». In eadem « valle in terra Moab, contra Beth Peor », sed in eius parte altiore et secretiore, 34,6 sepeliebatur Moyses. Sed comparanda

nobis est loci descriptio h. l. cum stationibus itinerarii Hebraeorum. Cuius paenultima statio Num. 21,20 fuit « vallis, quae est in campo Moab, caput Phasga », i. e. descendens ad eius montis radices et inde ad Iordanem, « et despicit super Iesimon », i. e. desertum Mare Mortuum versus. *Vallis* haec utique eadem est atque vallis Deut. 3,29. Eadem vero statio Num. 33,47 brevius describitur fuisse « in montibus Abarim, contra Nabo ». Abarim est generale illorum montium nomen, et Phasga est unum e cacuminibus montis Nabo (CN p. 247). Ultima statio Num. 22,1 fuit « in campestribus Moab, ubi trans Iordanem Iericho sita est », ubi in regione patente castra latius discurrebant « de Beth Iesimoth usque ad Abel Satim » (Num. 33,49) seu Setim (25,1). Sed nota, licet ultima haec statio non affirmetur fuisse in illa *valle,* tamen sine dubio in illa fuisse. Fluebat per illam vallem aut rivus aliquis perennis aut aquae tempore pluviarum, Iordanem versus. Hebraei igitur e locis superioribus ad Iordanem descendere per illam vallem, eique adhaesere ad flumen usque. Quod confirmatur eo, quod orationes habitae esse scribantur in *valle,* et certe habitae sunt non in paenultima, sed in ultima statione : etenim Deut. 3 aliqua iam facta supponit, quae nonnisi in ultima statione facta esse compertum habemus, v. g. divisionem regionis transiordanicae.

Extrema haec pericope prioris partis orationis etiam ipsa conformatur oratoris consilio. v. 21 priores victorias Iahve attribuit, v. 24 eius speciatim potentiae. Simul extollitur excellentia cisiordanicae, cuius summo desiderio Moyses teneretur, cuius tamen ingressu interdictus est propter populum, solo sibi e monte aspectu concesso, quo populus perversitatem diffidentiae in Iahven admissae edoceretur. Ipse populus Iosue duce cisiordanicam brevi ingredietur. Igitur tota prior orationis pars id in animis auditorum efficit, ut sciant se continua Iahve protectione deductos esse a Sinai usque ad Iordanem, inde deducendos in stabilem trans flumen possessionem, sciantque unam sibi timendam esse in Iahven inobedientiam, diffidentiam, imprimis idololatriam. His stratam habes viam ad secundam orationis partem.

II. PARAENESEOS PARS HORTATORIA DEUT. 4,1-40.

Cum religionis mosaicae fundamentum imprimis sit historicum constans speciali Iahve in Israelem providentia tot portentis et revelationibus illustrata, iecit Moyses cap. 1-3 paraeneseos fundamentum historicum, cui 4,1-40 superstruit ipsam exhortationem seu paraenesin.

Vox *hodie* v. 4. 8. 26. 39. 40 et, adscripto pronomine demonstrativo, v. 20. 38, designat diem habitae huius orationis, diversum a die habitae 2ae et 3ae orationis et, uti patet, diversum a die renovati primum a Iosue, postmodum a Samuele, foederis.

1. *Custodia mandatorum universim commendatur Deut.* 4,1-8.

Arg. — Est illud pentalogi mandatum quartum. Audienda mandata, ut audita observentur, observata vitam largiantur et prosperitatem (v. 1); cuius rei argumentum experti sunt ipsi auditores in re Beelphegor (v. 3 sq.). Vera autem observatio id habet, ut nihil mandatis addatur, subtrahatur nihil (v. 2). Mandata haec a Iahve profecta observanda erunt potissimum in terra promissa, ubi eorum observatione constabit Israelis sapientia, et sapientiae apud gentes circum incolentes existimatio tanto maior, quanto intimior Iahvae cum populo suo affinitas excellentiorque lex. Itaque vivet Israel prospere, secure, gens magna (v. 5-8).

1,6-3,29 fuere veluti « praeambulum » (*Bonfr.*); transit iam Moyses ad commendanda praecepta, quorum servandorum illud praeambulum validissima suppeditabat argumenta, et primum quidem praecepta universim. *Cap. IV* v. 1 « *Et nunc* » igitur, « *Israel, audi praecepta et iudicia, quae ego doceo te* ». Reliqui *vos;* item שְׁמַע melius (cf. *Syr.*) punctabis pluralem : *audite*. *Quae ego docens :* supple, non *sum* (*Dr.*), nam perpauca praecepta 4,1-40 Moyses recitat, sed *fui, sum et ero*, quae omnia exprimit participium : habetur *generalis* exhortatio ad mandatorum observationem, dum v. 9 orditur *specialis* contra simulacra monitio. Illa igitur mandata *audiant,* audita *observent,* observantes *fruantur bonis :* « *ut faciens ea vivas et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis* ». Reliqui *vivatis, ingrediamini, possideatis.* Vocans *Iahven Deum patrum*, et eundem affirmat esse atque patriarcharum numen, et omnium pristinorum bonorum largitorem. v. 3 sq. demonstrat, *vitam* h. l. intelligi oportere stricte de producenda vita exclusa morte; latius fortasse eadem vox intelligebatur Lev. 18,5 de vitae prosperitate, sed prosperitas h. l. exprimitur vocibus *possideas terram*.

De vocibus חֹק et מִשְׁפָּט v. p. 66. Censet *Dr.* vocari *iudicia* potissimum leges civiles et criminales, *statuta* leges universim, etiam ceremoniales. In orationibus Deut. hae voces utique sunt synonymae inter se, et cum aliis quibusdam.

v. 2 « *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis*

ex eo ». Notat *Dillm.* non eum tantum esse sensum, ne numerus mandatorum mutetur, sed ne mandata numero eadem interpretationibus, additionibus, omissionibus humano arbitrio conformentur; suggeritque idem, eo ad eiusmodi monitum edendum inductum esse oratorem, quod eiusmodi humani arbitrii tentamina vel ipse expertus sit. Sane expertus erat talia Moyses, quatenus (CEL p. 24 sq.) leges aevo patriarcharum pie conditas in pluribus deformatas acceperat traditas. « *Custodite mandata Domini Dei vestri, quae ego praecipio vobis* ». Ita etiam *LXX*. Sed reliqui : *ut custodiatis etc.*; non *vere* observantur mandata, quando pro arbitrio quaedam adduntur vel detrahuntur; monetque Moyses mandata non esse sua tandem sed Iahvae, quod in ipsis edendis mandatis expresserat praefixa formula « Locutus est Iahve », vel ad calcem adiecta altera formula « Ego Iahve ». Contra *vestri, vobis* (*LXX Vulg. Syr.*) habent *tui, tibi Hebr. Sam. Chald.*

Porro illud de *vita* v. 1 confirmat Moyses ex ipsa auditorum experientia, appellato exemplo omnium recentissimo (*Kn.*), quod vividissime oportebat eorum memoriae inhaerere, tantoque vividius, si, quod e 3,29 intulerit quis, haec oratio habita sit in ipsa valle obiecta fano Phogor seu Phegor (v. s. p. 180). v. 3 « *Oculi vestri viderunt omnia, quae fecit Dominus contra Beelphegor* » (Num. 25,9), « *quomodo contriverit omnes cultores eius de medio vestri* ». Duo ultima suffixa apud *Hebr. Sam. Chald.* sunt 2ae pers. sing. : agebant liberrime scribae in suffixis describendis. *Hebr. : virum omnem, qui ivit post Beelphegor;* est oppositio inter peccatorem *quemque*, et *universos* non peccatores. v. 4 « *Vos autem, qui adhaeretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in praesentem diem* ». Ergo *vita* v. 1 proxime exprimit solam vitam continuandam exclusa morte, qua vita fruuntur auditores, qui terram promissam nondum sunt ingressi neque in ea prospere agunt.

Sed v. 1 mandata servaturis promiserat non vitam tantum, sed etiam *prosperitatem* (« ingrediens possideas terram »). De qua agit v. 5-8. Sc. illa mandata a Iahve data sunt potissimum observanda in terra promissa; quorum ib. observatione Hebraeorum constabit sapientia et sapientiae apud exteros fama, e qua efflorebit vita ab inimicis secura et sub Iahve lege beata, ideoque prospera. v. 5 « *Scitis* », — *Hebr.* sing. ראה, de quo vide ad 1,8 — « *quod docuerim vos praecepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus* ». Pro participio *docens* v. 1 legitur iam praeteritum *docuerim*, significatione haud mutata : sc. mandata in monte Sinai accepta iis, qui inde effluxerant annis, variis occasionibus docuerat, explicaverat Moyses. Cf.

v. 14 et verborum tempora 5,22 (19); 6,17 (*Dr.*). Adverte, *omnia* mandata ante data includi 4° pentalogi mandato, quod est de observatione mandatorum, neque ullum pentalogo *novum* imponi mandatum, quod non etiam antea impositum sit : recte igitur Moyses in pentalogi paraenesi omnino omnia inculcat mandata. Sequentia : « *si facietis ea in terra, quam possessuri estis* », sec. *Hebr.* vertenda : *ut faciatis ita in terra, etc.*, ergo non sunt ad v. 6 trahenda sed ad priora : mandata illa non sunt data pro deserto tantum, sed potissimum pro terra promissa. Ergo nomine *praecepta et iustitiae* seu *iudicia* (v. 1) non veniunt ordinationes aliquae ad tempus solummodo a Moyse sancitae, sed leges perpetuo latae.

v. 6 « *Et observabitis et implebitis* [*opere*] ». Futura accipe pro optativis. « *Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna* ». « Summa enim sapientia et scientia est observatio mandatorum Domini » (*Proc.*). Quam agnoscent vel gentes, apud quas « observatione legis nomen habebitis, quod in rebus agendis sitis sapientes et intelligentes » (*Bonfr.*). Et appellat *Proc.* textum Matth. 5,16 : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona etc. ». Secundum aestimationem igitur illius aevi gentilium is erat populus sapiens, qui legibus suis esset obsequens : is numen habiturus erat propitium, numinis benedictione futurus erat prosper, prudens, generosus, *gens magna,* quam gentes aliae non facile erant adorturae, quin potius eius foedera requisiturae. Adverte, quam alte gentes illae omnes antiquae supponantur de *legibus* sensisse, aestimatione derivata sane e patriarcharum doctrina. Neglectis vero legibus suis, imprimis per apostasiam et idololatriam cadesianam, exhibuit se Israel « populum stultum et insipientem », iudicio Moysis, imo opinione etiam aliorum populorum. Adverte item, quanti beneficii loco illud debuerint Hebraei Moysis aequales habere, quod Iahve ipsis, qui populus antea non fuissent, dedisset *legem* (cf. ad 33,4).

Porro, ubi v. 7 sq. *grandis, inclita,* ibi *Hebr.* eandem vocem repetit *magna :* eadem v. 6-8 idea tribus versibus amplificatur. Explicat autem orator, maiorem etiam fore Israelis in Iahve praeceptis observandis excellentiam, quod Iahve tam amice populo suo cohabitet, et quod populus legibus ab ipso Iahve latis regatur. Unde profecto certior Israelem manet vita, illustrior prosperitas. v. 7 « *Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut* » *Iahve* — vox h. l. nequaquam omittenda — « *Deus noster* [*adest*] *cunctis obsecrationibus nostris* ». Adest *cunctis* etiam ideo, quia *sem-*

per adest, constanter habitans in sanctuario. Deus spiritus purus infinitus secundum substantiam omnibus et ubique praesens adest. Sed manifestat suam praesentiam magis iis in locis, quibus prae aliis consuevit exaudire hominum supplicationes. Quibus locis censetur propius adesse, habitare : cf. Ex. 29,43 sqq.; Num. 7,89 etc. Monet porro *Bonfr.*, nexum inter v. 7 et 8 non esse causalem (*enim*); habentur duo argumenta coordinata. *LXX* vertunt *deum appropinquantem sibi*, קרבים faciunt pluralem maiestatis. Poterit etiam (*Dr.*) expressio sumi indeterminate : sive illae gentes unum Deum colant sive plures, non habent numen appropinquans sibi, quale habet Israel. v. 8 « *Quae est* [*enim*] *alia gens sic inclita, ut habeat ceremonias iustaque iudicia et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros* »? *Hebr.* : *ut habeat statuta et iudicia iusta, sicut tota thora haec, quam ego propono vobis hodie.* Potest *proponi* thora aliqua vel universali commendatione vel particulari explicatione : neque haec neque sequens oratio habet particularem mandatorum explicationem, vel ipsum monolatriae mandatum non explicatur, sed inculcatur, decalogus cap. 5 non explicatur, sed recitatur. Ergo *thora,* quae v. 8 non designat unum speciale aliquod documentum (thoram), sed synonyme scribitur ad *statuta et iudicia* (cf. v. 1. 5), non est nova aliqua lex vel legum codex, sed sunt ipsae leges priores a Iahve per Moysen populo promulgatae, lex non mere mosaica sed divina, complectitur leges omnes tam civiles quam religiosas nomine Iahve promulgatas, quibus tum Hebraeorum vita regebatur, sive eae in unicum volumen iam essent collectae, sive non. Item opponitur thora gentilium legibus, non uni vel alteri, sed simul spectatis, atque prae illis affirmatur esse *iusta*. Quidquid superstitiosum est, crudele, luxuriosum, id iustum non est.

v. 7 אלהים, sequente verbo formae pluralis, non potest accipi ut pluralis maiestatis, quem utique contextus excludit. Quandoque, ubi habetur colloquium cum homine ethnico, vox designat spiritus indeterminate : Gen. 20,13; Ex. 32,1; 1 Reg. 4,8; 3 Reg. 19,2. Alias designat *deos* : Deut. 6, 14 etc. Quae versio h. l. (*Vulg.*) est praeferenda, eodemque recidit *LXX* θεός sine articulo. *Dr.*

2. *Commendatur cultus Iahve amorphus et prohibetur idololatria Deut.* 4,9-24.

Arg. — Bene memoria retineant Hebraei filiisque inculcent, in die magnae theophaniae, quando de medio caliginis et ignis vocem Iahve audierint et decalogum acceperint, se nullam tamen Iahvae similitudinem contuitos esse. Quare, cum ipsi sint populus Iahve electus, ne

imitentur superstitiones gentium, quae simulacra colant. Idque imprimis observent tum, quando Moyses ex eorum medio erit sublatus.

v. 9 « *Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite* ». Quae adhortatio repetitur initio v. 15. השמר לך, *custodi te ipsum,* expressio frequens : v. s. p. **130** n. **77** a; cf. etiam Ex. **19,12**; Gen. **24,6**; **31,24.29**. שמר נפשך, *custodi animam tuam*, i. e. vitam, quae v. **1** est primum bonorum observatione pentalogi in tuto ponendorum. Prov. **13,3;16, 17**; **19,16** ille, qui vitam suam custodit, opponitur ei, qui abit in perniciem vel etiam mortem (cf. supra v. **3**). Pro *igitur Hebr.* רק, *tantummodo* : si vis gens magna permanere, prosperam et securam vitam agere, unum prae ceteris omnibus ne neglexeris : noli oblivisci, quae vidisti in die magnae theophaniae Ex. **19**. Illud unum autem, quod in theophania illa viderunt, vel potius non viderunt, hoc est (v. **12. 15**) : non viderunt ullam Iahve imaginem. Ita ex illo facto sequitur, et Iahven esse colendum, et colendum esse cultu amorpho, et repudiandam esse omnem idololatriam. « *Ne obliviscaris verborum* », — i. e. rerum, seu *eorum quae* — « *quae viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitae tuae* », *et* « *docebis ea filios ac nepotes tuos* ». Non solum monentur, ut ipsi sibi caveant ab oblivione, sed eadem posteris etiam inculcent.

v. **10** « [*A*] *die, in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb* », — *dies* non est appositio ad *verba* v. **9** (*Dillm.*), cum verba seu res visae explicentur v. **15**; sed scribitur absolute, idemque sonat atque *in die*. Agitur de die magnae theophaniae CEL p. **187** sqq. *Stare coram aliquo* imprimis praedicatur de servo reverenter adstante coram domino, cf. **1,38** etc. — « *quando Dominus locutus est* », seu *erat,* « *mihi dicens : Congrega ad me populum, ut audiant* » — sed *Hebr. : ut faciam eos audire* — « *sermones meos et discant timere me omni tempore, quo vivunt in terra, doceantque filios suos* ». v. **11** « *Et accessistis* » *et stetistis* « *ad radices montis, qui ardebat usque ad coelum* », *Hebr. usque ad cor coeli*; « [*erantque in eo*] *tenebrae et nubes et caligo* ». ערפל, caligo nubium Ioel **2,2**; Ps. **17(18),10**. Non intendit orator totam iterum describere theophaniam, sed circumstantias efferre quibus se Iahve, nulla tamen sensibili forma, populo manifestaverit. Silet igitur, invitatum esse populum, ut propius quam ad « radices montis » accederet, et accedere noluisse (cf. CEL p. **4.192** sqq.). Non definit, si populus se Iahvae obsequentem praebuisset, vidissentne fortasse omnes formam quamdam Iahve (cf. Ex. **24,10**). Non sequitur ex dictis, cultum amorphum de se esse perfectiorem eo, qui numen visibili quadam imagine veneratur : licet enim ille magis respondeat naturae numinis invisibilis, at hic conformior

est naturae cultus publici, qui necessario externus est et sensibilis. v. 12 « *Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis et formam [penitus] non vidistis* », *sed tantum vocem*. Clarius haec referuntur Deut. 5, clarius item, licet textus habeatur truncatus, Ex. 19 sq. v. 13 « *Et ostendit vobis pactum suum, quod praecepit ut faceretis, [et] decem verba, quae scripsit in duabus tabulis lapideis* ». Non erant haec totum *pactum* omniaque, quae facienda praecepisset Deus, sed erant divinum pacti *testimonium*, et utique continebant obligationes gravissimas. De numero *decem* cf. CEL p. 197 sq. v. 14 « *Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos ceremonias et iudicia, quae facere deberetis in terra, quam possessuri estis* »; non in ea solum, sed in ea potissimum (cf. ad v. 5) : lex quippe dabatur potissimum pro perfecta Hebraeorum republica, quae exigebat terrae promissae possessionem et divisionem. Illa porro *statuta et iudicia* non sunt sola decem verba, sed eadem quae v. 1. 5.8, leges omnes latae nomine Iahve. Moyses vero *docendi* officio non eo solum functus est, quod illas leges semel promulgavit, sed per illos 40 annos easdem iterum atque iterum inculcavit.

פסל ex etymo (10,1.3; Ex. 34,1.4; 3 Reg. 5,18[32]; Hab. 2,18) id, quod ***sculpitur***, et quidem e lapide vel ligno (cf. etiam Is. 40,20;44,15.17;45,20); sed etiam imago e metallo *fusa* (Is. 40,19;44,10; Ier. 10.14; 51,17); ergo generatim ***simulacrum***. — סמל ***idolum*** Ez. 8,3.5; 2 Par. 33,7. Eandem vocem significatione ***statua***, ἀνδριάς habebant Phœnices et Cyprii (Corpus Inscr. semit. I p. 40.61.102.108.110).

v. 15 « *Custodite igitur sollicite animas vestras* ». Indicata v. 12 obiter Dei apparitione amorpha eiusque descriptis circumstantiis, v. 15 primum repetita adhortatione v. 9 » Custodi etc. », illam apparitionem amorpham profundius rimandam aggreditur, e facto derivans practicam conclusionem. Sc. qui *custodit animam suam*, non solum divina facta nuda retinet in memoria, sed etiam practicas conclusiones perspicit, quae in illis inclusae latent. *Etenim* « *non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis* », ad eum finem v. 16, « *ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem [aut] imaginem masculi vel feminae* », v. 17 « *similitudinem omnium iumentorum, quae sunt super terram, vel* » *similitudinem* « *avium sub cœlo volantium* », v. 18 « *atque* » *similitudinem* « *reptilium, quae moventur in terra, sive* » *similitudinem* « *piscium, qui sub terra moventur in aquis* ». Cum v. 17 sq. תבנית designet repraesentationes seu similitudines animalium, ergo eadem vox v. 16 designat repraesentationes *hominis*, sive maris sive feminae. Quae praecedunt expressiones simulacra *generatim* describunt : *si-*

mulacrum, i. e. *similitudinem omnis statuae*, quidquid statuae simile est. v. 19 *Et* « *ne forte* » — sc. v. 19 coordinatur sententiae finali v. 16-18 : illa agebat de simulacris, haec de astris — « *elevatis oculis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli* », *Hebr. : solem et lunam et stellas, omnem exercitum coeli,* « *et errore deceptus adores ea et colas, quae creavit Dominus Deus tuus* [*in ministerium*] *cunctis gentibus, quae sub coelo sunt* ». Sensum pie extenuavere *Vulg. creavit in ministerium, Symm. adornavit, Chald. praeparavit.* Sed *Hebr.* חלק *attribuit, LXX* ἀπένειμε, *Syr.* ܦܠܓ, quem sensum omnino confirmat 29,26(25) : « servierunt diis alienis, qui non fuerant attributi eis ». Ergo Deus gentibus *attribuit* astra pro cultu, non ut astra pro numine supremo haberent, sed : « Haec enim via data est gentibus, ut per astrorum cultum Deum suspicerent » (*Clem. Alex.* Strom. VI; *M.* 9,333; cf. *Iustin.* c. Tryphon. n. 55; *M.* 6,596). Astra Deus hominibus attribuit ut *symbola* sui, magis enim quam creaturae inferiores Dei perfectiones manifestant. Sc. symbola et imagines materiales numinis per se non sunt malae, mentem ad Deum elevant, religionem iuvant : apud alias igitur gentes, dummodo abesset superstitio, licitae erant, Hebraeis autem vetitae. — Plane aliter, atque cum gentibus, egit Iahve cum Israele (*Cai.*) v. 20 : « *Vos autem tulit Dominus et eduxit de fornace ferrea Aegypti* » (cf. 3 Reg. 8,51; Ier. 11,4), « *ut haberet populum haereditarium, sicut est in praesenti die* ». Comparatur servitus aegyptica *fornaci,* quia dura exstitit et intolerabilis, *ferreae,* quia viribus mere humanis excuti haud potuit. Cf. *Tost.* Dicitur *populus possessionis* Israel, quia hic populus *possessio* est Iahve, sicut terra promissa possessio erit populi ipsius. Hinc 9,29 « populus tuus et haereditas tua ». Cf. 32,9; Is. 19,25; Ps. 77(78),62.71;78(79), 1;93(94),5 etc. Haec porro *hac die* iam sunt impleta, quatenus Israel eductus est de Aegypto, versatur in limine terrae promissae, designatos habet eius terrae divisores. Eiusmodi populum decet sane aliter agere atque reliquas gentes, et pacto Iahve (v. 13.23) stare.

Si Moyses superstes mansisset, custodisset quadamtenus ipse animas suorum : cum e vivis mox cessurus sit, repetit rursum adhortationem v. 9, ut ipsi animas suas custodiant, addita uti v. 15 speciali applicatione ad cultum amorphum. v. 21 « *Iratusque est Dominus contra me* » (1,37; cf. ad 3,26) « *propter sermones vestros* », — quae expressio evidenter eundem sensum habet (*Dillm.*) atque 1,37 בגללכם et 3,26 למענכם, ergo *propter vos* (cf. ib.) — « *et iuravit, ut non transirem Iordanem nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis* ». v. 22 « *Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem : vos transibitis et possidebitis terram egregiam* ». v. 23 « *Cave, ne quan-*

do obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quae fieri Dominus prohibuit ». v. 23 omnes (praeter Vulg.) suffixa et verba scribunt 2. pers. plur., praeterquam in fine *Dominus Deus tuus*. Ubi sine dubio primitus legebatur *vester*. Obtinebat sc. etiam hic, quod monet Lagarde, terminationes ה, ם,״ת indicari consuevisse lineola praecedenti consonanti superducta, quam scribae facile ignoraverint. v. 24 « *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus aemulator* ». Cf. 5,9; 6,15; Ex. 20,5; 34,14; cf. item Ios. 24,19 et Nah. 1,2. Pactum Iahve cum Israele concipitur ut coniugium, superstitio ut adulterium, quod Iahven ad zelotypiam provocet contra Israelem. Provocatus autem agit uti ignis consumens, non contra inimicos tantum 9,3, sed contra populum suum ipsum. Est ea sane ratio, ut sibi summopere caveant.

3. *Commendatur fiducia in Iahvae misericordiam* *Deut.* 4,25-31.

Arg. — Si quando auditorum posteri in idololatriam, atque hinc in idololatriae poenas inciderint, ita ut etiam exsules inter gentes dispergantur, meminerint semper sibi relinqui spem, ac Iahven poenitentes reducturum esse ob suam misericordiam pactique cum patriarchis initi memoriam.

Tertium mandatum, quod proscribit tentationem Dei, in pentalogo 6,16 brevissime enuntiatur. Illud sc., quod in eius mandati observatione Moysi summopere cordi erat, non poterat in ipsis « verbis foederis » (29,1) seu inter ipsas foederis conditiones explicari. Non potest in ipso foederis cuiusdam instrumento promitti venia neglecturis foedus, dummodo facti eos poenituerit, sed eiusmodi instrumentum statuendis praemiis et poenis contineatur necesse est. Erat tamen ea res Iahvae et Moysi summopere cordi; erat illa in Iahvae misericordiam infinita fides ea salutaris doctrina, quam e ruina cadesiana hauserat Moyses, et alte cupiebat suorum Hebraeorum animis inserere, quam Iahve per Moysen cantico explanari et, simul cum thora, ad latus arcae reponi curavit. In ipsum pentalogum ea admissa est ea sola, qua poterat, forma, ut proscriberetur opposita illi tentatio Dei; sed in pentalogi paraenesi potuit eam distinctius exponere Moyses, et exposuit.

v. 25 « *Si* », i. e. *quando*, « *genueritis filios ac nepotes et morati fueritis in terra* », — LXX χρονίσητε, *Aq. Symm. Theod.* παλαιωθῆτε : ישן est *obdormiscere, torpere, flaccescere* (in plantis). Subiectum vero non sunt Moysis aequales, quatenus posteris suis opponuntur

(*Cai.*), sed parentes cum filiis, tota aliquando gens. Supponit autem Moyses (cf. Iud. 2,10), talem teporem non illico post suam mortem esse invaliturum — « *deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem* », — *simulacrum, similitudinem omnis* : expressio contracta ex illa v. 23, quae ipsa resumebat enumerationem v. 16-18 — « *patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis* » : — notat *Dr.* כעס non tam *iracundiam* edicere quam *vexationem,* quando quis immerita patiatur, uti Iahve, qui ab Israele postponatur simulacris — v. 26 « *testes invoco* » *contra vos,* qui testentur vos de futuris calamitatibus fuisse praemonitos, « *hodie coelum et terram* » (cf. 30,19; 31,28), intellectos eodem sensu atque 32,1. 43, ut angelos et gentes includant, « *cito perituros vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis : non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus* ». *Hebr. : quia certissime delebimini* ac, quis eos deleturus sit, sc. *Dominus,* illico exprimit v. 27 : « *atque* » *Dominus* « *disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus* », i. e. *compulsurus,* « *est Dominus* ». v. 28 « *Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur* ». Simulacra manibus hominum e vili materia conficiuntur; licet sensuum organa efficta habeant, tamen operationis sensuum sunt prorsus incapacia : ergo Hebraeis sunt plane inania. Quibus Hebraei tamquam natio *servient* eatenus certe, quatenus eorum cultoribus subiicientur.

v. 29 « *Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum* », — vel ille imae abiectionis locus non est misericordiae Iahve inaccessus — « *invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae* ». Verte : *et tota anima tua in tribulatione tua.* בצר לך (cf. Ps. 17 [18], 7; 65 [66], 14; 105 [106], 41; 101 [102], 3) a *Masor.* punctatur ut nomen, non ut infinitivus, ergo melius cum *LXX Vulg.* ad v. 29 trahitur. Eandem promissionem, atque v. 29, repetit v. 30 : « *Postquam te invenerint omnia quae praedicta sunt* » (Lev. 26 et Deut. 28), « *novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, et audies vocem eius* », amice iterum loquetur ad te. Si *in novissimis diebus* cum *LXX* trahas ad priora, praenuntiat Moyses unam aliquam futuram Israelis a Iahve defectionem, puta eam quae exsilio babylonico puniebatur (*Men.*). Tamen in hac pericope non in eo est Moyses, ut particulares quosdam eventus praenuntiet, sed ut totam Dei circa Israelem oeconomiam explicet (cf. ad Deut. 32). Ergo melius cum *Masor. Vulg. Chald.* illa verba trahas ad sequentia. *Novissimi dies* sunt cuiusque eiusmodi defectionis extremum tempus;

praedicitur, Iudaeos semper ad meliorem frugem esse reversuros, nunquam a Iahve penitus reprobandos. v. 31 « *Quia Deus misericors* » (cf. Ex. 34,6) « *Dominus Deus tuus est; non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo iuravit patribus tuis* ». Cf. Lev. 26,41-45. Sed imprimis recole Moysen, quod angustius sentiret de divitiis divinae misericordiae, interdictum fuisse ingressu terrae promissae. Quem errorem iam penitus abdicavit : misericordiam Iahve nunquam exhaustum iri proclamat, illum nunquam repudiaturum *pactum* affirmat.

4. *Conclusio Deut.* 4,32-40.

Arg. — Inaudita plane res est a mundi constitutione, ut gens una vocem Dei audierit de medio ignis, eamque ita Deus prae aliis omnibus elegerit atque portentis tuitus sit, introducturus gloriose in perpetuam possessionem. Ob tam singularem dilectionem colendus ab Israele unus Iahve eiusque mandata observanda. Apprecatur tandem Moyses populo, si haec praestiterit, longaevitatem et prosperitatem.

Voce כִּי novum argumentum praecedenti argumento copulatur. Testimonium pro diebus *novissimis* iam ferunt dies *antiqui*, quibus tot tantaque suae misericordiae documenta dedit Iahve. Argumentum affine est eius, quod Deut. 32, 7 sqq. poetice amplificatur, sed h. l. illud copiosius et efficacius evolvitur. Sumuntur hic *dies* sensu latissimo, a die creationis Adam usque ad diem, uti patet, habitae orationis; et in tanto dierum ambitu interrogantur loca omnino omnia, ab una *extremitate coeli* ad alteram, i. e. ab oriente ad occidentem, ab aquilone ad austrum; sicque habetur solemnis contestatio universi coeli et universae terrae. v. 32 « *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo coelo usque ad summum eius* », — « Exaggerat magnitudinem beneficii, quod nullo tempore, nullo in loco, nulli populo ita se Deus benignum exhibuerit, sicut se isti israelitico populo exhibuerat » (*Bonfr.*). Et illico orator ad beneficium transit omnium maximum, quod Deus hunc populum ad tam arctam necessitudinem assumpserit : « *si facta est aliquando huiuscemodi res, aut unquam cognitum* » — *Hebr. auditum* — « *est* », v. 33 « *ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et vixisti* ». Persuasum habebant Hebraei, non posse quemquam *viso* Deo inter vivos permanere : 5,26 (23); Gen. 16,13; 32,31; Ex. 20,19; 33,20. Sed inauditum item erat, ut integer aliquis populus *audita* Iahve voce superesset vivus. Transit porro orator ad beneficia magna theophania

Ex. 19 priora, ad portenta in Aegypto facta, quae cumulatis nominibus exaggerat v. 34 : « *si fecit Deus, ut ingrederetur et tolleret sibi gentem de medio nationum* » — reliqui : *de medio gentis,* ergo fere de medio stirpis electae Semitarum vel Noachidarum. Pro *fecit, Hebr. tentavit,* erat in hoc veluti audax aliquod experimentum; et eadem vox (הנסה, מסת) mox repetitur — « *per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustam manum extentumque brachium, et horribiles visiones iuxta omnia, quae fecit pro vobis Dominus Deus vester in Aegypto, videntibus oculis tuis* ». Comperta haec habetis non per testes, sed ipsi vidistis v. 35 : *Tu vidisti,* « *ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum* ». Sed illico redit oratio ad maximum omnium (v. 33) beneficium v. 36 : « *De coelo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra ostendit tibi ignem suum maximum, et audisti* [*verba illius*] *de medio ignis* ». Adverte oppositionem inter *coelum* et *terram,* qui ambo poterunt hoc beneficium suo testimonio confirmare. Eadem vox Ex. 19 et de coelo exaudiebatur, et de nubibus tonitrua et fulgura edentibus, quae totum Sinai obvolvebant.

Claudit orationem v. 37-40, ubi v. 37 sq. est prodosis, v. 39 sq. apodosis (*Kn.*). Incipit quippe v. 37 vocibus תחת כי, *pro eo quod* (cf. 21,14; 22,29; 28,47), quarum sensus est, pro facto unius rependi factum alterius. Quare repudianda est constructio *Keil :* quia dilexit, ideo elegit. v. 37 « *Quia dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos, eduxitque te praecedens* » per angelum in columna nubis (*Tost.*) « *in virtute sua magna ex Aegypto* », — post beneficia iam accepta sequntur alia beneficia demortuo Moyse iamiam conferenda — v. 38 « *ut deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo, et introduceret te daretque tibi terram earum in possessionem, sicut* [*cernis*] *in praesenti die* », — v. 37 *patres* intellige inde ab Abraham (*Cai.*), cuius semen eligebatur. In quo semine omnino includuntur etiam *patres* illi, qui in deserto mortui sunt (2,14), secumque valde dure agi reputaverant. Quorum *filios* monet Moyses, Deum illos etiam patres *amasse,* debuisse illos non Iahven neque Moysen, sed se ipsos sui interitus reos facere. *Hebr.* contra omnes *patrem tuum, post eum,* ubi pater erit intelligendus solus Abraham. Quam lectionem esse minus probabilem, confirmat etiam locus parallelus 10,15. — Sequitur iam apodosis, quae potissima duo orationis capita rursum inculcat, monotheismum v. 39 et observationem mandatorum v. 40, addita prosperitatis et longaevitatis promissione. v. 39 « *Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo* », — *corde revolve* — « *quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum et in terra deorsum, et non sit alius* ».

Cultus amorphus h. l. non exprimitur, sed solemnis habetur monotheismi professio : אלהים articulum habet, pronuntiatur ergo Iahve esse ὁ Θεός, unicus Deus, qui unus *in cœlo* regnet totique *terrae* imperet. v. 40 *Et « custodi praecepta eius atque mandata, quae ego praecipio tibi » hodie, « ut bene sit tibi et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi » cunctis diebus.* Apprecatur auditoribus Moyses prosperitatem vitaeque longaevitatem (*LXX* μακροήμεροι).

Fragmentum de urbibus refugii transiordanicis Deut. 4,41-43.

Arg. — Narratur Moyses trans Iordanem designasse civitates refugii tres.

Cum de eadem re fusius agatur Num. 35 rursumque Deut. 19,1-13, et cum h. l. v. 42 fere verbotenus consonet cum 19,3-5, textum h. l. cursim lustramus. v. 41 « *Tunc separavit Moyses tres civitates trans Iordanem ad orientalem plagam* », v. 42 « *ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere* » : v. 43 « *Bosor in solitudine, quae sita est in terra campestri de tribu Ruben* », in planitie (3,10) a Iordane remotiore; « *et Ramoth in Galaad, quae est in tribu Gad; et Golan in Basan, quae est in tribu Manasse* ». A qua derivatur Gaulanitidis nomen, sed situs Golan itemque Bosor incertus. *Ramoth* (*Eus.-Lag.* p. 287) quindecim milliariis aberat Philadelphia, quae est Rabbath Ammon. Plures credunt esse eo loco, ubi nunc Es-Salt. Cf. Ios. 20,8; 21,27.36; 1 Par. 6,78 sqq. (63 sqq.).

Mirum est, hos tres versus legi inter primam et secundam Moysis orationem. Quae orationes libro bipartito insertae (cf. p. 171) leguntur praeter ordinem chronologicum, cum 1,4 tempus demonstret non illud, quod omnes eventus Num. 22-36 consecutum est, sed generatim tempus post cladem Sehon Num. 21. Et tamen vox *tunc* respectum habet ad eventuum ordinem chronologicum.

Sed est alia gravior difficultas. Num. 35,10.14 mandaverat Iahve, ut urbes refugii omnes, etiam transiordanicae, non a Moyse sed a Iosue designarentur : hic eas Moyses designasse scribitur ante traiectum flumen, neque tamen novum h. l. mandatum Iahve appellatur, imo Ios. 20,2 unicum de hac re mandatum Iahve antea editum nosse videtur, sc. illud Num. 35,9-34. Suggerit igitur *Calm.* omnino fieri potuisse, ut Moyses, quando duabus et dimidiae tribubus transiordanicam attribuit, simul designaverit illas trans flumen urbes; censetque *Cai.* iudicasse Moysen non fore illud a divino mandato

alienum, ut iussum Num. 35,14 ipse adhuc superstes exsequeretur. Non alias deprehendebamus Moysen mandata Iahve liberius interpretantem. Est autem sensus obvius narrationis Ios. 20 hic, omnes omnino urbes refugii Iosue designandas fuisse. Quomodo haec componamus inter se?

Coniecerit igitur aliquis v. 41-43 esse perantiquam aliquam sacri textus *glossam*. Collector aliquis documentorum mosaicorum repererit fragmentum hoc incertae originis; qua teneretur omnium, quae Moysen attingerent, summa reverentia, non ausus sit fragmentum repudiare, sed decreverit reliquis documentis accensere. At ubinam inserendum? Non ante Num. 35, ubi prima urbium refugii mentio habetur. Non Num. 35 sq., ne una legerentur textus unus rem iubens faciendam traiecto Iordane, textusque alter rem factam enarrans ante traiectum flumen. Inseruit igitur inter primam et secundam orationem. Fortasse antiquitus aliqui indulgebant prurituі, ut quaelibet in gente electa sancte instituta a Moyse sentirent non solum esse decreta sed, quantum rei natura ferret, ab eodem item esse effectui mandata : eidem igitur attribuerint designatas urbes refugii saltem transiordanicas. Quod praeiudicium glossator noster expresserit. Emendari potest haec coniectura ita, ut v. 41-43 *glossa* quidem sint textui inserta loco non suo, at simul *vera* sint et *inspirata*. Sc., uti leges Num. 34, ita lex Num. 35,9 sqq. est de rebus cis Iordanem ordinandis, necnisi *per transennam* v. 14 attingit tres urbes refugii transiordanicas, tacitis nominibus, licet eas fortasse tum Moyses iam nominibus designatas haberet. Similiter Ios. 20 refert executionem legis Num. 35,9 sqq. a Moyse editae; ubi rursum v. 8 *per transennam* attinguntur urbes refugii transiordanicae. « Decernitur » (v. 7) non id solum, quod novum plane et inauditum praecipitur, sed illud item, quod antea decretum novo decreto inculcatur. Ceterum haec penitius rimabimur in Commentario in librum Iosue.

Censet *Dillm.*, stilum v. 41-43 esse omnino deuteronomicum. אז secus in Deut. non habetur, sed בעת ההוא (p. 128 n. 64). מישור, *planities* legitur in V. P. vicies ter et, praeter hunc textum, item Deut. 3,10; Ios. 13,9. 16.17.21; 20,8, quibus locis omnibus designat planitiem trans Iordanem. Fuerit igitur ea vox primitus moabitismus potius vel amorrhaeismus, quam deuteronomismus. Posteriores scriptores eam vocem adhibuisse de tractibus etiam cis flumen sitis, haud est mirandum. Verum est, legis summarium v. 42 multo affinius esse textus Deut. 19,2.4 quam Num. 35 : sed Deut. 19 non est textus deuteronomicus, sed est collectanei textus; quo confirmatur, v. 41-43 seriore manu esse adscripta. Cf. יבדיל, ubi Num. 35 נתן vel קרה: וחי; מתמול שלשם: בבלי דעת.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA,

PARS I : PENTALOGUS CUM PARAENESI DEUT. 5-11

Inscriptio Thorae Deut. 4,44-49.

Arg. — Affirmatur tradi thora Moysis seu, aliis verbis, testimonia, statuta et iudicia, quae proposuit populo. Quorum propositorum definitur tempus « post exodum » completam, et locus, vallis quaedam trans Iordanem. Ubi compendio repetitur, quomodo Hebraei, devictis Sehon et Og regibus Amorrhaeorum, transiordanicam suam fecerint.

Quaestionem, sintne hi versus inscriptio sequentium an subscriptio praecedentium, fere ignoravere interpretes catholici. Subscriptionem fecere *Masor.* nosterque textus *Sam.*, item editiones *LXX* et *Vulg.* Inscriptionem pronuntiavere *Tost.*, *Sa,* quibus assentimur.

Nomine *thorae* v. 44 non videtur designari sola oratio Deut. 1,6-4, 40, cum eadem 1,5 diserte appelletur *commendatio thorae :* aliud autem videtur esse documentum, quod commendatur, et illud, quo commendatur. Aliud est שם 4,44 et באר 1,5. Illius orationis 1,4 sq. adscribebatur tempus et locus : non erat, cur eadem 4,45 sqq. rursus adscriberentur, si eandem illam orationem hi versus respiciant.

Neque nomine *thorae* v. 44 videtur designari Ex. 1,1 — Deut. 4, 40, ut aliquis aliquando scriba verbis v. 44 expresserit, *suam* thoram ab initio Exodi pertigisse ad v. 40 vel v. 43 usque, et non ultra, ut nomen *thora* primitus solius fuerit narrationis Ex. 1,1 — Deut. 4,40, ac postea tandem extensum sit ad totum pentateuchum designandum. Nullum exstat vestigium, nomen *thora* primitus proprium fuisse narrationis Ex. 1,1 — Deut. 4,40, ita ut ab hoc nomine excluderetur reliquum Deut.; in subscriptionibus Lev. 26,45;27,34; Num. 36, 13 certe desideratur vox *thora*.

Sensus obvius est, v. 44 sqq. esse inscriptionem sequentium, *thoram* incipere Deut. 5, ubi ea praecise tradatur thora, cuius 1,5 inscribebatur commendatio aliqua seu paraenesis, eadem thora, quam 31,9 narretur Moyses scripsisse et sacerdotibus tradidisse asservandam et anno quoque septimo praelegendam. Quae vocis *thora* interpretatio vera tandem esse demonstratur iis, quae in Introductione explicaba-

Inscriptio Thorae Deut. 4,44-49.

Arg. — Affirmatur tradi thora Moysis seu, aliis verbis, testimonia, statuta et iudicia, quae proposuit populo. Quorum propositorum definitur tempus « post exodum » completam, et locus, vallis quaedam trans Iordanem. Ubi compendio repetitur, quomodo Hebraei, devictis Sehon et Og regibus Amorrhaeorum, transiordanicam suam fecerint.

Quaestionem, sintne hi versus inscriptio sequentium an subscriptio praecedentium, fere ignoravere interpretes catholici. Subscriptionem fecere *Masor.* nosterque textus *Sam.*, item editiones *LXX* et *Vulg.* Inscriptionem pronuntiavere *Tost.*, *Sa,* quibus assentimur.

Nomine *thorae* v. 44 non videtur designari sola oratio Deut. 1,6-4, 40, cum eadem 1,5 diserte appelletur *commendatio thorae*: aliud autem videtur esse documentum, quod commendatur, et illud, quo commendatur. Aliud est שם 4,44 et באר 1,5. Illius orationis 1,4 sq. adscribebatur tempus et locus : non erat, cur eadem 4,45 sqq. rursus adscriberentur, si eandem illam orationem hi versus respiciant.

Neque nomine *thorae* v. 44 videtur designari Ex. 1,1 — Deut. 4, 40, ut aliquis aliquando scriba verbis v. 44 expresserit, *suam* thoram ab initio Exodi pertigisse ad v. 40 vel v. 43 usque, et non ultra, ut nomen *thora* primitus solius fuerit narrationis Ex. 1,1 — Deut. 4,40, ac postea tandem extensum sit ad totum pentateuchum designandum. Nullum exstat vestigium, nomen *thora* primitus proprium fuisse narrationis Ex. 1,1 — Deut. 4,40, ita ut ab hoc nomine excluderetur reliquum Deut.; in subscriptionibus Lev. 26,45;27,34; Num. 36, 13 certe desideratur vox *thora*.

Sensus obvius est, v. 44 sqq. esse inscriptionem sequentium, *thoram* incipere Deut. 5, ubi ea praecise tradatur thora, cuius 1,5 inscribebatur commendatio aliqua seu paraenesis, eadem thora, quam 31,9 narretur Moyses scripsisse et sacerdotibus tradidisse asservandam et anno quoque septimo praelegendam. Quae vocis *thora* interpretatio vera tandem esse demonstratur iis, quae in Introductione explicaba-

mus, aevo Iosiae, Samuelis, Iosue, ergo etiam Moysis librum thorae incepisse Deut. 5,1. Cuius thorae pars primitus utique non erat collectaneum Deut. 12,1-26,15.

v. 44 « *Ista est lex* », thora, « *quam proposuit Moyses coram filiis Israel* »; v. 45 « [*et*] *haec testimonia et ceremoniae atque iudicia, quae locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Aegypto* ». Sicut 1,4 sq. prioris orationis, ita h. l. alterius orationis adscribitur tempus et locus. Et primum quidem tempus : *in egressu eorum de Aegypto,* in quo egressu v. 46 dicuntur etiam Hebraei devicisse Sehonem; unde patet, ea expressione designari totam Moysis vitam publicam. « Sententia haec », inquit *Dr.*, » describens tempus aliquod extremis 40 annis peregrinationis, non potuit scribi ab auctore eventuum aequali; debuit scribi a recentiore aliquo, qui illos 40 annos contueretur veluti punctum unum temporis dudum praeteriti ». Ceterum verba possunt etiam et fortasse debent verti *postquam egressi sunt de Aegypto,* quod recidit in idem. Sicut sc. 1,4 tempus describebatur indeterminate « post cladem Sehon », ita h. l. etiam magis indeterminate describitur « post exodum aegyptiacam ». Exodum autem hic scriptor recentior non intelligit solum transitum Maris Rubri, sed totam peregrinationem ab Aegypto ad Iordanem usque ; Moyses dux fuit « egressus » seu « exodi », Iosue dux fuit « ingressus » terrae promissae. Adiungit porro loci descriptionem v. 46 : « *trans Iordanem, in valle contra fanum Phogor, in terra Sehon regis Amorrhaei, qui habitavit in Hesebon* ». Locus exstitit idem atque prioris orationis 1,5; 3,29, ultima statio Hebraeorum. Porro, mentione facta Sehonis, inscriptor Sehonis historiam compendio refert : « *Quem percussit Moyses, filii quoque Israel egressi ex Aegypto* », — i. e. *post egressum* (cf. ad v. 45); insere vero hic copulam — v. 47 *et* « *posséderunt terram eius et terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhaeorum, qui erant trans Iordanem ad solis ortum* », — verba evidenter cis Iordanem scripta — v. 48 « *ab Aroer, quae sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion* », — corrige *Sarion,* et cf. ad 3,9 — « *qui est* [*et*] *Hermon* », v. 49 « *omnem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis et usque ad radices montis Phasga* ». Cf. ad 2,36. Ex his inferas, inscriptionem v. 45-49 praefixam esse orationi cap. 5 sqq., antequam haec et praecedenti orationi et actis mosaicis contexeretur. Non erat, cur acta Sehonis particularius adumbrarentur, si ea paucis interiectis capitibus fuse antea narrabantur; non erat, cur locus et tempus habitae alterius orationis quinque versibus describerentur, si eadem iam brevi antea 1,4 sq. descripta exstarent. Orationes Moysis circum-

ferebantur aliquamdiu seorsim, antequam in unum pentateuchum cogerentur. Ad expressiones cf. etiam 3,8 sq. 12. 17.

I. PRAEAMBULUM HISTORICUM DEUT. 5.

1. *Decalogi auctoritas Deut.* 5,1-21.

Arg. — Moyses propositurus *hodie,* i. e. in solemni foederis restitutione, pentalogum 6,1-7,10 in memoriam revocat prius foedus in monte Horeb sancitum, recitatque eius foederis documentum decalogum, cuius supremam auctoritatem nemo Israelita in dubium vocare potuit, quod essent verba, quae Iahve de medio ignis et nubis prolocutus esset facie ad faciem ad universum Israelem.

Cap. V v. 1 « *Vocavitque Moyses omnem* » (cf. 1,1) « *Israelem et dixit ad eum : Audi Israel ceremonias atque iudicia, quae ego loquor in auribus vestris hodie* ». Cf. v. 3. Qua voce *hodie* 7,11; 8,1. 11. 19; 10,13; 11,2. 8. 13. 26. 27. 28 designatur dies seu verius tempus habitae orationis; hinc etiam 9,1. 3 tempus proxime imminens Iordanis traiiciendi. « *Discite ea et opere complete* ». Hic *audiendi* finis, idemque totus orationis scopus. Porro orationis propositum est promulgare pentalogum, qui cum tota qua promulgatur oratione futurus est « verba foederis » in terra Moab feriendi (29,1), seu documentum restitutionis primi foederis, sicut eadem oratio diu post (v. p. 55 sqq.) fuit item documentum renovati sub Iosia foederis. Verum ei promulgationi viam parat Moyses demonstrans, quaenam futura sit pentalogi sui auctoritas. Sc. indubia apud omnes erat decalogi auctoritas, quem ex ore Iahve *immediate* universus populus exaudierat : atqui aequalem cum decalogo auctoritatem habent mandata a Iahve *per Moysen* ad populum facta, quibus accensetur pentalogus. v. 2 « *Dominus Deus noster pepigit nobiscum foedus in Horeb* ». Pepigit cum generatione, quae mortua est in deserto, et cum omnibus eorum posteris, ergo etiam cum Moysis auditoribus. v. 3 « *Non cum patribus nostris* », Abraham etc. (*Bonfr.*), « *iniit pactum* » *istud* sinaiticum, aliud enim pactum inierat cum Abraham (*Cai.*), « *sed nobiscum, qui in praesentiarum sumus et vivimus* ». *Hebr. : sed nobiscum, nos isti hic hodie, omnes nos viventes.* v. 4 « *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis* », in magna theophania Ex. 19, uti ex sqq. patet. Monebamus CEL p. 328, aliud esse loqui cum aliquo facie ad faciem, aliud eius faciem videre : faciem Iahve populus non vidit (4,12. 15).

Nobis, uti v. 3 *nobiscum* : tandem v. 22 Moyses se ipsum a reliquo populo discernit. Sed reliqui omnes *vobis*, secundum quam probabiliorem lectionem, quam profitentur etiam pauci codices latini (*Verc.*), Moyses iam v. 4 se a populo discernit. Sc., quod illius theophaniae initio mirandum erat, hoc erat, Deum locutum esse facie ad faciem non Moysi solum, quod saepissime fecit. sed ipsi populo.

v. 5 « *Ego sequester et medius fui* » — *Hebr.* simpliciter : *Ego steti* — « *inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius; timuistis enim ignem et non ascendistis in montem; et ait* » : — Extrema vox לאמר immediate iungenda est v. 4, referuntur quippe v. 6 sqq. verba Dei : ergo reliquus v. 5 certe est *parenthesis*, probabilius etiam *glossa* infelicius textui adscripta.

Cat. putat v. 4 sq. describi duos modos, quibus Deus cum populo locutus sit, immediate per se in revelandis decem mandatis, et mediante Moyse. Sed desideratur copula initio v. 5, duo illi modi erant coordinandi, non unus extra et alter intra parenthesin scribendus. Gratuito *Bonfr.* v. 5 limitat ad ea (Ex. 19,3 sqq.), quae theophaniam antecessere. *Tost.* censet, dum v. 4 certissime agit de promulgatis decem mandatis, v. 5 agere de mandatis, quae inde ab Ex. 20,22 promulgata sint mediante Moyse. Verum, si res ita habeat, nonne pro *in tempore illo* scribendum erat *post haec*? Et *timor* ille ex ipsa promulgatione mandatorum natus est (cf. v. 22-27; Ex. 20,18 sq.), compositus est verbis v. 28-31 (cf. Ex. 20,20), et sensu obvio praecessit promulgationem mandatorum Ex. 20,22, etc. Concedendum igitur erit, parenthesin v. 5, quo loco nunc legatur, referri imprimis ad decem mandata promulgata, ideoque contradicere cum Ex. 19,18 sq., tum Deut. 4,12; 5,24; cum h. l. et Ex. 19 (cf. 20,19) evidenter describatur Iahve ea voce locutus esse, qua etiam a procul stantibus intelligeretur. Fortasse v. 5 pridem alio huius capitis loco legebatur, et per errorem delapsus est inter v. 4 et v. 6.

Decalogus v. 6-21 dici potest esse unum idemque documentum atque Ex. 20,2-17, paucis quibusdam mutatis. Copula legitur v. 8. 9. 13. 18. 19. 20. 21 (bis) contra Ex. 20,4. 5. 9. 14. 15. 16. 17. Ad v. 10 (Ex. 20,6) cf. keri. v. 12 שמור contra Ex. 20,8 זכור. v. 20 שוא (bis) contra Ex. 20,16 שקר. v. 21 ordo nominum invertitur (CEL p. 204 sq.) additurque שדהו, quod tamen Ex. 20,17 item habent Sam. LXX Symm. Theod. Haec omnino potuere scribarum incuria irrepere. Imo, cum textus mandatorum primigenius tabulis lapideis inscriptus fortasse fuerit concinnior (CEL p. 198), tam eo qui Ex. 20, quam eo qui Deut. 5 legitur, non est absonum in eodem fusius recitando aliqua etiam de consilio mutata deprehendi quod revera factum esse v. 12. 14. 15. 16 infra videbimus.

v. 6 « *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis* ». v. 7 « *Non habebis deos alienos in conspectu meo* », i. e. praeter me. v. 8 « *Non facies tibi sculptile nec similitudinem*

omnium, quae in coelo sunt desuper, et quae in terra deorsum, et quae versantur in aquis sub terra ». v. 9 « *Non adorabis ea et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus aemulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his, qui oderunt me* », v. 10 « *et faciens misericordiam in* [*multa*] *millia diligentibus me et custodientibus praecepta mea* ». v. 11 « *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit* ». Habetur porro notabile discrimen in textu mandati de sabbato observando v. 12 : « *Observa diem sabbati ut sanctifices eum* », et additur « *sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus* ». Hoc mandatum constanter inculcatur, a quibusdam nihilominus videtur esse negligentius observatum (cf. Num. 15,32 sqq.) : haud mirum Moysen h. l. inculcare, non iam agi de mero praecepto humano patrum more inducto, sed de lege ab ipso Iahve edita. v. 13 « *Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua* »; v. 14 « *septimus dies sabbati est* [*i. e. requies*] *Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis, tu et filius tuus et filia, servus et ancilla, et* » —sequitur quod ignorat Ex. 20,10 « *bos et asinus et omne* » — « *iumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas* », et additur h. l. : « *ut requiescat servus tuus et ancilla tua, sicut et tu* ». Memento, quantum de servis fuerit Moyses sollicitus (CEL p. 12) : fortasse Hebraei plures arbitrabantur se non laedere sabbatum, si aut servos aut iumenta ad laborem adigerent. Porro v. 15 additur ratio observandi sabbati plane diversa ab ea Ex. 20,11. Ibi sc. promulgabat per Moysen Deus mandata fere iis verbis, quibus eadem iam patriarchis fuerant sacra, argumento pro sabbati religione desumpto e Gen. 1. Nunc vero Hebraeis suggeritur alterum et quoad ipsos efficacius argumentum, requies servitutis aegyptiacae, quam illis Deus in exodo concesserit; illudque argumentum tanto aptius h. l. adscribebatur, quod illud simul indicet rationem, cur *servis* etiam concedenda requies sabbatina. v. 15 « *Memento, quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento. Idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati* ». v. 16 « *Honora patrem tuum et matrem* », — rursumque uti v. 12 additur « *sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus* » — « *ut longo tempore vivas* » — porro sicut ratio observandi sabbati adscribebatur exodus aegyptiaca, ita nova ratio colendorum parentum adscribitur, ut fruantur filii bonis terrae promissae : « *et bene sit tibi* »; effertur ergo uti 4,1. 40 longaevitas et prosperitas — « *in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi* ». v. 27 « *Non occides* », v. 18 « *neque moechaberis* », v. 19 « *furtumque non facies* », v. 20 « *nec loqueris contra proxi-*

mum tuum falsum testimonium ». v. 21 (18) « *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt* » (v. s.). Additamentum habet *Sam.* de erigendis in monte Garizim lapidibus inscripta habentibus decem mandata : cf. 27,2 sq.

Ergo, quae de consilio aliter hic atque Ex. 20 scribuntur, sola attingunt mandata de sabbato observando et de parentibus colendis. Utrumque mandatum magis diserte ad auctoritatem *Iahve* revocatur, adscripta formula « sicut mandavit tibi Iahve Deus tuus », quae in ipsa post prooemium oratione toties repetitur. Adscribuntur eorumdem mandatorum rationes, quae Hebraeos deserto nuper egressos et in limine terrae promissae constitutos moturae sperarentur efficacius : pro sabbato servando memoria requiei a servitute aegyptiaca Hebraeis per Iahven concessae; pro parentum reverentia promissio prosperitatis in terra promissa concedendae. Neque officit v. 5 vox *et ait,* qua declarat Moyses velle se Iahve verba Ex. 20 vere, non vero necessario etiam ad verbum referre. Neque a Iahve mente aliena sunt illa additamenta. Noster v. 15 praescribit legem sabbati esse servandam ob illud motivum, quod v. 6. (Ex. 20,2) observationi omnium mandatorum praefigit. Illud v. 16 « ut bene sit tibi » continetur in Ex. 20,12 « ut longo tempore vivas », etenim non vita longa et misera, sed longa et prospera ib. promittitur.

2. *Auctoritas reliquorum post decalogum mandatorum Deut.* 5,22-33[1].

Arg. — Postquam decalogum Iahve prolocutus est ad universum populum immediate, non Iahve neque Moyse auctore factum est, ut, quae deinceps edita sunt mandata, non item immediate Iahve ad universum populum proloqueretur; sed ipse populus admissi reatus conscius petiit instanter, ut deinceps per Moysen sibi Iahve sua renuntiaret mandata. Quare haec eiusdem atque decalogus sunt auctoritatis.

Effertur primum v. 22, Iahven prolocutum esse decalogum *ad omnem multitudinem,* quia iam agendum est de iis, quae Iahve immediate locutus est ad solum Moysen. Effertur, eum prolocutum esse decalogum *de monte ardente* (v. 23; cf. v. 22), *de medio ignis* (v. 22. 24.25) et *nubis* (v. 22) et *caliginis*, quae uti 4,11 duabus vocibus ex-

1. Editionum hebraearum quaedam versus numerant uti LXX Vulg., aliae v. 17-20 in unum v. 17 colligentes, pro v. 21 scribunt v. 18, et ita porro. Quarum editionum numeros parenthesibus inclusos adscribimus.

primitur ערפל (v. 22) et חשך (v. 23), *voce magna* (v. 22; cf. v. 23. 24.25.26). Quae fuit ratio, ut populus perterrefactus petierit, ut reliqua mandata iam non immediate sed mediate, i. e. per Moysen, a Iahve edoceretur.

v. 22 (19) « *Haec verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna, nihil addens amplius* ». לא יסף, cf. Num. 11,25. Etiam hic vertit *Chald. non cessavit* (סוף), sed omnino cum *LXX Vulg.* vertendum est *non perrexit* voce magna loqui, ut singuli singula verba intelligerent. *Cai.* : « tacuit his decem verbis dictis ». Silentium illis animum addidit, ut per legatos v. 23 sqq. Moysen alloquerentur, quod facere ausi non essent, quamdiu Deus eos alloqui perrexisset (*Tost.*). « *Et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi* ». Id, elapsis 40 diebus factum (*Cai.*), h. l. suppletur ad absolvendum sermonem de decalogo. Neque mandata post decalogum lata tradidit Iahve tabulis inscripta, sed, quae scripta tum erant, scripta erant a Moyse, cuius scripto aequalis cum scripto Iahve concedenda erat legalis auctoritas. Id mihi consequi videtur ex Moysis in hoc capite argumentandi ratione. Nonne indidem probabile efficitur, Moysen mandata post decalogum edita scriptis mandasse? Debebat ipse nullum non adhibere medium, quo demonstraret aequalem posteriorum mandatorum cum decalogo auctoritatem : atqui maior per se est auctoritas legis scriptae quam ore traditae, cum sit magis authentica et immutabilis. Reddenda porro est ratio, cur Deus *non perrexerit* eadem ratione loqui, sc. Hebraei ipsi, ut per Moysen eos alloqueretur, petierant : v. 23 (20) « *Vos autem, postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere* [*vidistis*], *accessistis ad me, omnes principes tribuum et maiores natu* » (cf. CEL p. 5), « *atque dixistis* » : v. 24 (21) « *Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem et magnitudinem suam; vocem eius audivimus de medio ignis, et probavimus hodie* », — bene *Vulg.* ita reddit *Hebr. vidimus*; fuit experimentum — « *quod loquente Deo cum homine vixerit homo* ». De populari illa opinione, neminem posse immediate agere cum numine, nisi simul exanimetur, cf. ad 4,33. Sed hoc experimentum non censent esse repetendum. v. 25 (22) « *Cur ergo moriemur et devorabit nos ignis hic maximus?* » Ubi gratuito adstruit *Tost.* illos autumasse, illum ignem crescere atque ad se tandem esse perventurum. « *Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur* ». Affirmarunt bis se esse morituros, asserti tandem aliquam generalem rationem proferunt v. 26 (23) : « *Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio*

ignis loquitur, sicut nos [audivimus], et possit vivere? » Nota oppositionem (*Dillm.*) inter *omnem carnem* seu hominem, et inter *Deum viventem*. Caro mortalis, corruptibilis natura sua Deo infinite inferior est, non tamen necessario locutione illa sensibili divina, quam Deus efformat pro lubitu suo, est perimenda. v. 27 (24) « *Tu magis accede et audi cuncta, quae dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea* ».

Quaerendum porro de nexu logico huius sermonis. Fatentur se Iahven loquentem semel audivisse, et nihilominus esse superstites. Enuntiant vehementem timorem ne, si eum iterum audiant, moriantur. Timoris rationem afferunt carnis Deo comparatae infirmitatem. Quorum argumentum his illustrat *Cai.* : « Experti sumus, quod evasimus mortem hac vice : sat sit audisse semel Deum. Ut quid exponamur iterum periculo mortis, si prosequitur Deus sermonem ad nos? » Et *Calm.* : « Cur novo mortis discrimini nos obiiciamur? cur igni nos iterum devorandos committimus? Nonne satis est loquentem audisse Dominum impune? Felices, quod e discrimine liberi evasimus! » Fateor, hoc argumentum non mihi videri eiusmodi, quod merito approbet Deus verbis v. 28 : « Bene omnia locuti sunt ». Nonne audacter accedere oportebat eos, quos Ex. 19,13 accedere iussisset Deus? Nonne, quo certius se incolumes fore confiderent, Deus 19,10 specialem illis indixerat purificationem? Nonne, quod v. 24 feliciter cesserat primum experimentum, debuit illis animos addere, ut ad futura Dei alloquia alacres accederent? Ergo ille eorum sermo pusillanimitatem potius prodit et exiguam fidem, quam haud censuerit Deus laudare.

Ut vere affirmet Deus eos bene omnia locutos esse, requiritur ut aliqua adiunctorum mutatio intercesserit, qua verba illa nunc vera et aequa fierent. Mutatus reapse erat populus : conscius sibi erat admissi inde ab initio theophaniae alicuius peccati, ideo non iam fidit peractae ante purificationi, sentit se esse nihil nisi carnem, alterum divinum alloquium reformidat. Cf. quae de peccato occasione theophaniae commisso dicebamus CEL p. 11. Hoc peccatum, uti et sacerdotum praemosaicorum Ex. 32 ruina, in Exodo e narratione a recentiore quodam est excisum. H. l. v. 24 sqq. a Moyse non clare enuntiatur. Erat sc. ab eius proposito tum maxime alienum, ut antiquas tribuum invidias resuscitaret. Sicut 1,6 narrationem orditur a discessu a monte Sinai, ne tribus Manasse tristia fata attingat, ita h. l. ab iisdem attingendis abstinet.

v. 28 (25) « *Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi huius, quae locuti sunt tibi : bene omnia sunt lo-*

cuti ». Cf. 18,17. Enuntiat porro Deus instans desiderium, ut ab illis *timeatur*, cuius timoris fructus sit *custodia* mandatorum. Qui timor in pentalogo mox explicabitur, ut non sit timor potissimum servilis, qui mala sibi a Iahve infligenda pertimescat, sed timor filialis, qui fere synonymus est *dilectionis*. Quem timorem filialem *finem* esse mandatorum, pronuntiat 6,2; eundem solemniter inculcat 6,13 : « Deum tuum time, eique servi », utique soli, quod ib. habet Vulg. In magno mandato 6,4-13 idem affectus in Deum fovendus primo versu exhibetur ut *dilectio*, extremo versu ut *timor* : amor et timor practice unum sunt; est amor reverentialis et timor filialis. Quae fundamentalis pentalogi idea constanter inculcatur.

v. 29 (26) « *Quis det, talem eos habere mentem, ut timeant me et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum!* » Optativus *Quis det etc.* fere innuit, eos huc usque non semper tam sancta fuisse mente. Nulla est ratio affirmandi, Moysen h. l. totum referre sermonem : oratorem agens ea seligit, quae proposito orationis congruunt. Imo neque necesse est defendere, eum verba Iahve referre verbotenus. Conclusio, quam ex actis ad montem Horeb derivat, haec est, aequalis auctoritatis esse et decalogum a Iahve immediate, et reliqua mandata a Iahve per Moysen promulgata. Inducit ergo Iahven enuntiantem desiderium, ut Hebraei *universa* sua mandata, tam immediate quam per Moysen edita, observent *omni tempore*, ergo aequalem omnibus tribuant auctoritatem. Id certissime desiderabat Iahve. v. 30 (27) « *Vade et dic eis : Revertimini in tentoria vestra* ». v. 31 (28) « *Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea et ceremonias atque iudicia : quae docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem* ». Tandem ex factis recitatis ipse Moyses deducit conclusionem totius praeambuli caput : v. 32 (29) « *Custodite igitur et facite, quae praecepit Dominus Deus* » *vester* « *vobis; non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram* », quod re idem esse videtur cum 4,2 : Non addetis nec auferetis quidquam de mandatis. Pergit porro orator in imagine *viae* v. 33 (30) : « *sed per* » *omnem* « *viam, quam praecepit Dominus Deus vester* », sive immediate sive mediate, « *ambulabitis, ut vivatis et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestrae* ». μακροημερεύσητε, *ut sitis longaevi*, idem fere atque *vivatis*, i. e. a praematura morte servemini. Praemium observationis *omnium* mandatorum : vita longa (v. 33) et beata (v. 29). Iahve v. 31 (« Tu vero hic sta mecum ») proxime loquebatur de mandatis, quae porro in monte Sinai traditurus erat : Moyses v. 33 legitima illatione exigit observationem quorumvis Iahvae manda-

torum, eorum etiam, quae post discessum a monte Sinai lata sunt. Ita efficit transitionem ad pentalogum iamiam promulgandum, et cap. 5 facit verum pentalogi praeambulum.

II. MOYSIS PENTALOGUS, SEU THORA SENSU STRICTIORI DEUT. 6,1-7,11.

1. Dicebamus p. 43 sqq., pentalogum esse « nucleum » Deut[i], atque tradere mandata quinque. Finis secundae orationis Moysis utique non est *omnia mandata recitare,* quae Israeli deinceps observanda essent. Etenim Moyses constanter inculcat leges *hodie* latas : atqui *hodie*, i. e. in solemnitate restituti foederis, certe non recitavit omnia singillatim mandata. Desiderantur pleraque mandata, quae Ex.-Num. lata sunt : dicesne, haec omnia nostra oratione tacite abrogari? Collectaneum serius esse secundae orationi insertum, ostendebamus p. 23 sqq. et pluribus infra confirmabimus. Verum, etiamsi placeat cum recentioribus collectaneum cum secunda oratione confundere, tamen affirmari nequit, cap. 5-26 recitari omnes leges ab Israele observandas. Habet autem pentalogus, praeter exordium 6, 1-4 et clausulam 7,11, mandata quinque :

a. *mandatum dilectionis seu cultus Iahve* 6,5-13, quod Christus pronuntiat esse mandatum primum et summum in thora, quod Iudaei vel nunc sanctissimum habent (*schema'*) totius thorae. Sequuntur mandata duo formae negativae :

b. *prohibitio idololatriae* 6,14 sq. et

c. *prohibitio tentationis Dei* 6,16, quod cur tam breviter h. l. enuntiandum fuerit, explicabamus p. 219. Post quae a gravi infinitivo absoluto, quo aliae saepenumero leges ordiuntur, orditur

d. *generalis inculcatio omnium mandatorum* 6,17-25. Agmen claudit

e. *mandatum exstirpandi gentes chananaeas* 7,1-10.

Habes igitur mandata quinque seu pentalogum; quorum priora quatuor sunt de rebus semper et dudum observandis, quintum est de re nonnisi in cisiordanica et semel praestanda. Licet vero quinque tantum mandata recitentur, at *omnium mandatorum observatio inculcatur*, idque non solum clausula praeambuli 5,32 (29) sq., sed ipso quarto pentalogi mandato. Quam ob rem, quoties in paraenesi 7,12-11,32 mandatorum observatio exigitur, intelliguntur potissimum utique pentalogi mandata, simul tamen, quae quarto pentalogi mandato includuntur, mandata reliqua omnia.

2. Non sunt ea quinque mandata quoad substantiam *nova.* Priora

duo habentur in decalogo. Tentatio Iahve Israeli causa fuerat gravissimorum malorum Ex. 17,2 sqq.; Num. 14,22; Deut. 33,8. Obligatio observandi mandata singulis mandatis implicite affirmatur. Ad 5um mandatum cf. Ex. 23,32; 34,12 sqq. Principio Deut. 5,6 (« Ego sum Iahve Deus tuus etc. »), in quo totus decalogus fundatur, correspondet principium 6,4 (« Iahve Deus noster unus Iahve est »), in quo totus fundatur pentalogus. Commode autem totus pentalogus ad prima duo decalogi mandata revocatur, quae unum et summum exprimunt hominis erga Deum officium, monolatriam atque hinc idololatriae repudiationem. Unde consequitur duplex officium vitae conformandae mandatis Iahve, et plenae in Iahven fiduciae, quae Iahven non tentet pusillanimitate, sed magnifice sentiat de eius misericordia. Occasionem vero pro Hebraeis proximam idololatriae removebat mandatum 5um.

Decalogus proponebat Israelitarum in Deum et proximum officia, pentalogus in solis sistit erga Deum officiis. Quorum omnino supremum est illud, quod primum pentalogi mandatum enuntiat, merito appellatum mandatum primum et maximum. Cui reliqua mandata quatuor subordinantur. Pentalogus seu thora illud officium Hebraeis inculcat, quod est primum et maximum, e quo reliqua pendent, quod neglectum, imprimis Cadesae, illis gravissimae ruinae causa fuit. Monebamus p. 67, vocem *thora* in prioribus libris quandoque designare legem aliquam non substantialem, sed addititiam. Potuit hoc sensu adhiberi vox, quando primum pentalogo imponebatur nomen *thora*. Sicut leges quaedam a Moyse antiquis statutis sacrificiorum additae inscribebantur thorae, ita pentalogus, documentum restituti foederis atque documento foederis sinaitici superadditus, appellatus sit etiam ipse *thora*. Fuerit nomen hoc primitus humilius, rem addititiam designans, quod apud posteriores Iudaeos mirum quantum inclaruerit.

Quaeres, cur tandem pentalogus addendus fuerit decalogo, si ille nova mandata imponeret nulla. Recole, quae dicebamus p. 88 sqq. Foedus moabiticum non fuit foederis sinaitici mera renovatio, sed eius foederis eversi *restitutio;* fuit quodammodo *novum* foedus Iahve cum Israele « praeter illud, quod pepigerat in Horeb » (29,1 [28,69]). Conveniebat, ut hoc novum quadamtenus foedus suum haberet instrumentum ab instrumento prioris foederis quadamtenus diversum. Hinc in locum decalogi subintrat pentalogus, forma diversus, re idem, cum quarto suo mandato reliqua etiam priora mandata universa renovet. Praeterea defecerant Cadesae Hebraei a cultu Iahve, et in idololatriam fuerant prolapsi (Am. 5,25 sq.; CN

p. 168 sq.) : aequum erat, ut restituendi foederis adhiberetur instrumentum, quod non omnia omnino officia distincte efferret, sed officia potissimum erga Iahve et idololatriae proscriptionem. Tandem recole, solo pentalogo non constare foederis moabitici documentum, sed eius alteram eamque gravissimam partem esse benedictiones et maledictiones cap. 28, quae eaedem fere habebantur etiam Lev. 26, sed nunc effectae sunt pars verborum foederis.

3. Verum dum mandatum de dilectione Iahve re idem est cum primo decalogi mandato, magnum habet idearum progressum in *forma*. Ex. 20,2; Deut. 5,6 monolatriae obligationem repetebat ex idea Dei benefactoris, Deut. 6,4 repetit ex idea Dei unici. Ex. 20,3-5; Deut. 5,7-10 indirecte potius eam obligationem exprimit (« non habebis deos alios praeter me »), Deut. 6,5 directe (« diliges etc. »), dum prohibitio aliorum deorum colendorum ad sequens mandatum v. 14 remittitur. Ex. 20,3 cum v. 5 collatum (Deut. 5,7. 9) est mandatum *adorandi*, adorare autem dicit corpus prostratum, quod est interni affectus externum signum; Deut. 6,5 est mandatum *diligendi*, iniungit illum internum affectum, e quo omnis externus cultus profluat necesse est. Quare ex eo affectu v. 13 deducitur *timor, servitium* i. e. imprimis cultus, *nominis* reverentia. Stilus pentalogi est minus concinnus, quam stilus decalogi. Ita magni mandati memoria 6,6-9 inculcatur pulchris metaphoris; obligatio servandi omnia mandata 6, 20-25 repetitur per modum eruditionis, quam pater filiis impertiatur; mandati de exstirpandis Chananaeis ratio 7,6-10 explicatur, ut Israel sit populus sanctus Iahve, a Iahve specialiter dilectus. Orditur pentalogus a dilectione Israelitae erga Iahven, desinit in Iahvae dilectionem erga Israelitas.

Licet orator iterum iterumque affirmat, haec sua mandata esse mandata Iahve, tamen ea profert nomine non Iahve sed suo. Non praefigit formulam : « Locutus est Iahve ad Moysen dicens ». Loquitur de se ipso prima persona (6,6; 7,11), de Iahve tertia. Ipse mandata haec, quae vere sunt mandata Iahve, non semel prioribus libris quoad substantiam a Iahve pronuntiata, verbis profert suis, ex intimo corde profert sensa, quae plurium annorum assidua meditatione in mente maturuerant.

Connectitur porro pentalogus ex una parte intime decalogo; ex altera parte pentalogus paraenesi 7,12-11,32 continuo evolvitur, inculcatur, modis omnibus illustratur. Unde consequitur in tota pericope cap. 5-11 *stili quaedam redundantia paraphrasin sapiens*. Expressiones quaedam pentalogi, quarum plures iam habebat decalogus, usque repetuntur, nullo non loco profusione quadam

adscribuntur. Id iam paulo fusius h. l. demonstrabimus, non quoad solum pentalogum, sed quoad totam pericopen cap. 5-11.

Ego Dominus Deus tuus est veluti principium, e quo totus decalogus derivatur, cuius capiti inscribitur Ex. 20,2; Deut. 5,6. Verum pentalogus item his vocibus orditur: Diliges *Dominum Deum tuum*. Decalogus Ex. 20 habebat *Iahve* ter v. 7.11.11, *Iahve Deus tuus* quinquies v. 2.5.7.10.12. Decalogus Deut. 5 decalogo Ex. 20 verbotenus fere consonat, paucis mutatis: quae mutationes illum etiam habent effectum, ut *Iahve* semel tantum v. 11 legatur, *Iahve Deus tuus* novies v. 6.9.11.12.14.15.15.16.16. Porro cum tota cap. 6-11 oratio ei veritati innitatur *Iahven esse Hebraeorum Deum*, multo frequentior in ea est expressio *Iahve Deus tuus* (*noster*, *vester*), quam sola vox Iahve: 5,22-33 sexies (v. 24.25.27.27.32.33) contra *Iahve* ter (v. 22. 28.28); cap. 6 decies quater (v. 1.2.3.4.5.10.13.15.15.16.17.20.24. 25) contra *Iahve* septies (v. 13[12].18.18.19.21.22.24); cap. 7 decies quinquies (v. 1.2.6.6.9.12.16.18.19.19.20.21.22.23.25) contra Iahve quinquies (v. 4.7.8.8.15); 8,1-9,6 decies quater (8,5.6.7.10.11.14.18. 19.20; 9,3.4.5.5.6) contra *Iahve* sexies (8,1.3.20; 9,3.4.4); 9,7-24 ter (v. 7.16.23) contra *Iahve* decies septies (v. 7.8.8.9.10.10.12.13.16. 18.18.19.19.20.22.23.24); 9,25-10,11 semel (10,9) contra *Iahve* decies quinquies (9,25.25.26.26.28; 10,1.4.4.5.8.8.9.10.10.11); 10,12-11,32 undecies (10,12.12.14.17.20; 11,1.2.12.13.22.25) contra *Iahve* novies (10,13.15; 11,4.7.9.17.17.21.23).

Praevalet ergo omnino, uti alias in Deut., forma longior. Teste sc. *Dr*. p. 10.21 habetur formula *Iahve Deus noster* vicies ter in Deut., septies in libris prioribus; formula *Iahve Deus tuus* circiter ducenties in Deut., quater in Iosue, antea novies; formula *Iahve Deus vester* circiter quinquagies in Deut., vicies octies in Iosue, trigesies quinquies antea. Quod autem h. l. admirationem facit illud est, dum ceteroqui omnino praevaleat forma longior, in pericopis historicis 9,7-24 et 9,25-10,11 omnino praevalere formam brevem, non vero in pericope item historica 5,22-33. Quod ut explicemus, convertimur ad prioris orationis pericopen item historicam 1,6-3,29. Quae, praeter formulam *Iahve Deus patrum etc.* 1,11.21 et solemne alloquium 3,24 *domine Iahve,* habet formulam longiorem vicies quater, breviorem vicies bis, ergo numero fere aequali. Haec brevior formula ibi pluries, uti alibi, forte scribitur et arbitrio, at scribitur imprimis iis locis, ubi de Iahve ira vel populi peccato agitur, ideoque Iahve non ita exhibetur ut populo speciali affectu devinctus: 1,27.34-45; 3,26. Porro pericopae 9,7-24 et 9,25-10,11 totae sunt in illo argumento explicando, Hebraeos non habere, quod de sua iustitia glorientur, fuisse

plurimae in Iahven iniustitiae reos. Haec igitur nobis videtur potissima ratio, cur in his pericopis omnino praevaleat solum Iahve. Fuit quidem etiam in magna theophania populi peccatum, sed illud 5,22-33 nequaquam effertur, sed acta theophaniae eatenus tantum attinguntur, quo pateat Hebraeos ipsos, ut Iahve nonnisi per Moysen eos alloqueretur, efflagitasse.

Verbis *Ego Dominus Deus tuus* adscribit decalogus (Ex. 20,2; Deut. 5,6) verba *qui eduxit te de terra Aegypti*. Dicebamus p. 238 Deut. 6, 4 repetere obligationem monolatriae ex idea Dei unici, dum decalogus ll. cc. eam repetebat ex idea Dei benefactoris. Neque tamen beneficium liberationis aegyptiacae ullo modo negligit noster orator. Illud (v. s.) tamquam motivum principale observandi sabbati 5,15 substituebat memoriae creationis Ex. 20,11. Habet illud 6,13(12), ubi magnum mandatum inculcat. Pulchre idem amplificat 6,20-25. Cf. 7,8. Et haec quidem in ipso pentalogo. Praeterea cf. 7,19; 8,14; 9,12.26. 28.29. Adscribitur, uti in decalogo, *de domo servitutis* 6,13(12); 7, 8;8,14. Cf. 6,21 « servi eramus Pharaonis ». Eduxit autem illos Iahve *in manu forti* (5,15 et iterum 6,21; 7,8.19; 9,26; 11,2) et *in brachio extento* (5,15 et iterum 7,19; 9,29; 11,2), 9,29 etiam *in fortitudine*. Idque fusius describitur 6,22; 7,18 sq.; 11,3 sq.

Dicebamus p. 238, monolatriam praecipi in decalogo indirecte potius et negative (« Non habebis deos alienos praeter me »), in pentalogo directe (« Diliges etc. »). Quod mandatum cum orator prae ceteris omnibus cordi habeat, constanter inculcat. Iubet igitur Deum *diligi ex toto corde et ex tota anima* (6,5;10,12;11,13) et *ex tota fortitudine* (solum 6,5). Est porro *amare* seu *diligere* Deum idem, atque illum *timere*, ירא (6,2.13.24; 8,6; 10,12.20), et *colere*, עבד (6,13; 10, 12.20;11,13), eique *adhaerere*, דבק (10,20;11,22). Unde consequitur *iurare in nomine eius* (6,13;10,20), *ambulare in viis eius* (7,32 sq.; 8,6; 9,12.16; 10,12; 11,22.28), minime vero *declinare ab eo* (5,32; 7,4; 9,12.16; 11,16.28), et *ire post deos alienos* (6,14; 8,19; 11,28). Qui haec observant, habent *circumcisum cor* (10,16), eam sc. animi dispositionem, quae 5,29 ab ipso Deo exoptatur et constanter (6,6; 7,17; 8,2.5.14.17; 9,4.5; 11,16) inculcatur. Aequum porro est Hebraeos ita affectos esse erga Deum, qui ipse eos *diligit* (7,8.13; 10,15), *eligit* (7, 7; 10,15) eisque *adhaeret* (10,15).

Ad *Non habebis deos alienos praeter me* (Ex. 20,3; Deut. 5,7) cf. 6, 14; 7.4; 8,19; 11,16.28. Ad *Non facies tibi sculptile* (Ex. 20,4; Deut. 5,9) cf. 7,5.25 sq., ubi fictilia gentium destrui iubentur. Sed loco פסל scribitur 9,12.16 מסכה, uti Ex. 32,4.8; cf. 34,17. *Non adorabis ea* (Ex. 20, 5; Deut. 5,9) cf. 8,19; 11,16. *Neque coles* (ib.) cf. 7,4.16; 8,19; 11,16.

Ratio porro colendi Iahve et non colendorum idolorum affertur 5,9 sq. : quia Iahve est *Deus aemulator* (6,15), *reddens* (hic פקד; 7,10 שלם) *iniquitatem odientibus se* (7,10.10), et *faciens misericordiam* (7,9.12) *diligentibus se* (6,5; 7,9; 10,12; 11,1. 13.22; v. i.). Voces generales און et חסד praeter locos citatos non recurrunt, sed varia genera iniquitatis, misericordiae, retributionis continuo discutiuntur. Etenim doctrina retributionis totam orationem pervadit; exhibetur Deus retribuens mala 6,10-16; 7,1-4; 8,19 sq.; 11,16 sq. 28; retribuens misericordiam 5,33; 6,2.18.25; 7,12-24; 8,1.7-10; 11,8-15.22. 25.27. Quae retributio pertingit ad *filios* (5,9) et *filios filiorum* (5,29; 6,2), qui item praeceptis subsunt (6,2), de illis sunt edocendi (6,7.20 sqq.; 11,19), poenam (7,3 sq.) ferent vel praemium (11,21), et quidem *in mille* (5,10), i. e. *in mille generationes* (7,9), seu simpliciter *in aevum* (5,29).

Custodiam mandatorum exigit ipse decalogus (Ex. 20,6; Deut. 5,10), exigit Deus 5,29. 31, exigit Moyses 5,32 sq., ac tandem quarto pentalogi mandato 6,17-25 generalissime iniungit. Tota fere oratio est de mandatis. Continuo agitur de illis discendis, docendis, sciendis, memoria retinendis, non obliviscendis, custodiendis, faciendis. Ad quae *audienda* solemniter auditores provocantur initio praeambuli 5,1, initio ipsius orationis 6,3 sq., et 9,1, ubi initium fit describendae Israelis in Iahven iniustitiae. Vocantur autem ea *mandata* (5, 29; 7,9; 8,2. 6; 11,13. 27 sq.), vel *mandatum* (6,25; 8,1; 11,8. 22), vel *iudicia* (7,12), vel *statuta* (6,24), vel *mandata et statuta* (6, 2 sq.; 10,13), vel *statuta et iudicia* (5,1; 11,32), vel *mandata, statuta et iudicia* (7,11; 8,11; 11,1; cf. 6,1), vel *mandata, testimonia et statuta* (6,17), vel *testimonia, statuta et iudicia* (6,20), vel *custodia, statuta, iudicia et mandata* (11,1). Quae expressiones in hac oratione sunt omnino synonymae inter se. Custodiam mandatorum exprimit item formula illa, quae in decalogo non Ex. 20 quidem, sed Deut. 5,12. 16 habetur, hincque videtur in nostram orationem esse transsumpta : *sicut mandavit tibi Iahve Deus tuus* (5,32 sq.; 6,1. 17. 20. 24. 25; 7,11; 8,1. 11; 9,16; 10,13; 11,8. 13. 22. 27. 28). Porro inculcari mandata *omnia* disce ex 5,29. 31; 6,2. 24. 25; 8,1; 11,1. 8. 22. 32. Est illud autem evidens de se, et per totam orationem subintelligendum.

Proponit decalogus 5,16 praemium custodiae mandatorum : *ut multiplicentur dies tui* (5,33; 6,2; 11,9 — ארך, pro quo 11,21 רבה), *et ut bene sit tibi* (5,29. 33; 6,3. 18. 24; 8,16; 10,13), *in terra, quam Iahve dabit tibi* (5,31; 6,10. 23; 7,13; 8,10; 9,6. 23; 10,11; 11,9. 17. 21. 31) seu, uti alibi dicitur, in quam *introducet* te (6,10;

7,1 : 9,4. 28; 11,29), *de qua iuravit patribus tuis* (6,10. 18. 23; 7,8. 12 sq.; 8,1. 18; 9,5; 10,11; 11,9) *Abraham, Isaac et Iacob* (6,10; 9, 5. 27), et quam tradet *possidendam* (5,23. 31. 33; 6,1. 18; 7,1; 8,1: 9,4 sq. 6; 10,11; 11,8. 10. 29. 31). Alibi pro *terra* scribuntur *populi* (7,2. 16. 23) eorumque *reges* (7,24), qui item *possidentur* vel *possessione expelluntur* (7,17; 9,1. 3. 4; 11,23).

Hae fere sunt *expressiones*, quae e decalogo in pentalogum transsumptae, totam Deut. 5-11 permeant orationem. *Ideis* vero, quas illae exprimunt, tota oratio constat, eas inculcans, urgens et explicans, ut non inepte *Cai.* (Introd. ad Pent.) eam vocaverit « explanationem decalogi copiosissimam et elegantissimam ». Est paraenesis monolatriae, quae e dilectione Dei profecta omnem vitam eius mandatis conformat.

Pentalogi exordium Deut. 6,1-3.

Arg. — In eo est Moyses, ut proponat mandata sibi a Iahve tradita nunc promulganda, i. e. thoram; quorum observatio singulis procurabit longaevitatem, prosperitatem, foecunditatem.

Cap. VI v. 1 « *Haec sunt praecepta et ceremoniae atque iudicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam* ». *Iussit me docere vos, ut faciatis etc.* : hic finis et mandatorum et docendi. Traduntur autem mandata potissimum pro terra sancta. *Hebr. Sam. Chald.* המצוה, *mandatum*, numero sing. uti 5,31 (ubi Sam. etiam ignorat copulam ante החקים). Fuerit igitur sensus : *hoc est mandatum, sc. statuta et iudicia*. Tamen v. 2 habet *statuta et mandata eius;* cumque per totam orationem voces *mandata, praecepta, statuta, iudicia, testimonia, custodia* pro synonymis scribantur, neque hic neque 5,31, distinctio est admittenda. Porro, quis futurus sit *docendi* v. 1 effectus, explicat v. 2 : « *ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et praecepta eius, quae ego praecipio tibi et filiis ac nepotibus tuis cunctis diebus vitae tuae, ut prolongentur dies tui* ». Generat igitur doctrina animorum dispositionem, quam 5,29 exoptabat Deus : timorem, custodiam mandatorum; in locum prosperitatis (ib.) h. l. succedit longaevitas (cf. 5,33); sed prosperitas (cf. etiam 5,33) illico habetur h. l. v. 3 : « *Audi Israel et observa ut facias, quae [praecepit tibi Dominus et] bene sit tibi, et multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem* ». Rursum repetit orator audiendi invitationem 5,1, repetita etiam prosperitatis et foecunditatis promissione.

Pro תרבון *Sam. Vulg. Syr.* תרבה. — Textus hebraeus durus. Pro *dixit tibi* libe-

rius *Vulg. pollicitus est tibi,* quod verbum patitur adscriptum accusativum *terram etc.* Ante לך *LXX Syr.* legere vel supplevere תת *dixit se tibi daturum. Bertholet* suggerit לך תת לך, ubi scriba a primo לך ad secundum transilierit, duas omittens voces. Nihilominus videtur quibusdam constructio dura : nam *sicut*, inquiunt, introducit Iahven eadem affirmantem, quae immediate antea promittebantur, ea vero alia erant quam *se tibi daturum terram*. Neque *terram etc.* cum *Kn., Keil* construi potest ut accus. absolutus loci, in quo illa populi *multiplicatio* futura sit. *Dillm.* censet verba *terram etc.* huc aliunde delapsa esse, fortasse e v. 1 vel e v. 10. Verum, num illud *sicut* necessario ita est accipiendum, ut illud ipsum repetat, quod praecedens incisum affirmaverat? Verte : *secundum quod dixit Iahve, daturum se tibi terram etc.* Ad prosperam vitam numerorumque incrementa requiritur etiam regio fertilis : in desertis non ita bene est hominibus, neque multum eorum numeri augentur.

1. *Mandatum magnum dilectionis seu monolatriae* *Deut.* 6,4-13.

Arg. — Ex unicitate Dei derivatur obligatio supremae dilectionis Iahve seu monolatriae, quod assidue prae oculis est habendum filiisque inculcandum, atque sedulo cavendum, ne fruitione bonorum terrae sanctae illud aliquando oblivioni detur.

Hoc mandatum in tota hac oratione potissimum est. Appellatur explicite 7,4-6. 25 sq.; 8,19 sq.; 9,12-21; 10,17. 20; 11,16. Praeterea in omni generali mandatorum commendatione tamquam mandatum primum atque potissimum illud omnino includitur, nulla quippe reliquorum mandatorum observatio Iahve futura erat accepta, hoc uno mandato neglecto. Hoc tandem mandatum tum semper etiam explicite inculcatur, quoties monentur Hebraei, ut Iahven *diligant, timeant*, ei *adhaereant,* in *viis* eius ambulent, cum haec omnia practice unum sint cum cultu monolatriae, eiusque in hac oratione synonyma habeantur. Monolatriae porro obligatio et mandatum necessarium est corollarium dogmatis *monotheismi*, quod habebas iam Ex. 20,3 (cf. CEL p. 199) : quare ab illo dogmate hoc mandatum derivat orator noster. v. 4 « *Audi Israel : Dominus Deus noster Dominus unus est* ». Ne construas cum *Abenesra :* Iahve Deus noster est, Iahve unus; ubi pro אחד scribendum erat לבדו (*Dillm.*). Neque alterum Iahve mera rhetorica repetitio est prioris Iahve. Sed vertas : *Iahve Deus noster est unus Iahve;* placetque opinio *Cai.*, tradere Moysen explicationem notissimae formulae « Ego Iahve Deus vester », quae in revelationibus Moysi factis principem locum obtinet (Ex. 3,6. 14. 15 etc.). Quaeritur porro, illud *unus* (*LXX* εἷς) sitne idem atque *unicus*, μόνος; sitne verborum is sensus *in* uno Iahve non esse plures (*Cai.*), an *extra* Iahven non esse alium; affirmeturne sola *unitas,*

an praeterea etiam *unicitas*. Qui alter sensus extra seu praeter Iahven non esse alium deum, etiam alias in Deut. (4,35. 39; 32,39) exprimitur, prior nunquam.

Et illi quidem *unitati*, inquiunt, opponebatur gentilium opinio, qui unum numen veluti in plura numina distinguebant, prout illud diversis in locis colebatur, Baalim Tyrium, Sidonium etc. Verum hoc solo nondum negatur unitas numinis. Nonne Gen. 31,13 dixerat Deus : « Ego sum Deus Bethel »? Rursum aiunt, gentiles varia unius numinis attributa considerasse ut plures deos. Verum, quidquid sit de arcana Aegyptiorum, Babyloniorum etc. theologia, quae in his vestigia fortasse quaedam praeservabat prioris monotheismi, at non ita sane sentiebat plebs ethnica, deos concipiebat ut personas omnino distinctas, distinctas habentes voluntates et contraria studia. Moyses autem volebat Hebraeos suos defendere non ab ethnicorum arcanis theoriis, sed ab erroribus popularibus; volebat eos edocere, Iahven non esse « sicut deos falsos aliarum gentium, qui plures sunt » (*Tost.*). Sicut monolatriam inculcabat contra polylatriam (simulacra), ita contra polytheismum inculcabat monotheismum : de hoc agitur 6,4. Quodsi vero cui videatur Moyses hisce verbis repudiasse quorumdam inter gentiles subtiliorum ingeniorum cogitata, qui intimiorem quamdam et realem adstruerent variorum deorum unitatem, videat is ne Moysen faciat implicite confodientem dogma Trinitatis.

Ceterum exprimi potissimum *unicitatem*, inde etiam intulerim, quod non dicatur *Deus unus est*, sed *Iahve unus est*, Iahve autem nomen est non naturae, sed substantiae exsistentis proprium, licet a natura petatur sitque eius, qui unus dicere queat : « Sum » (Ex. 3,14), habeo plenitudinem essendi, unica sum causa essendi, unicus iure merito nomine Iahve appellor. Eiusmodi substantiam exsistentem unam esse unitate essentiali evidens erat, at merito quaerebatur, essetne eadem etiam *unica*, i. e. una unitate numerica seu individuali an vero e pluribus specie iisdem una. Tandem v. 4, nisi supponatur praeter omnem contextum esse adscriptus, rationem assignat mandati v. 5 diligendi Iahve *ex toto corde* : atqui ex toto corde diligendus Iahve tum solum, si sit Deus unicus; quodsi enim adstruantur dii duo, suadet ratio et aequitas, ut cor inter illos dividatur.

Porro e fundamentali dogmate de unicitate Dei seu monotheismo derivat orator primum et summum mandatum (Matth. 22,37 sq.; Marc. 12,29 sq.; Luc. 10,27 sq.) : v. 5 « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* ». Tres expressiones synonymae (*Bonfr.*) emphasim sermonis augent. Tertia duabus praecedentibus adscribitur solum in laude Iosiae

4 Reg. 23,25. Priores duae iunctae reperiuntur Deut. 4,29; 10,12; 11, 13; 13,4; 26,16; 30,2.6.10; Ios. 22,5; 23,14; 3 Reg. 2,4; 8,48; 4 Reg. 23,3; 2 Par. 6,38; 15,12; 34,31; de Deo praedicantur Ier. 32,41. Merito e v. 5 infert *Theodoret.*, non debere hominem « dilectionem partiri inter Deum et aurum, Deum et uxorem, Deum et liberos, Deum et amicos; sed totam dilectionis vim creatori Deo consecrare, dein post creatorem, quae unicuique conveniant, tribuere, et parentibus et uxori et liberis et fratribus et amicis, siquidem pertineat ad dilectionem Dei haec etiam praestare ». Haec omnino e v. 5 consequuntur : tamen non hanc potissimum oppositionem inter Deum et creata in animo habet orator, sed oppositionem inter Deum et deos. Ut Hebraei misso Iahve solos gentilium deos colant, id non aestimat praesens esse periculum : sed omni studio eos cohibere adnititur, ne praeter Iahven colant deos gentilium. In hac oratione pro synonymis habentur voces *diligere, timere, colere, adhaerere, adorare* licet per se utique quadamtenus differant : siquidem *diligere* et *timere* potissimum exprimunt cordis affectum, *colere* cultum universum, qui tam religionis officia quam mandatorum observationem complectatur, *adorare* seu *prosterni* cultum externum, *adhaerere* omnia haec simul. At practice orator haec synonyma habet : v. 4 sq. reapse unum idemque est cum primo decalogi praecepto 5,6 sq.; tantummodo, qui ibi ut *cultus* efferebatur monotheismus, idem h. l. effertur ut *dilectio*.

Urget orator, ut hoc primum et maximum mandatum studiose *memoria* retineatur : v. 6 « *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo* ». Intelliguntur *verba haec* verba v. 4 sq. Neque obstat, 11,18-20 eadem, atque 6,6-9, iniungi ad mandatorum universorum servandam *memoriam;* merito quippe ea iniunguntur cum quoad mandata universa, tum potiori nomine quoad mandatum primum. Certe ad v. 4 sq. referebant v. 6-9 posteriores Iudaei, gestantes thephillim etc., neque alia sunt ad quae ea referantur, non v. 1-3, quae generalis tantummodo sunt introductio, neque cap. 5, quae ea introductione a 6,4 sq. disiunguntur. *Memoria* autem illa non in mente recondita maneat, sed posteris communicetur : v. 7 « *Et narrabis* » — *Hebr* : *inculcabis* — « *ea filiis tuis, et meditaberis in eis* » — siste in nativa verbi דבר significatione : *et loqueris de eis,* sc. de verbis his v. 4 sq. ad filios tuos — « *sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens* », seu verius *decumbens,* « *atque consurgens* », domi et foris, vespere et mane, semper et ubique. Ergo haec assidue filiis inculcanda : non sufficit eorum meminisse identidem. v. 8 « *Et ligabis ea quasi signum in*

manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos ». Versus verbotenus consonat cum Ex. 13,16 (cf. ib. v. 9); Deut. 6,6-9 repetitur etiam 11,18-20. v. 9 « *Scribesque ea in limine et ostiis domus tuae* ». *Hebr.* : *in postibus domus tuae et in portis tuis,* i. e. portis civitatis.

Posteriores Iudaei (cf. Matth. 23,5; *Ios.* Ant. IV. 8.13) monitum v. 6-9 rati sunt ad literam sibi esse observandum. Quare textus Ex. 13,1-10. 11-16; Deut. 6,4-9; 11,13-21 pergamento inscriptos includebant capsulis seu *thephillim,* quae loris iungebantur affigebanturque fronti et sinistro brachio; haec adhibebant bis quotidie, mane et vespere, dum *shema',* i. e. textum Deut. 6,4 sq. recitabant. Hinc, uti patet, natae sunt infinitae Rabbinorum disquisitiones et distinctiones, essentne capsae continuo manibus gerendae, etiam a mulieribus et agricolis, etc., etc. Cf. *I. Hamburger* : Real-Encyclopädie für Bibel u. Talmud II. 1204 sqq., Strelitz 1883. Ceterum haec praxis nunquam exstitit universalis. Nullus egregiorum V. T. virorum ob hanc praxin observatam celebratur. Karaei aliique semper defendere, textum Deut. 6,6-9; 11,18-21, uti Ex. 13,16, non esse ad literam accipiendum sed metaphorice, esse rhetoricam amplificationem moniti 6,6 sq., mandatum dilectionis memoria esse retinendum liberisque inculcandum. Sane non erat laesae legis reus, qui non quotidie tam foris quam domi, tam vespere quam mane hoc mandatum filiis inculcaret.

Orator, ubi inculcavit constantem mandati memoriam, transit ad illud, quod futurum praenoscit gravissimum *obliviscendi* mandati periculum. Sc. vita bonis affluens inducit Dei et divinorum beneficiorum oblivionem. v. 10 « *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iuravit patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non aedificasti* », v. 11 « *domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti* », — *Hebr. implevisti* — « *cisternas, quas non fodisti, vineta et oliveta, quae non plantasti* », v. 12 « *et comederis et saturatus fueris* » : v. 13 « *cave diligenter, ne* », bonorum terrenorum usu a divinorum consideratione abstractus, « *obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis* » (v. s. p. 240 et praeterea Ex. 13,3.14; 20,2; Ios. 24,17; Iud. 6,8; Ier. 34,13; Mich. 6,4). Apte illud maximum et recens beneficium in memoriam h. l. revocatur; congruit, ut Iahve fideliter *serviant,* quos ipse de *servitute* liberavit. — Porro *numini* non solum debetur *dilectio* v. 5, sed etiam *reverentia* (ירא); uno verbo affectus, qui simul sit filialis amor et timor : « *Deum tuum timebis* », seu *revereberis.* Illa rursum reverentia inducit ad *serviendum* Deo,

imprimis *cultu sacro*. Is enim in hoc contextu vocis sensus : cf. *Chald. coram eo servies*, utiturque uti *Syr.* verbo פלח, quod cultum sonat religiosum. « *Et illi* [*soli*] *servies* ». Apte *LXX Vulg.* supplere vocem *soli*, et per se patet, et ex effato Christi Matth. 4,10. « *Ac per nomen illius iurabis* ». Quando iuras (*Cai.*), per nomen Iahve iurabis, et non per nomen aliorum deorum. Iuramento siquidem exhibetur reverentia ei, qui testis in iuramento appellatur, quod sit verax, fidelis, veritatis et promissionum vindex. Quod reverentiae genus soli vero Deo competit, non falsis diis.

2. *Prohibitio idololatriae Deut.* 6,14 *sq.*

Arg. — In terra promissa abstineant ab idololatra superstitione qualibet, ne a Iahve ib. in sanctuario praesente destruantur.

v. 14 « *Non ibitis post deos alienos* [*cunctarum*] *gentium, quae in circuitu vestro sunt* ». *Hebr. de diis gentium, quae etc.* : primum statuitur prohibitio generalis, dein demonstratur periculum proxime affuturum. *Ire post deos alienos* multo plus dicit, quam merum *adorare*, v. g. etiam manducare idolothyta. Adscribitur eadem atque 4, 24 ratio v. 15 : « *quoniam Deus aemulator Dominus Deus tuus* » *est*, « *in medio tui* » *est* (*Chald.*), cuius nulla distantia aut furorem minuere aut poenam attenuare queat, « *nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat* », i. e. *destruat*, « *te de superficie terrae* », privans te omnibus deliciis et opibus eius v. 10-12.

3. *Prohibitio tentandi Deum Deut.* 6,16.

Arg. — Caveant Hebraei a tentando Deo per diffidentiam, cuius peccati antehac severissimas experti sunt poenas.

v. 16 « *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in* [*loco*] *tentationis* ». מסה *experimentum, tentatio,* a נסה *experimentum facere*. Experimentum sumitur de aliqua persona cui non plena fides habetur, eo fine ut eius veracitas, probitas, fidelitas certius noscatur. Experimentum igitur semper supponit dubium aliquod. Experimentum sumpserant Hebraei de Iahve in portentis exodi aegyptiacae, quibus ipsis demonstravit se esse Iahve. At ea veritate tot tamque illustribus argumentis in exodo demonstrata, non iam erat dubio locus, postquam Hebraei Aegypto excesserunt, et multo minus postquam Iahve foedere iuncti sunt. Dubia quippe ante susceptum foedus expedienda sunt. Habebant deinceps illae tentationes gravem Iahve iniuriam, cuius potentia, misericordia et fidelitas e tot congestis

argumentis sciri poterat et debebat. Eiusmodi tentationes fuere Ex. 15,24; 16,2; 17; 19,13 sqq.; Num. 11 duae (cf. Deut. 9,22); Num. 13; 16 duae; potissima vero fuit Num. 20 apud Me Meriba seu Aquas Contradictionis. Cum nulla alia in re Moysi per totam vitam aeque frequenter atque luctuose contendendum fuerit, cumque tam graves diffidentiae effectus expertus sit et in populo et in se ipso, haud miraberis, eum in supremo suo pentalogo ab hoc etiam delicto suos esse dehortatum. מסה vertunt aut nomen proprium *Massa* (Ex. 17,7) aut *tentationem*. Massam interpretatur *Cai.*, quam censet ideo h. l. efferri, quod fuerit *prima* tentatio Dei. At cur non appellat Moyses, aut solam aut aliis iunctam, eam tentationem Dei, cuius exitiales effectus omnes sui auditores pluribus annis continuis experti fuerant, tentationem inquam apud Aquas Contradictionis, potius quam alteram, quae ante 39 fere annos evenerat, neque tantis puniebatur malis? Scribo igitur cum *LXX Vulg. Chald.*, non *in Massa,* sed *in tentatione,* et explico cum *Syr. in tentationibus*. Hac una voce complectitur orator omnes anteactas tentationes, id quod praecise e ratione argumenti eius est. De nominibus *Massa* et *Me Meriba* inter se comparatis vide ad 33,8.

4. *Generalis inculcatio omnium mandatorum* *Deut.* 6,17-25.

Arg. — Custodiant Hebraei mandata Iahve omnia (v. 25), ut fruantur promissis terrae sanctae bonis. Eius obedientiae rationem et praemia filios suos edoceant.

Non poterat hac una oratione Moyses omnes post decalogum editas leges recitare, quo oratio in infinitum excrevisset atque eloquens, quae mox subnectitur, paraenesis auditores offendisset immedica recitatione exhaustos. Igitur 5,32 sq. illas leges generali monito inculcabat; nunc rursum earumdem, et cum eis etiam decalogi atque pentalogi, observationem generali mandato exigit, v. 17 absolute incipit et sine copula (contra *Syr, sed*); aliud a praecedente habetur mandatum : v. 17 « *Custodi praecepta Domini Dei tui ac testimonia et ceremonias, quas praecepit tibi* », v. 18 « *et fac, quod placitum est et bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, et ingressus possideas terram optimam, de qua iuravit Dominus patribus tuis* ». *Facere quod rectum,* seu *quod rectum et bonum est in oculis Iahve,* decet eum, qui Iahven diligit ex toto corde. Expressio haec, a Moyse primum descripta, aevo iudicum alte insidebat mentibus hominum : cf. ad 12,8. Pergit v. 19 : « *ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut*

locutus est ». v. 20 « *Cumque interrogaverit te filius tuus cras* », tempore futuro, « *dicens : Quid sibi volunt testimonia haec et ceremoniae atque iudicia, quae praecepit Dominus Deus noster nobis?* » — eandem fere quaestionem habes Ex. 13,14 sq. — v. 21 « *dices ei : Servi eramus Pharaonis in Aegypto, et eduxit nos Dominus de Aegypto in manu forti* », v. 22 « *fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Aegypto contra Pharaonem et omnem domum illius in conspectu nostro* », v. 23 « *et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua iuravit patribus nostris* », v. 24 « *praecepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima haec, et timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitae nostrae, sicut est hodie* ». Mandatorum observatio et timor Iahve eum habebunt effectum, *ut bene sit nobis cunctis diebus, et nobis vitam concedat sicut hodie* (*Hebr.*). Vita et bona, quibus familia fruitur, dum pater iis verbis edocet filium, ipsa sunt argumentum divinae fidelitatis et obligationis mandatorum. Formula *sicut hodie* vel *usque in praesentem diem* demonstrat promissionem aliquam impleri iam coeptam vel impletam : cf. 2,30; 4,20. 38; 10,8. 15; 11,4; item Gen. 50,20. v. 25 « *Eritque nostri misericors, si custodierimus et fecerimus omnia praecepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis* ». Pro *eius* scribe *haec*. Ceterum aliter *Hebr.* : *Et iustitia erit nobis*, quibus verbis iungit *Dillm.* verba *coram Domino Deo nostro*, quae tamen longius absunt. Sicut v. 15 demonstrabatur Deus *praesens* idololatriam esse puniturus, ita hic monentur Hebraei mandatorum obedientiam praestari Deo *praesenti*. Est hoc motivum novum, nobile et efficax exigendae obedientiae.

Quatuor mandata cap. 6 sunt de rebus faciendis nunc et semper; quintum 7,1-10 est de re facienda mox, post traiectum Iordanem, et tamdiu tantum, quoad destructae sint septem gentes chananaeae. Quartum mandatum epilogum veluti habet v. 20-25 monitum a parente dandum filio; quintum mandatum desinit 7, 6-10 in praeconium electionis populi Israel; 6,25 demonstrat *iustitiam*, quam Israel exercere debet, 7,6 *sanctitatem* Israelis.

5. *Mandatum exstirpandi gentes Deut.* 7,1-10.

Arg. — Gentes septem, quae singulae Hebraeis sunt numerosiores, Hebraeis tradet Iahve. Quas illi penitus exstirpabunt, nullo concesso foedere vel coniugio, ad praecavendum perversionis periculum.

Cap. VII v. 1 « *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas* », i. e nu-

merosas (cf. secundum רבים), « *coram te : Hethaeum et Gergesaeum et Amorrhaeum, Chananaeum et Pherezaeum et Hevaeum et Iebusaeum, septem gentes* [*multo*] *maioris numeri quam tu es, et robustiores te* », — cf. Ex. 23,23, ubi Gergesaeum habent etiam *Sam. LXX*. Verterit quis *numerosas et fortiores te* : sensus manet idem, cum maius earum gentium robur indubie etiam maioribus numeris efficiatur. Insuper v. 7 diserte affirmat, fuisse Hebraeos etiam numeris infirmiores (cf. v. 17; 4,38; 9,1; 11,23). Neque dicuntur illae gentes solummodo simul sumptae Hebraeis esse numerosiores, cum *septem* gentes simul sumptas fortiores esse unica aliqua gente, non sit res admodum miranda. At valde mirandum est et singulari divinae protectioni adscribendum, ut una gens prosternat gentes *septem*, quae singulae sint illa numerosiores — v. 2 « *tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi* », *et percusseris eas* : « *percuties eas usque ad internecionem* », tamquam חרם, exsecratum quid. Poterant aliquando Hebraei aestimare hoc praeceptum esse durius, et foedera alienigenarum sibi fore utiliora; quare pergit orator : « *Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum* », v. 3 « *neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo* ». Idque prohibetur propter periculum corruptionis v. 4 : « *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et* [*magis*] *serviat diis alienis* », — *Hebr. : et servient* filius tuus et uxor eius alienigena, cultu religioso — « *irasceturque furor Domini* » *eis*, « *et delebit te* », non solum filium, « *cito* » (cf. 4,26; 28,20). v. 5 « *Quin potius haec facietis eis* » : non solum omnes ritu exsecratorum exterminabitis, sed « *aras eorum subvertite, et confringite statuas* », — מצבה, erectum quid, cippus; *LXX* στήλας. Cf. Gen. 28,18. 22 — « *lucosque succidite* » (Ex. 34,13), « *et sculptilia comburite* ».

v. 4 *me* : orator explicans legem Iahve Ex. 23.23 eo delabitur, ut Iahven loco sui faciat loquentem. Cf. 11.14 sq.; 17,3;28.20;29.5 (4) sq. Tamen possibile est, ut ibi prius fuerit nomen יהוה vel יה, cuius praeter suffixum in textu iam reliquum sit nihil. — v. 5 fere verbotenus consonat cum 12,3; Ex. 34,13. אשרה in V.T. describitur « plantari » arboris instar (נטע, Deut. 16,21). Iud. 6.26 perspicitur esse ex ligno. « Erigitur » 4 Reg. 17,10 (הציב), « fit » (עשה) 3 Reg. 14.15 etc., « caeditur » (כרת, גדע) Ex. 34,13 et Deut. 7.5. « eruitur » (נתש, נתץ) Mich. 5,13 et 2 Par. 34,7, « confringitur » (שבר) ib. v. 4, « comburitur » (שרף) Deut. 12.3. Quorum aliqua componi possunt cum significatione *LXX* ἄλσος, *Vulg. lucus*; verum non omnia. Videtur igitur אשרה fuisse *pertica*, symbolum numinis prope altare aliquod erectum. *Dr.* ad 16, 21.

Praecepti, quod specie tenus durum est, ratio assignatur, quod Israel sit *populus sanctus Iahve* : ipsi soli debet servire, ergo a reli-

quis gentibus omnino est segregandus; ad ipsum solum pertinet, ergo removendum corruptionis periculum. v. 6 « *Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris* », i. e. *portio*, « *de cunctis populis, qui sunt super terram* ». Cf. Ex. 19,5 sq., ubi הארץ loco האדמה; sed noster v. 6 verbotenus consonat cum Deut. 14,2. Fuit autem illa electio prorsus gratuita, facta ob liberam Dei *dilectionem* Deique *iuramentum* libere susceptum : v. 7 « *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est* », *adhaesit* « *Dominus et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores* ». Declaratur Israel a singulis illis v. 1 nationibus numeris superari. Neque assertioni obest, eos 1,10; 10,22 affirmari tot esse, quot stellas coeli, aut 26,5 affirmari esse populum multum et robustum. Unus populus numerosus potest esse minus numerosus aliis populis numerosioribus; illud de stellis coeli est decens veri superlatio; praeterea 1,10 etc. dicuntur de aequalibus Moysis comparatis exiguo numero eorum, qui ad patriarcharum familiam pertinebant. v. 8 « *Sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit iuramentum, quod iuravit patribus vestris, eduxit*[*que*] *vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Aegypti* ». Apodosin ordire a voce *eduxit*. Hoc primo pentateuchi textu affirmatur *Iahve dilectio erga populum* (cf. 7,13; 10,15); sed annon ea continetur dilectione, quam Iahve populo praecipit erga se ipsum? Ideam hic primum expressam evolvere prophetae, describentes Iahvae cum Israele coniugium. Debent tandem esse aliquae ideae, quae primum in pentateucho enuntientur tantum, postea ab aliis sacris scriptoribus evolvantur. v. 9 « *Et scies* », i. e. e factis recensitis plene perspicies, « *quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidelis* », — quae tres voces articulum habent : ergo ipse est *Deus unicus*, unicus *fortis* i. e. omnipotens, unicus *fidelis*, cuius promissiones absolutam mereantur fidem. Specialius porro describitur Iahve fidelitas : « *custodiens pactum et misericordiam diligentibus se et his, qui custodiunt praecepta eius, in mille generationes* ». Non miseris solum iisque, qui deliquerint, exhibetur *misericordia*, sed includit ea item *mutuam gratiam*, qualis habetur inter amicos et necessarios : Gen. 24,49; 47, 29; hanc quoque implicite pactus erat Deus Ex. 19,5 sq. Una conditio, ut Deus pacto stet, haec est ut Israel item pacto stet, primum pacti mandatum servet *dilectionem*, et hanc dilectionem opere demonstret *observatione mandatorum* (cf. 6,5 sq.). Qua conditione observata, Dei in Israelem misericordia nullo tempore deficiet (cf. Ex. 20,6). A qua misericordia excluduntur illi de populo electo, qui contra Iahven insurgunt, non ii qui cuiuscunque delicti rei sunt, sed qui

foedus infringunt : v. 10 « *et reddens odientibus se statim ita, ut disperdat eos et ultra non differat, protinus eis restituens, [quod merentur]* ». אל פניו *Vulg.* vertit *statim, protinus, LXX* κατὰ πρόσωπον, *Chald. Syr.* explicant *in vita* (!). Verte : *sed reddet eis, qui se in faciem oderunt : non differet in faciem reddere osori suo,* unicuique, id enim exprimit transitus a plurali ad singularem.

Clausula pentalogi Deut. 7,11.

v. 11 « *Custodi ergo praecepta et ceremonias atque iudicia, quae ego mando tibi hodie, ut facias* ». Agitur de praeceptis *hodie* propositis, ergo de pentalogo : sed nota, quarto pentalogi mandato includi leges antea latas omnes.

III. THORAE PARAENESIS ALTERA DEUT. 7,12-11,32.

Varia evolvuntur et efficacia argumenta servandae fideliter thorae. Cf. p. 18 sq.

1. *Iahve auxilium affuturum Deut.* 7,12-26.

Arg. — Mentio facta v. 9 *potentiae* et *misericordiae* Iahvae suggerit hoc primum motivum. Sc. observaturis mandata aderit auxilium Iahve tribuens fertilitatem, sanitatem, de hostibus victoriam. Quos visitabit Iahve plagis iisdem, imo maioribus iis, quibus Aegyptios perculit, destruet non illico quidem sed complete. Severe autem monentur Hebraei, ne quid ad idola spectans sibi reservent.

Sequens *si = pro eo, ut,* ויהי עקב (cf. 6,10 ויהי כי initio pericopae) : prosperitas erit observationis mandatorum praemium, haec illius unica conditio. Spectant quippe haec omnia ad *pactum*, quod certas conditiones statuit mutuo praestandas. v. 12 « *Si postquam audieris haec iudicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi et misericordiam, quam iuravit patribus tuis* ». Nota oppositionem inter *custodiam* et *custodiam*. Porro Deus pacto adhaerens : v. 13 « *et diliget te* », *et benedicet tibi,* — e duabus vocibus hebraeis simillimis unam *Hier.* praetermisit; benedictio autem haec, licet sit temporalis, non sola constat *multiplicatione* bonorum — « *ac multiplicabit* », benedicens iam non tibi solum sed tuis, « *benedicetque fructui ventris tui* », uxoris tuae, « *et fructui terrae tuae, frumento tuo atque vindemiae, oleo* », — quae tria excellentissima gignit Palaestina, saepeque una recensentur : cf. p. 121 n. 21.

« Voces autem, quae h. l. scribuntur, exprimunt illas res in statu naturali aut fere naturali, humana arte haud vel vix mutatas : דגן, non חטים (grana iam separata); תירוש (mustum), non יין; יצהר (oleum recens), non שמן » (*Dr.*) — « *et armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua iuravit patribus tuis, ut daret eam tibi* ». שגר אלפים, *foetus boum* (Ex. 13,12 שגר בהמה) et עשתרת צאן, *oves foetantes gregis* : cf. 28,4.18.51. Benedictio Israeli impertienda maior erit omni aliarum gentium prosperitate, imprimis, uti v. 16 prodit, earum quae Palaestinam incolunt : v. 14 « *Benedictus eris inter omnes populos* », seu potius *magis quam etc.* « *Non erit apud te sterilis utriusque sexus,* [*tam in hominibus quam*] *in gregibus tuis* ». Cf. Ex. 23,26. v. 15 « *Auferet Dominus a te omnem languorem, et infirmitates* » (cf. 28,60 sq.) « *Aegypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis* ». Cf. 30,7; Ex. 23,25; 15,26. Cum igitur futurus sis robustior et sanior reliquis circum populis, facile illos *devorabis*, ita ut nihil eorum supersit, idque tanto facilius, quod Iahve illos tibi *daturus* sit v. 16 : « *Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui* ». Cf. Ex. 23,22 sq.

Quomodo porro iuvante Iahve *devoraturi sint* gentes, ostenditur. v. 17 « *Si dixeris in corde tuo : Plures sunt gentes istae* », et intelliguntur potissimum utique septem gentes v. 1, « *quam ego : quomodo potero delere eas?* » v. 18 « *Noli metuere, sed* » *bene* « *recordare, quae fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni et cunctis Aegyptiis* », haec constanter prae oculis habenda, v. 19 « *plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, manumque robustam et extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus : sic faciet cunctis populis, quos metuis* ». Imo, si necesse fuerit, Deus ulterius procedet, atque in Aegypto fecit, ita ut hostes penitus exstirpentur : v. 20 « *Insuper et crabrones* » (cf. ad Ex. 23,18) « *mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat, qui te fugerint et latere potuerint* ». *Hebr.* : *Imo crabrones emittet Iahve Deus tuus in eos, usquedum deleantur a facie tua ii, qui superfuerint et te latuerint.* Textus huius, uti neque textus Ex. 23,28, necessarius sensus is est, praedici h. l. plagam crabronum seu vesparum certo aliquando futuram. Sensus potest esse hic : si Hebraei suas partes egerint in illis gentibus penitus exstirpandis, et superfuerint aliqui, qui in latibula inaccessa, insciis vel ipsis Hebraeis se abdiderint, Deum illos esse perditurum adhibitis, si oportuerit, creaturis minutis, quae in latibula vel maxime inaccessa se valeant ingerere. Cum porro Hebraei suas partes non fideliter egerint, multo minus ullus superest prae-

textus inquirendi, an aliquando Chananaei a crabronibus incommodum passi sint. Verum in Commentario ad Ios. 24,12 demonstrare conabimur, צרעה non esse *crabrones*, sed *grandinem*, atque Ios. 24, 12 respicere factum Ios. 10,11.

Nullus admittendus timor, quia cum Israelitis decertat Iahve v. 21 : « *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus et terribilis* » : v. 22 « *ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter* », verbotenus *cras*, cui correspondet Ex. 23,29 *uno anno*, « *ne forte multiplicentur contra te bestiae terrae* ». Cf. ad Ex. 23,29 sq. v. 23 « *Dabitque* » — fortasse melius *sed dabit* : ruina penitus complebitur, licet non brevissimo tempore — « *eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos, donec* [*penitus*] *deleantur* ». *Hebr.* : *et conturbabit eos conturbatione magna, donec deleantur*. Cf. Ex. 23,27. v. 24 « *Tradetque reges eorum in manus tuas, et disperdes nomina eorum sub coelo* », ut omnis gloria prius parta hac extrema clade absorbeatur. « *Nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos* ». Nullus heros quantumvis famosus poterit impedire, quominus non solum exercitum fundas, sed ipsum regem interimas. *Hebr. non stabit quisquam in faciem tibi :* cf. 11,25.

Adiungitur tandem instantissimum monitum, ne quidquam ad idola pertinens privato usui reservetur. v. 25 « *Sculptilia eorum igne combures; non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt* », — *Hebr.* : *quae super eos*, idola quippe e ligno confecta laminis auri vel argenti superinducebantur (*Calm.*) — « *neque assumes* [*ex eis*] *tibi* [*quidquam*], *ne offendas* », — *ne eo irretiaris, LXX ne cadas per illud, Syr. ne contamineris per illud*. Sensus autem non est : « ne servatas statuas incipias colere » (*Ros.*), nam agitur de auro et argento statuis detracto, sed « ne in peccatum devenias tibi appropriando id, cui Deus anathema imposuit » (*Cai.*). Apposite autem *Bonfr.* : « Ratio, cur id Deus vetuerit, quod alioqui per se et natura sua non erat illicitum, fuit ad maiorem idololatriae detestationem, comperto haec ita esse Deo abominabilia, ut ne quidem ad usus profanos ea pateretur transferri ». Quod exprimunt sequentia verba : « *propterea quia abominatio est Domini Dei tui* ». v. 26 « *Nec inferes quidpiam ex idolo* », *Hebr.* emphatice *abominationem*, « *in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est* » (cf. Ios. 7). « [*Quasi*] *spurcitiam detestaberis, et* [*velut*] *inquinamentum* [*ac sordes*] *abominationi habebis, quia anathema est* ». *Hebr. : horrorem* (שקץ) *horrebis illud, et abominationem* (תעב = תועבה) *abominaberis illud, quia etc.*

2. *Iahvae circa Israelem in deserto providentia Deut.* 8.

Arg. — Post *futurum* Iahve demonstratum auxilium, aliud orator profert observandorum mandatorum argumentum, quae *hodie* (v. 1.11.19) ipse promulgavit. Petit illud ex *praeterita* Iahve circa Israelem providentia, potissimum quoad *cibum* et *vestimentum*. Ubi etiam effert, quomodo in his Iahve paterne tentaverit et erudierit Israelem : merito quippe tentabat Iahve eos, qui vel post initum foedus fide essent tam incerti. Severe rursum monet, ne bonis terrae sanctae effeminati, huiusque amantissimae providentiae obliti, in idololatriam labantur.

Orditur orator ab inculcanda rursus mandatorum observatione. *Cap. VIII* v. 1 « *Omne mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, cave diligenter ut facias : ut possitis vivere, et multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua iuravit Dominus patribus vestris* ». v. 2 « *Et recordaberis* », i. e. *recordare*, « *cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent, quae in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, annon* ». למען ענתך לנסתך לדעת : finis *adducendi* fuit *affligere,* finis affligendi *probare*, finis probationis *scire*. Locutio est anthropomorphica (*Cai.*). Deus probavit Hebraeos, donec sufficienter confirmati essent in proposito servandorum eius mandatorum. Idque ita factum esse demonstrat orator primo exemplo mannae : per quadraginta annos hoc miraculum continuavit, donec ex illo Hebraei didicerunt absolutam fiduciam in Dei providentiam. Ceterum loquitur Moyses de amanti providentia Iahve populo suo fideli per 40 annos exhibita, quem continuo pavit manna. An vero apostatas etiam, qui a populo electo secesserant eiusque privilegiis exciderant (cf. p. 89), toto apostasiae tempore Iahve paverit manna, ignoramus. Id certe non efficit noster v. 2 sq. v. 3 « *Afflixit te penuria* », i. e. *fame*, « *et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui* », ergo miraculo antea plane inaudito et nulla humana coniectura antea augurando, « *ut ostenderet tibi* », ut doceret te diuturno et continuo experimento, « *quod non in solo pane vivat homo, sed in omni [verbo], quod egreditur de ore Dei* ». *Syr.* supplevit *re,* melius etiam *LXX Vulg. verbo,* nihil enim praeter verbum procedit de ore Dei. Cum Deus ipse Ex. 16,8 manna vocet panem, ergo h. l. *panis* intelligendus est panis naturalis, imo generatim cibus naturalis : etenim illud vere portentum mannae demonstrat, etiam sine ullo cibo naturali posse Deum hominis vitam producere. *Vivere*

in pane edicit vitam sustentare pane : ergo *vivere in verbo Dei* dicit vitam sustentare verbo Dei (cf. Matth. 4,4; Luc. 4,4). Homo pro omnibus necessariis vitae obtinendis magis fidat oportet verbo Dei, quod, ubi de miraculis non agitur, Dei providentia constat, quam mediis mere humanis; plus laboret, ut Deum propitiet, quam ut media humana congerat. Propitiatur autem Deus imprimis observatione mandatorum, atque haec omnino censenda est includi voce *omni*. Iuvabit igitur recordatio mannae ad generalem, quae v. 1 exigitur, mandatorum observationem. — Etiam in aliis praeter cibum docuit Deus Hebraeos, ut absolutam fiduciam in ipso reponerent : v. 4 « *Vestimentum tuum,* [*quo operiebaris*] », vestis exterior, « *nequaquam* [*vetustate*] *defecit* », attrita est, « *et pes tuus non est subtritus* », non intumuit, « *en quadragesimus annus est* ». Non sunt hic nova cum Rabbinis adstruenda miracula, ut eaedem vestes per quadraginta annos perseveraverint, imo una cum pueris creverint, sed modus est rhetoricus dicendi, Deum toto illo tempore etiam quoad vestitum et vires corporis Hebraeis amanter providisse (*Calm.*). Quod confirmatur eo, quod 29,5(4) in locum *pedum* subintrent *calcei*. Quid de hoc facto senserint levitae 2 Esdr. 9,21 nostrum textum recitantes, scire haud refert. v. 5 non est ordiendus voce *ut,* sed repetit adhortationem v. 2, ut corde revolvant, quantopere ex paterno in eos affectu in deserto egerit Deus. v. 5 « [*Ut*] *recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te* », v. 6 « *ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis eius, et timeas eum* ». Afflictiones in deserto paterno affectu infligebantur, ut Hebraeos manuducerent ad custodiam mandatorum.

Nexus v. 7 sqq. cum praecedentibus (כִּי) hic est. Huius divinae in deserto oeconomiae tanto magis (v. 2.5) memoria assidue est revolvenda, quod Hebraei mox sint ingressuri terram promissam, eiusque bonis fruituri, ideoque facile sint illam oeconomiam oblituri, Dei praecepta transgressuri, imo ad idololatriam dilapsuri. v. 7 « *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarum*[*que*] *et fontium, in cuius campis et montibus erumpunt* [*fluviorum*] *abyssi* »; — *Hebr. : terram rivorum aquarum et fontium et abyssorum, erumpentium in vallibus et in montibus* — v. 8 « *terram frumenti, hordei ac vinearum,* [*in qua*] *ficus et malogranata et oliveta* [*nascuntur*], *terram olei et mellis* ». *Hebr. terram olivarum, olei et mellis.* Et *Masor.* quidem ita punctant, ut agatur de *olivis olei*; *Vat.* « olivae fructiferae », ergo sane non silvestres : sed num olivae silvestres non habent oleum? Similiter *Chald.*; *terram cuius olivae producunt oleum, et ipsa fluit melle.* Expressio *oliva olei*

in V. T. non legitur. Cum reliqua v. 8 nomina omnia dependeant a *terram* tantummodo, praestat fortasse etiam hic vertere *olivae, olei* : fortasse alterutra vox in textum irrepsit — v. 9 *terram*, « *ubi absque ulla penuria comedes panem tuum et rerum omnium abundantia perfrueris* »; *terra,* « *cuius lapides ferrum sunt, et de montibus eius aeris* [*metalla*] *fodiuntur* ». Cum omnia, quae v. 7 sq. recensentur, ad literam sumenda sint neque tantum metaphorice, *ferrum* quoque non sunt « lapides ferrum soliditate et duritia aemulantes » (*Calm.*), sed sunt verum ferrum. Porro ferrum reperitur circa Libanum et Hermonem, estque non solum in transiordanica, sed item circa Mare Tiberiadis frequens basaltus, cuius quinta pars ferrum est. Cupri vestigia hucusque discernebantur tantummodo circa Emath et Idumaeam : sed num reapse totam Palaestinam geologice sufficienter exploratam habemus? Cf. 33,25. Sequentem sententiam noli construere finalem, sed verbum verte imperativum (*benedic*) : v. 10 « *ut cum comederis et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi* ».

Quae prosperitas facile animos abstrahet a Iahve beneficiis et mandatis. v. 11 « *Observa* [*et cave*], *nequando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata eius atque iudicia et ceremonias, quas ego praecipio tibi hodie* »; v. 12 « *ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras aedificaveris et habitaveris in eis* », v. 13 « *habuerisque armenta boum et ovium greges, argenti et auri cunctarumque rerum copiam* », — *Hebr.* : *armentorum, gregum*, sc. *copiam* — v. 14 « *elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo servitutis* »; v. 15 « *et* » *qui* « *ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili*, [*in qua erat*] *serpens* [*flatu*] *adurens* » (cf. Num. 21,6) « *et scorpio* », a quo nomen inditum Ascensui Scorpionum Num. 34,4; Ios. 15,3; Iud. 1,36, « *ac dipsas et nullae omnino aquae* »; — verte : *loca inaquosa, ubi nulla aqua* — « *qui eduxit* » *tibi* « *rivos de petra durissima* » (cf. ad 32,13) — v. 16 « *et* » *qui* « *cibavit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui* ». Sed haec sententia apud *Hebr.* dependet a praecedentibus : ideo tibi dedit manna, ideo item per desertum circumduxit, *ut, postquam te afflixit et probavit* (cf. v. 2 sq.), *ad extremum prosperitatem tibi largiretur*. Effertur rursum paterna Dei in infligendis adversis oeconomia. *LXX Vulg. Syr.* a negatione incipiunt, quam ignorat *Hebr.* continuans praecedentem constructionem : Cave, ne obliviscaris etc. v. 11, ne elevetur cor tuum etc. v. 14, dicasque v. 17 : « [*ne*] *diceres in corde tuo* : *For-*

titudo mea et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt ».

Bene *Vulg.* sequentem copulam transtulit *sed* : monitum negativum v. 11-17 excipit tandem v. 18 monitum positivum : « *Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi praebuerit, ut impleret pactum suum, super quo iuravit patribus tuis, sicut praesens* [*indicat*] *dies* ». Cf. ad 6,24. Postquam pro futuro tempore commendavit orator memoriam divinae in deserto providentiae, auditores coram adstantes monet, eidem providentiae eos referre debere acceptum illud *robur*, quod nunc habeant.

Clauditur pericope severo monito, ne Dei obliti ad idololatriam deflectant. v. 19 « *Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, colueris que illos et adoraveris : ecce nunc praedico tibi* », — *Hebr.* : *ecce nunc testes invoco contra te*, quos recte ad instar 4,26 *LXX* supplent, *coelum et terram* — « *quod omnino dispereas* ». v. 20 « *Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri* ». Participium interpretare *delet* seu *delebit*.

3. *Memoria admissae infidelitatis Deut.* 9 sq.

Arg. — Eloquentissima monitio servandorum mandatorum non uti 8,1 initio pericopae adscribitur, sed ad calcem 10,12-22 (cf. 7,11). Orator orditur solemnibus vocibus « Audi, Israel », quibus 5,1; 6,3 sq. ipsam orationem eiusque exordium inceperat. Praevidet porro periculum, ne prosperitate in terra sancta elati aliquando suae *iustitiae* (cf. 6,25) tribuant Hebraei felicem rerum successum. Et nota, in hoc argumento digerendo non appellare oratorem idololatriae periculum (7,25 sq.; 8,19 sq.). Reapse pharisaica illa propriae iustitiae opinio non inducit per se ad idololatriam, neque posteriores Iudaeos fecit idololatras. Est tamen illa prorsus aliena ab animo Iahve, est etiam ipsa *iniustitia*, et tanto quidem intolerabilior, quod iustitiae speciem affectet. Orator igitur, indolis populi oppido gnarus ac futurorum veluti praesagus, *praeteritam iniustitiam* illis ob oculos ponit. Fusius agit de iniustitia in monte Horeb, in ipsa foederis sanctione admissa, alia 9,22-24 obiter attingens. Ostendit, Iahve ibi misericordia atque Moysis trina intercessione, nulla vero populi iustitia, res tandem in integrum esse restitutas.

Cap. IX v. 1 « *Audi Israel : tu transgredieris hodie* » — « sub hoc tempus » (*Bonfr.*), cf. ad 5,1 — « *Iordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad coelum usque muratas* » (cf. 1,28), v. 2 « *populum magnum atque sublimem, filios Ena-*

cim, quos ipse vidisti et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere ». *Hebr.* : *quos tu nosti* generali rumore, *et quos tu audisti* a testibus oculatis, exploratoribus, qui id quod viderant sequenti exclamatione exprimebant : *Quis resistet coram filiis Enac!* (*Bonfr.*). Non vacat ironia duplex illud אתה, *tu*, cum Num. 13 sq. Hebraei reapse exaggeratos rumores secuti sint; urbium descriptio iisdem hyperbolis continetur, atque 1,28 in verbis exploratorum; Num. 13,33 loquebantur exploratores, acsi omnes Chanaanitidis incolae essent similes Enacim, hic item soli Enacim efferuntur. Ierichuntini aliique, quos Iosue primum aggressus est, non videntur fuisse de stirpe Enacim, sed orator futuros inimicos omnes veluti in unum exercitum colligit, in cuius primo agmine collocat Enacim, qui revera nonnisi serius (Ios. 14; Iud. 1) devicti sunt. Rursum orator totum bellum, quod plures habiturum erat expeditiones, exhibet tamquam expeditionem unam, quae *hodie* incipiat et absolvatur *velociter*. Quocum minime pugnat 7,22 affirmans, inimicos delendos esse *paulatim*, non *cras* seu, ut locus parallelus Ex. 23,29 habet, non *uno anno*.

v. 3 « *Scies* », seu verius *scito*, « *ergo hodie, quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans* [*atque consumens*] » (4,24), « *qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi* ». *Hebr.* : *ipse delebit eos, ipse humiliabit eos coram te, et expelles eos et delebis eos cito etc.* « Isti sunt effectus Dei praecedentis instar ignis vorantis » (*Cai.*). Emphasin habet triplex illud *ipse* : ipse, et non alius (*Dr.*). v. 4 « *Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istae deletae sint nationes* ». Duas rationes *Hebr.* coordinat : *et propter impietatem gentium istarum expulit eas Iahve a facie mea.* Alteram hanc rationem ignorant *LXX*, putantque *Dillm.*, *Dr.* aliique e v. 5 huc esse delapsam; habent tamen textus reliqui omnes. Reapse sensus habetur valde aptus. Sc. duae rationes unam efficiunt : propterea, quod nos tanto iustiores simus gentibus, ideo etc. Hanc rationem facile sibi poterant effingere Hebraei Moysis aequales; non aeque facile alteram, ob excellentem suam iustitiam se esse a Iahve electos, cum vix potuerint omnem memoriam abdicare suarum Ex. 32, Num. 20 etc. rebellionum. v. 5 « *Neque enim propter iustitias tuas et aequitatem* » — *Hebr. rectitudinem* — « *cordis tui ingredieris, ut possideas terras earum, sed quia illae egerunt impie, introeunte te deletae sunt; et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento polli-*

citus est patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob ». Primam rationem v. 4 negat Deus, alteram concedit, tertiam et principalem addit, quae demonstrat cur praecise Hebraeos Deus in locum illarum nationum suffecerit. Verum non in neganda illa iustitia sistit Deus, sed v. 6 Hebraeis iniustitiam in memoriam revocat : « *Scito ergo, quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimae cervicis sis populus* ». Eadem expressio habetur Ex. 32,9; 33,3. 5; 34,9, de qua narratione agitur in sequentibus. Cf. item Deut. 10,16; 31,27; Ier. 7,26 etc. Tropum explicat Is. 48,4 : fibula ferrea cervix tua.

Orator enumerans potiores Israelis in Iahven *iniustitias*, unam tantum ad montem Horeb commissam fusius prosequitur, ostenditque *veniam* tandem Israelem obtinuisse ex sola Iahve misericordia per suam intercessionem; nihil ergo in his esse, quod Israel propriae tribuat *iustitiae* 9,7-24.

Igitur assertionem de dura Hebraeorum cervice factis confirmat Moyses, et primum quidem appellat factum *generale* v. 7 : « *Memento et ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine : ex eo die, quo egressus es ex Aegypto, usque ad locum istum, [semper] adversum Dominum contendisti* », contumax fuisti. Sed illico ad factum *particulare* descendit orator, acta in monte Horeb, quae etiam cap. 4 eodem fere stilo tractaverat. Narratio sequitur Ex. 32-34, quandoque de verbo ad verbum. v. 8 « *Nam [et] in Horeb provocasti eum, et iratus delere te voluit* ». Ne vero ambigant Hebraei, quo de facto agatur, circumstantias explicat orator v. 9 : « *quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus; et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus* », — haec fere iam narrabantur Ex. 24,12. 18; sed adscribitur id, quod pro altera Moysis in monte commoratione commemorat Ex. 34,28 : « *panem non comedens et aquam non bibens* ». Adverte sermonis gravitatem : in Horeb 5,2 sancitum est foedus, et in Horeb, in ipsa foederis sanctione provocavit Israel Iahven. Ecquae atrocior fingi potest iniustitia! Mandata decalogi 5,6-21 Moyses tum manibus portabat digito Iahve inscripta, Iahve a parte sua omnia praestiterat, ne quid foederi deesset, Moyses ipse neque tempori pepercerat neque sui castigationi, cum omnia populi inconstantia irritavit. Aptissime sane hoc in Horeb factum eligitur, quo fusius narrato demonstretur populi iniustitia. v. 10 « *Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei et continentes omnia verba, quae vobis locutus est in*

monte de medio ignis », i. e. decalogum, « *quando concio [populi congregata est]* ». Cf. Ex. 31,18ᵇ et, ad expressionem הקהל Deut. 4, 10. v. 11 « *Cumque transissent quadraginta dies et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas foederis* », — repetit versus, quae v. 9 sq. dicebantur : sc. post eosdem illos 40 dies tradidit revera Deus Moysi tabulas habentes divinam foederis confirmationem; si ergo Hebraei uno alterove die a rebellione temperassent, evanescebat omnis querelarum Ex. 32,1 ratio; iam documentum foederis ambabus manibus (v. 15) tenebat Moyses, cum 40 dierum labor populi impatientia pessum ivit — v. 12 « *dixitque mihi : Surge et descende hinc cito, quia populus tuus, quem eduxisti de Aegypto* », *deflexerunt*, « *deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile* ». Fere verbotenus uti Ex. 32,7. 8ᵃ. v. 13 « *Rursumque ait Dominus ad me : Cerno, quod populus iste durae cervicis sit* ». Verbotenus uti Ex. 32,9. v. 14 « *Dimitte me, ut conteram eum et deleam nomen eius de sub coelo; et constituam te super gentem* », seu verius faciam te gentem, « *quae hac maior et fortior sit* ». Cf. Ex. 32,10ᵇ; Num. 14,12ᵇ. v. 15 orditur *Hebr.* וָאֵפֶן, *et conversus sum* : cf. 2,1. 8(9); 3,1, quod item habetur Ex. 32,15. v. 15 « *Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas foederis utraque tenerem manu* », v. 16 « *vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat* » (cf. Ex. 32, 19ᵃ), v. 17 *prehendi duas tabulas, et proieci eas de duabus manibus meis*, exprimens fortasse horroris intensitatem, — seu brevius : « *proieci tabulas de manibus meis, — confregique eas in conspectu vestro* », quia, foedere populi peccato irritato, irritum iam erat foederis documentum; item quia, desecrato per vituli cultum antiquo tabernaculo sacro (Ex. 33,7 sqq.), non erat decens locus, quo tabulae reponerentur. Cf. Ex. 32,19ᵇ. v. 18 « *Et procidi ante Dominum, sicut prius* » v. 9 feceram (cf. 10,10), « *quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quae gessistis contra Dominum et eum ad iracundiam provocastis* ». Demonstrare vult orator (v. 6), quam durae cervicis fuerit populus, quantumque (v. 7) ad iustam iram provocaverit Deum : profecto 40 dierum intercessione cum ieiunio opus fuit, ut placaretur Deus. Vide ieiunii efficaciam. v. 19 « *Timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus delere vos voluit* ». *Hebr. : verebar enim furorem et ardorem* Iahve, missuri veluti ignem de nube ad delendos (v. 14) sontes. « *Et exaudivit me Dominus etiam hac vice* ». Cf. v. 18 et 10,10. Quibusnam praeterea

vicibus exaudivit Deus intercedentem? Recte demonstrat *Kn.* Num. 11,2; 12,13 sq.; 14,13 sqq.; 21,7 sqq., monetque *Dr.*, cum Moyses integros 40 annos unico veluti obtutu complectatur, nihil opus esse, ut aliae *vices* indicentur, quae Ex. 32 priores tempore exstiterint, posse verba aeque referri ad ea, quae tempore quidem posteriore acta sint, sed ab oratoris mente eodem obtutu conspiciantur. Perperam *Dillm.* facta aliqua priora demonstrat : Ex. 15,25; 17,4 sq. Non fuere eae intercessiones, sed merae impetrationes.

Sed conferenda est expressio *etiam hac vice* 9,19 cum eadem expressione 10,10. Sc. narratio 9,18-10,11 tres intercessiones aut tres intercessionis fructus distinguit. Intercessit Moyses 9,18 sq., ne *deleret* Iahve populum, et exaudivit eum Iahve *etiam hac vice,* uti prius aliquando; intercessit Moyses secundo 9,25-29, Iahve in memoriam revocans *foedus*, et obtinuit a Iahve 10,1 sqq. foederis restituti documentum tabulas in arca asservandas; intercessit Moyses tertio 10, 10, et obtinuit mandatum, ut cum tabulis et arca, ergo cum Iahve in sanctuario habitante, terram promissam peteret et subigeret. Quae tres intercessiones correspondent quodammodo trinae Moysis supplicationi Ex. 32-34, qua primum obtinuit Moyses, ne deleretur populus, Ex. 32,14 : « Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum »; secundo impetravit, ut populum, non Iahve sed angelo ductore, deduceret in terram promissam, Ex. 33,1 sqq. : « Vade... non enim ascendam tecum »; tertio impetravit ut, plene restituto per secundas tabulas foedere, Iahve ipse in medio populi incederet, 33,14 : « Facies mea », persona mea, ego ipse, « praecedet te ». Sed intercessionum fructus referuntur h. l. ordine non historico sed rhetorico : tertio loco recensetur is, qui Ex. 33,1 sqq. secundum locum obtinet. Sc. oratoris argumentum hoc erat, ne Hebraei terra promissa potiti 9,4 suae iustitiae tribuerent prosperitatem, qua ib. fruituri essent : ergo terrae promissae possessionem ad finem pericopae 10,10 sq. relegat. Primae vero et tertiae intercessioni adscribit verba, se exauditum esse *etiam hac vice*.

v. 20 « *Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum* » *illo tempore*. Huius rei in Exodo non habetur mentio. v. 21 « *Peccatum autem vestrum, quod feceratis,* [*i. e.*] *vitulum, arripiens igne combussi et, in frusta comminuens omninoque in pulverem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit* ». Cf. Ex. 32,20. *Hebr.* : *et contudi conterens bene, usque dum minutum esset sicut pulvis*. Sicuti 1,6-4,40, ita neque hic orator usque adhaeret ordini chronologico. Narrata vituli aurei superstitione, refert primum v. 18-20 dierum 40 intercessio-

nem, qua Deum iratum placavit Moyses, dein v. 21 supplet illud, quod Moyses ante illam intercessionem egerat, vituli destructionem.

Orator v. 7 thesin statuerat, a die exodi aegyptiacae Hebraeos semper contra Iahven rebellasse. Eam stabilire orsus est uno facto rebellionis in monte Horeb factae fuse enarrato. At unum factum thesin generalem non probat : ergo alia quaedam facta compendio, non fuse adscribuntur. v. 22 « *In Incendio quoque et in Tentatione et in Sepulcris Concupiscentiae provocastis Dominum* » ; — verte : *Taberae quoque* (Num. 11,3) *et Massae* (Ex. 17,7 ; sed cf. ad Deut. 33,8) *et apud Qibroth ha-Taawa* (Num. 11,34) *ad iram provocastis Iahven* — v. 23 « *et quando misit vos de Cadesbarne dicens : Ascendite et possidete terram, quam dedi vobis, et contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis* » ; v. 24 « *sed semper fuistis rebelles a die, qua nosse vos coepi* ». *Sam. LXX* דעתו pro דעתי, ergo vertendum *coepit,* sc. Iahve : a die, quo voluit vobis esse Iahve, vosque in suum assumpsit populum (Ex. 3).

Rebelliones v. 22 non recensentur ordine chronologico, secundum quem Massa utique non secundo loco scribenda erat ; neque eo ordine necessario recensendae erant in tam summaria enumeratione. Quaeres, cur non attingat orator magnam illam apud Me Meriba rebellionem. Adverte, eum hac oratione Deut. 5-11 fuse tractare rebellionem Ex. 32, et obiter attingere Massam, Taberam, Qibroth ha-Taawa et Num. 13 sq. ; in oratione vero 1,6-4,40 fuse tractare rebellionem Num. 13 sq. et, quando integer ib. erat textus, fuse item sine dubio tractasse (v. s. p. 191 sq.) rebellionem in Me Meriba. Omnes totius populi rebelliones attingit ex ordine, dummodo orationum 1,6-4,40 et 5-11 ordo invertatur. Ceterum ad 33,8 discutiemus, annon nomine Massa ipsa fortasse Cades Barnea exprimatur.

Non illud solum, ne deleretur Israel, Moyses intercessione a Iahve impetravit, sed pristinae gratiae restitutionem, concessis secundis tabulis in arca levitarum curae permanenter commissis 9,25-10,9. v. 25 « *Et iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus* », totis illis continuis (bis את) diebus et noctibus, « *quibus eum suppliciter deprecabar* », *Hebr. quibus iacui,* non ob alium finem nisi ut efficerem, « *ne deleret vos, ut fuerat comminatus* » ; v. 26 « *et orans* » — *Hebr. intercedens* — « *dixi : Domine Deus, ne disperdas populum tuum et haereditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti* ». v. 27 « *Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac et Iacob : ne aspicias duritiem populi huius et impietatem atque peccatum* », v. 28 « *ne forte dicant* [*habitatores*]

terrae, de qua eduxisti nos : Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis, et oderat illos : idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine »; v. 29 « *qui sunt populus tuus et haereditas tua, quos eduxisti in fortudine tua magna et in brachio tuo extento* ».

Prima fronte narratio 10,1-5 videtur a narratione Exodi dissonare. Videtur quippe Deus iubere, ut uno eodemque tempore et tabulae dolentur et arca fabricetur; videtur arca fuisse perfecta, quo tempore Moyses cum tabulis montem conscendebat; Moyses de monte redux videtur recta arcam petiisse et in ea tabulas condidisse. Quare critici recentiores duas narrationes discordantes subodorati sunt. Verum adverte, quod iterum iterumque monebamus, narrationem hanc disponi ordine potissimum non historico, sed rhetorico. Nonne in priore item oratione 1,37 sq. loquebatur Moyses, acsi una eademque divina sententia ipse et populus fuissent ab ingressu terrae promissae interdicti? Nonne 5,22 (19) ita loquitur, acsi extemplo post pronuntiatum decalogum Deus sibi tabulas tradidisset? Simile quid agit h. l. Illud exigebat orationis consilium, ut narrarentur tabulae traditae et in arca Dei iussu constructa repositae; totum illud haud sane breve tempus, quod Beseleel aliique conficiendis rebus sacris impendissent, solemnitas erecti et consecrati sanctuarii silentio erant praetermittenda. Ergo mandatum dolandi tabulas Ex. 34,1 et alterum, quod antea Ex. 25,10 editum fuerat, struendae arcae in unum 10,1 mandatum congerit orator. Una v. 3 sententia refert et arcam et tabulas esse praeparatas; et nota, illud arcam *feci* idem sonare atque *fieri iussi*. Moysen describit de monte cum tabulis descendentem et recta veluti sanctuarium petentem. Quae omnia vere ita describuntur per modum brevis conspectus rhetorici. Indidem fortasse explicatur, cur hic Deus dicatur *inscripsisse* tabulas : inscripsit sc. non per se sed per Moysen, saepe iubenti factum tribuitur, quod iussus alter exsecutus est. Cf. Ex. 34,27 sq. Neque erat h. l. diserte affirmandum, secundas tabulas non esse scriptas digito Dei uti priores : cum orator potius demonstrare studeat, intercessione Moysis foedus et amicitiam esse plene restituta.

Cap. X v. 1 « *In tempore illo dixit Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem, faciesque* » *tibi* « *arcam ligneam* »; v. 2 « *et scribam* » — soli *LXX scribes*, sed v. 4 legunt uti reliqui — « *in tabulis verba, quae fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca* ». Responsum Iahve ad intercessionem 9,26-29 hoc fuit, ut manifestaret voluntatem foederis cum Hebraeis plene redintegrandi. Procuravit

tabulas futuras foederis documentum, providit arcam, in qua tabulae conderentur et supra quam ipse habitaret, tabulas et arcam commisit curae Levitarum, quorum ipse praesens futurus esset haereditas. v. 3 « *Feci igitur arcam de lignis setim; cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus* ». v. 4 « *Scripsitque in tabulis iuxta id, quod prius scripserat, verba decem, quae locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est, et dedit eas mihi* ». v. 5 « *Reversusque de monte descendi et posui tabulas in arcam, quam feceram, quae hucusque ibi sunt, sicut mihi praecepit Dominus* ».

Fragmentum itinerarii Deut. 10,6 sq.

Sequentes duos versus interpretaturus *Calm.* : « Aegre admodum », inquit, « divinando assequimur, quid Moysen coegerit orationem suam hac narratione intercipere. Sed intima Dei consilia penetrare nefas est homini, satisque ad exigendum obsequium nostrum habendum est, si noverimus scripturam per omnes sui partes canonicam auctoritatem sibi vindicare ». Reapse hi duo versus a proximo contextu penitus sunt alieni. Agitur in illis de populo tertia persona, cum secus orator de populo semper loquatur secunda persona. v. 5 orator versabatur in monte Sinai, v. 6 profectio fit de Beroth, loco cui Num. 33,30 sq. nihil omnino memoria dignum actum attribuitur. Sed v. 10 sq. orator tamen adhuc versatur in monte Sinai, v. 8 sq. narratur assumpta ad sacra ministeria tribus Levi, quod item ad montem Sinai factum est. v. 6 sq. evidenter est fragmentum itinerarii Hebraeorum correspondens Num. 33,30-33. Beroth Beneiaacan idem est atque Beneiaacan, cum filii Iaacan censendi sint prope suos puteos incoluisse (*Bonfr.*), Mosera eadem est quae Moseroth, nomina Gadgad et Ietebatha utrobique habentur. Sed dissonat item noster textus a textu Num. 33. Mosera scribitur non ante sed post Beneiaacan, quod quidem cum *Calm.* scribae errori attribui potest. Praeterea autem Moserae adscribitur mors Aaron, quae Num. 20, 22 sqq.; 33,38 monti Hor attribuitur. Gadgad non appellatur « mons », sed Ietebatha accuratius describitur. Habemus igitur h. l. non nudam repetitionem textus Num. 33,30-33, sed alteram eiusdem recensionem. Quae, quod pericopae 9,25-10,11 assuta sit perquam inepte et praeter omnem contextum, omnino censenda est esse dubiae auctoritatis; qui dubiae auctoritatis textus nequit obiici textui Num. 20; 33, neque illo movemur, ut contra hunc aut Moseram postponamus stationi Beneiaacan, aut Aaronem non in monte Hor vita functum esse

defendamus. Illud nos textus utique docet, sua in manibus etiam antiquorum Hebraeorum sacrum textum habuisse fata. v. 6 « *Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius* »; v. 7 « *inde venerunt in Gadgad, de quo loco profecti castrametati sunt in Ietebatha, in terra aquarum atque torrentium* ».

Argumenti Deut. 10,5 continuatio.

v. 8 producit narrationem, quae v. 5 fuerat abrupta : ergo *eo tempore* non refertur ad tempus, quo Hebraei in statione Ietebatha versabantur (!), sed ad tempus circiter, quo Moyses cum secundis tabulis de monte descendit; tempus certe ante discessum de monte Sinai. Et sicut v. 1-5 demonstraverat, quam arcte *arca* connecteretur cum restituta in monte Sinai Iahve erga Hebraeos gratia, ita v. 8 sq. demonstrat arctum nexum inter eandem gratiam et inter honorem *tribui Levi* collatum. Et, quia v. 1-5 agebatur de *arca*, ideo v. 8 inter praerogativas tribus Levi primo loco effertur *portare arcam*, licet ea nequaquam fuerit nobilissima tribus Levi praerogativa. Agit itaque textus de *tribu Levi*, ergo de sacerdotibus et levitis, non de solis sacerdotibus neque de solis levitis. Potestas *benedicendi* Num. 6, 22-27 solis sacerdotibus fuerat collata. *Portare* res sacras, etiam arcam, Num. 4,1 sqq. committitur quidem levitis, ad exclusionem hominum aliarum tribuum, sed non necessario ad exclusionem Aaronitarum; quorum numerus ubi primum augeri coeptus est, gestavere ipsi prae levitis *arcam*. Cf. Ios. 3,3 sqq.; 6,6-12 et imprimis Deut. 31,9 et Ios. 8,33, ubi sacerdotes simpliciter vocantur « arcae gestatores ». *Stare coram Iahve*, i. e. illi servire, dicitur de sacerdotibus Deut. 17,12; 18,7 etc., dum levitae Num. 16,9; Ez. 44,11 dicuntur stare coram ecclesia, coram populo. שרת scribitur de *ministerio* honorifico, imprimis sacro, sacerdotum (21,5; cf. 17,3; 18,5.7 etc.), levitarum (Num. 8,26), imo aliorum (1 Reg. 2,11. 18; 3,1). Scribuntur autem levitae *ministrare* sacerdotibus (Num. 3,6; 18,2) et populo (Num. 16,9). Cf. *Dr.* Celebrat igitur v. 8 praerogativas universae tribui Levi, potissimum sed non exclusive in persona sacerdotum, collatas. Quod confirmat etiam v. 9, ubi *Levi* idem sonat atque v. 8 *tribus Levi*. Appellatur autem prior aliqua *promissio* Iahve (cf. 12,12; 14,27. 29; 18,1 sq.; Ios. 13,14. 33; 18,7). Haec promissio fere verbotenus habetur Num. 18,20, quem versum proloquitur quidem Iahve ad Aaronitas; sed illico v. 21-24 pronuntiat, levitas quoque non habituros esse partem, haereditatem, possessionem, i. e. *territorium proprium* in Israel : etenim decimae aeque

parum sunt pars et haereditas levitarum, atque decimarum decimae sunt pars et haereditas sacerdotum; non decimae, non primitiae, non victimarum lectae portiones veniunt nomine partis et haereditatis. Ergo ex tenore legis Num. 18,20-24 tam levitae quam sacerdotes non aliam habent possessionem in Israel praeter Iahven, et merito noster v. 9 verba Num. 18,20 tamquam Iahve effatum toti tribui Levi applicat. v. 8 « *Eo tempore separavit* » *Iahve* « *tribum Levi, ut portaret arcam foederis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in praesentem diem* ». v. 9 « *Quamobrem non habuit Levi partem neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus* ». Ita ipse Levi monumentum veluti fit restituti foederis; non enim, nisi certissime hoc foedus esset restitutum, Levi renuntiasset possessionem, quae illi inter fratres iure obtigisset.

Sua tandem intercessione a Iahve misericordia obtinuit Moyses veniam populi in terram promissam deducendi. Nihil igitur in universis ad montem Horeb actis est, quod populus suae iustitiae acceptum tribuere possit. Redit v. 10 oratio tertio (9,18. 25) ad eandem Moysis intercessionem : quid praeter ante petita efflagitaverit, ostendunt Dei v. 11 verba.

v. 10 « *Ego autem steti in monte sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus : exaudivitque me Dominus etiam hac vice* » (cf. ad 9,19). « *et te perdere noluit* ». Extrema igitur pericope repetit orator illud, quod eiusdem initio 9,25 cum emphasi affirmaverat, quanto sc. sibi constiterit, ut Iahve erga Hebraeos gratiam redintegraret; rursumque affirmat faustum suae intercessionis effectum. Est haec iusta quaedam captatio benevolentiae, sed potissimum iuvantur Hebraei, ut agnoscant, quantae iniustitiae (9,6) rei fuerint. v. 11 « *Dixitque mihi : Vade et praecede populum, ut ingrediatur et possideat terram, quam iuravi patribus eorum ut traderem eis* ». Hic versus verbotenus, quatenus id compendio fieri potest, et omissa finium terrae promissae descriptione, repetit 1,7 sq., et non aeque verbotenus Ex. 33,1, atque ita pericope 9,25-10,11 perducit narrationem ad illud praecise punctum, unde 1,7 illam continuat.

Attende vero in his omnibus Moysis argumentum. Qui 9,1-10,11 in eo est, ut Hebraeis inculcet, non ob eorum iustitiam eos a Iahve electos esse, cuius rei irrefragabile documentum plurimae eorum sunt iniustitiae, ea potissimum quam in ipsa foederis in monte Horeb sanctione admiserant. Ipsum factum Moyses exaggerat 9,8-21, eius gravitatem confirmat demonstrata trina intercessione, qua illud sibi fuerit reparandum. Verum ipsum argumentum de Hebraeorum

iniustitia subordinetur tandem oportet generali orationis proposito de auctoritate et observatione mandatorum. Quod fit 10,1-11. Sc. fructus alter intercessionis Moysis is fuit, ut Iahve secundas tabulas dolari mandaverit, iis eundem decalogum (per Moysen) inscripserit, iis asservandis arcam, arcae portandae Levitas deputaverit, Hebraeos arcam in medio agmine habentes iusserit terram promissam ingredi et subigere. En tibi Hebraeis continuo praesentem arcam, et in arca tabulas, et in tabulis mandata decalogi. Nonne summa reverentia et studio observanda mandata decalogi primum, sed reliqua item mandata, quae cap. 5 eiusdem cum illis demonstrabantur esse auctoritatis? Quare 10,13 omnium rursus mandatorum, non solius decalogi observationem exigit Moyses. Perpetua apud se monumenta auctoritatis mandatorum habent Hebraei, arcam et Levitas; quae monumenta veluti appellans Moyses in vehementem v. 12 prorumpit interrogationem: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te etc.? » Profecto parum petit, qui tantum praestitit.

Sequitur tandem v. 12-22 longioris huius argumenti epilogus. « Redit ad principale intentum », ait *Cai.* « Postquam enim declaravit, quod non propter iustitiam suam populus introducitur in terram promissam, ad observationem mandatorum revertitur monendo, ad timendum amandumque Deum ac servandum mandata eius, a duobus : tum ex eo, quod Deus conferens tibi tot et tanta, nihil aliud a te exigit; tum ex eo, quod hoc exigit propter bonum tuum. Haec enim duo motiva continet prima haec ratio ». Igitur ille Iahve, qui Hebraeos post tot iniustitias in plenam gratiam recepit eisque terram promissam attribuet, id *unum* vicissim postulat, ut se perfecte diligant et dilectionem observatione mandatorum *hodie* (v. 13) promulgatorum comprobent; idque postulat propter *ipsorum* bonum. v. 12 « *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in* » *omnibus* « *viis eius, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua* », — haec quatuor esse practice unum, etiam inde patet, quod illud *in toto corde tuo etc.*, quod certe potissimum refertur ad *diligas*, constructione adnectatur verbo *servias* (*LXX* λατρεύειν) — v. 13 « *custodiasque mandata Domini et ceremonias eius, quas ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi?* » Parum est, quod postulat. « Numquid iniqua postulat? Numquid merito queramini, vos duris nimium oneribus opprimi? » (*Calm.*). Praeterea illud postulat, quod ipsis procurabit prosperitatem.

Alterum argumentum est ex amore, quem Deus exhibuit Hebraeis. Quod argumentum exaggeratur primum e Dei super mundum uni-

versum eminentia, dein ex amoris duratione, qui aevo patriarcharum manifestari coeptus sit, et singularitate, qui Hebraeos praetulerit ceteris gentibus. v. 14 « *En, Domini Dei tui coelum est et coelum coeli* », « coeli altissimi » (*Sa*), « *terra et omnia, quae in ea sunt* ». v. 15 « *Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos,* [*i. e.*] *vos, de cunctis gentibus, sicut hodie* [*comprobatur*] ». v. 16 « *Circumcidite igitur praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius* ». Eandem *incircumcisi cordis* imaginem habes Lev. 26,41. Nota, auditorum plerosque tum non habuisse (Ios. 5,4 sqq.) circumcisam carnem urget igitur Moyses, ut per observationem mandatorum circumcisionem cordis etiam praemittant circumcisioni carnis.

Tertium argumentum petitur ab excellentia Dei (*Cai.*). v. 17 « *Quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et dominus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit nec munera* », — cf. Ex. 23,8; Deut. 1,17; 16,19; 27,25; 28,50; *iustus* in puniendis iis, qui dura sint cervice (*Kn.*); sed iustitia eius expers est earum imperfectionum, quae in hominibus iudicibus reperiuntur, estque iuncta suavissimae erga miseros *misericordiae* — v. 18 « *facit iudicium pupillo et viduae, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum* », ergo misericors erga egenos. v. 19 « *Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenae in terra Aegypti* ». Cum haec oratio tota generalem mandatorum observationem inculcet, sitque ab eius scopo plane alienum specialia quaedam mandata inculcare, ideo hic versus accipiendus erit pro parenthesi aliqua : Moyses de peregrinorum commodis semper sollicitus, non potuit, eorum nomine pronuntiato, ab eis commendandis abstinere. Cf. Ex. 20,10; 22,21 (20); 23,9.12; Deut. 1,16; 24,14.17; 27,19; cf. 14,23; 16,11.14; 24,19 sqq.; 26,11 sqq. Quodsi tibi tamen hoc monitum videatur nimium esse a scopo orationis alienum, maluerisque illud piae recentioris cuiusdam manui e Lev. 19,34 ad verbum transscriptum tribuere (*Dillm.*), equidem non infitior. Porro propter illam Dei omnimodam excellentiam v. 20 : « *Dominum Deum tuum timebis et ei* [*soli*] *servies; ipsi adhaerebis iurabisque in nomine illius* ». Cf. 6,13.

Pro conclusione pericopae 10,12-20 adscribuntur v. 21 sq., veluti doxologia quaedam. v. 21 « *Ipse est laus tua* », laudis thema, laudis inquam sacrae, « *et Deus tuus, qui fecit tibi haec magnalia et terribilia, quae viderunt oculi tui* ». Ut ad laudem excitet, provocat igitur primum ad exodi portenta; dein appellat praesentes numeros e minimis initiis feliciter auctos v. 22 : « *In septuaginta animabus des-*

cenderunt patres tui in Aegyptum, et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra coeli ». Cf. Gen. 46,27; Ex. 1,5; Deut. 1,10.

4. *Specialis obligatio eorum, qui omnium inde ab exodo portentorum testes exstitere immediati, Deut.* 11,1-9.

Arg. — Priora argumenta orator ex aequo Hebraeis omnibus proposuerat; extrema pericope orationem convertit ad illos, qui omnium inde ab exodo portentorum testes fuerant oculati, ad eos igitur, qui tempore rebellionis Num. 13 vigesimum annum nondum attigerant, erantque reliquis eius auditoribus aetate provectiores; non vero ad eos, qui in deserto nati sunt, quique v. 2 intelliguntur vocibus *filii vestri*. Explicat, quomodo ii, qui portentorum testes oculati exstiterint, specialem habeant obligationem custodiendorum mandatorum atque edocendorum de illis posterorum suorum.

Cap. XI v. 1 « *Ama igitur Dominum Deum tuum, et observa praecepta eius et ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore* ». Hic ad *statuta, iudicia, mandata* accedunt משמרת, *observationes*, vox uti patet synonyma, quae secus in Deut. non legitur: cf. Gen. 26,5; Ios. 22,3; 3 Reg. 2,3; de speciali mandato Lev. 8,35; 18,30; 22,9; Num. 1,53; 3,28; 9,19. 23. Cf. *Dr*. Porro ad eos inter suos auditores Moyses conversus, qui portenta Aegypti suis ipsi oculis adspexerant, affirmat eos debuisse quidem dudum *cognoscere*, illa omnia Iahven patrasse, ut eos ad suorum mandatorum observationem induceret; id vero potiori iure debere cognoscere *hodie*, quando praeter ipsa Iahve mandata Moyses illis tam luculenter explicavit custodiendorum mandatorum motiva. v. 2 « *Cognoscite hodie, quae ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia eius et robustam manum extentumque brachium* ». וידעתם היום כי לא את בניכם אשר לא ידעו ואשר לא ראו את מוסר יהוה אלהיכם ..... כי עיניכם הראת. v. 2-9 una est sententia longior et nonnihil intricata. Ubi *Keil* adstruit parenthesin et supplet vocem unam : « Scitote igitur (non ad filios vestros *loquor*, qui non sciverunt neque viderunt) eruditionem Iahve ». Moyses in tota hac oratione ad *omnes* Israelitas loquitur, imo ad filios per patres, quos monet ut filios eadem edoceant (cf. v. 19). *H. Ewald* (Ausführliches Lehrbuch der hebräischen Sprache, 7. Ausg. Göttingen 1863, § 277[d]) : « Scitote igitur (non filios vestros *in mente habeo* etc.) eruditionem Iahve ». Quod fere idem sonat atque : non *de* filiis vestris *loquor*. Aptius את interpretare : *quoad* et, missa parenthesi, verte : Scitote hodie, non quoad filios vestros, qui non

sciverunt neque viderunt eruditionem Iahve etc., sed oculis ipsi vidistis. In quod recidit *Cai.* : Scitote hodie, quod non filii vestri, qui non sciverunt etc., sed vos ipsi oculis vestris vidistis magnalia Iahve. Prae iunioribus alloquitur illos, qui testes oculati exstitere exodi aegyptiacae et rebellionis Core, uno verbo *disciplinae Iahve,* מוסר, quam vocem recte vertunt *LXX* παιδείαν, *Chald. eruditionem,* minus recte *Bonfr.* « punitionem ». Agunt quidem v. 3-6 de punitione Aegyptiorum et Core, sed haec punitio fuit Israelis *eruditio*. Eruditionis vero duo seligit orator capita, quorum alterum, seditionem Num. 16 hucusque nullatenus, prius, transitum Maris Rubri obiter tantum attigerat : v. 3 « *signa et opera, quae feci in medio Aegypti Pharaoni regi et universae terrae eius* », v. 4 « *omnique exercitui Aegyptiorum, et equis ac curribus : quomodo operuerint eos aquae Maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in praesentem diem* »; — *Hebr. : fecit redundare aquas Maris Suph coram eis;* הציף videtur scriptum ob assonantiam cum סוף — v. 5 « *vobisque quae fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum* »; — quae verba complectuntur omnem eruditionem per totum desertum, portenta effecta tam in favorem quam in poenam Hebraeorum (*Keil*) — v. 6 « *et* » *quae fecerit* « *Dathan atque Abiron filiis Eliab qui fuit filius Ruben, quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus* », « filiis et familiis » (*Lap.*), « *et tabernaculis et universa substantia eorum, quam habebant, in medio Israel* », universo populo spectante. Ad ברגליהם cf. Ex. 11,8 et 1 Reg. 25,27. Adverte, Moysen meminisse solius Rubenitarum Num. 16, non Coreitarum, qui Levitae fuerant, rebellionis : superstes aderat familia Core, dum Dathan et Abiron cum familiis fuerant absorpti.

Sequitur tandem altera pars sententiae, quae v. 2 inchoabatur : Scitote, attente perpendite vos omnium v. 2-6 narratorum fuisse testes immediatos : v. 7 *quia* « *oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quae fecit* »; et ad eum quidem finem id vobis concedebatur, ut illa divina eruditione induceremini ad mandata servanda atque ita promerendam terrae promissae perennem et prosperam possessionem : v. 8 « *ut custodiatis universa mandata* [*illius*], *quae ego hodie praecipio vobis, et possitis introire et possidere terram, ad quam ingredimini* » *possidendam;* — *Hebr.* : *custodite igitur, ut roboremini et ingrediamini* — v. 9 « *multoque in ea vivatis tempore; quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris et semini eorum, lacte et melle manantem* ».

5. *Terrae promissae indoles Deut.* 11,10-25.

Arg. — Terrae huius fertilitas non tantopere, quantopere Aegypti, pendet ab aquis humana industria in illam derivatis, sed potissimum a pluviis, quas Iahve immittet aut cohibebit, prout Hebraei mandata a Moyse *hodie* (v. 13) promulgata servabunt aut negligent. Quare sedulo abstinendum ab idololatria, filii edocendi mandata; quo facto Hebraei plena de hostibus victoria fruentur.

v. 10 « *Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, ubi iacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae* ». *Hebr.* : *ubi semen seris et pedibus irrigas sicut hortum virentem,* planum.

Testatur mihi *P. Iullien S. I.*, in epistola 28 Iul. 1898 data, se vidisse in Aegypto superiore machinam ad irrigandos agros, cui nomen *shaduf.* Secus flumen vel fossam aquarum trabs quaedam tumulo terreo pendula innititur. E cuius extremo uno dependet saccus e corio ad hauriendam et attollendam aquam; alteri extremo pondus aliquod imponitur, saxa, terra. Puer de posteriore in anterius extremum procurrens demittit saccum in aquam, atque inde in posterius extremum regressus plenum saccum attollit; alii trabem circulo circumagunt, quoad saccus canali cuidam supereminens aquas effundat. Testatur idem, se eiusmodi machinam depictam conspexisse in sepulcro viri Apui 20ae dynastiae, et aliorum. Habes hic igitur modum agrorum irrigandorum *pedibus*, pedibus inquam pueri illius. — Qui modus certe non facilis, sed operosus, neque solis pedibus fit, sed brachiis eorum qui trabem circumagunt. Tamen noster textus videtur exprimere modum *facilem*, qui totus constet post semen iactum labore quodam pedum. En tibi igitur modum alterum. Agri in Aegypto, uti alibi, tenuibus secantur canalibus; hi, ubi flumen attingunt, tenui obiecta humo ab aquis praecluduntur. Quando tempus irrigandorum agrorum adest, agricola agrum obambulat, illam humum disiiciens pede; qua disiecta influit aqua. Hic labor facilis, totusque pedibus perficitur. — Verba produnt Hebraeos novisse, et quidem non in Aegypto solum, morem irrigandi hortos olerum, aquis pede in cuniculos immissis : noverint eum morem patriarchae in Chaldaea et Chanaanitide, viderint ipsi Hebraei in Moabitide etc.

v. 11 « *Sed montuosa est et campestris, de coelo exspectans pluvias* ». *Hebr.* : *terra montium et vallium, secundum pluviam caeli potatur aquam.* « Irrigatio potissimum fit per pluviam » (*Kn.*). Cui consonat *Abulfeda* (Tab. Syriae, ed. Köhler p. 9) : « Palaestina utitur pluvia, arboresque eius et sata rigantur tantum a coelo, solam Neapolim excipias, quae scatet rivis manantibus ». Est utique eadem etiam terra rivorum et fontium (8,7); tamen horum aquae minime sufficiunt irrigandis agris, sed accedat oportet pluvia. Cf. *Dr.* v. 12 « *Quam Dominus Deus tuus semper invisit* », semper *curam agit eius* (*Hebr.*), « quaerit ipsam visitando per singulas partes, et con-

tinue oculi eius prospiciunt a principio anni usque ad finem, providendo singulis temporibus de pluvia opportuna » (*Cai.*). « *Et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem eius* ». His sane exprimitur regionem esse eximie fertilem; reddet tamen segetes largiores vel pauciores, prout incolae mandata servaverint vel neglexerint: v. 13 « *Si ergo obedieritis mandatis meis, quae ego hodie praecipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro et in tota anima vestra* », v. 14 « *dabit* » — ita *Sam. LXX Vulg.* contra *Hebr. Chald. Syr. dabo* — « *pluviam terrae vestrae temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum et vinum et oleum* », mustum et oleum recens, v. 15 « *foenumque* », herbam, « *ex agris ad pascenda iumenta; et ut ipsi comedatis ac saturemini* ». In Palaestina incipit pluvia temporanea mense Octobri vel Novembri, non continua, ut agricola possit serere, copiosior exeunte Decembri; pluvia serotina incipit mense Martio vel Aprili, maturatque segetes. Utraque, uti patet, est necessaria fertilitatis conditio. v. 16 « *Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos* »; v. 17 « *iratusque Dominus claudat coelum, et pluviae non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis* ».

v. 18-20 fere idem sunt cum 6,6-9. v. 18 « *Ponite haec verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate* ». v. 19 « *Docete filios vestros, ut illa meditentur* », — verte, uti 6,7 : *ut de illis loquaris* ad filios, rem constanter inculcando — « *quando sederis in domo tua et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris* », domi et foris, vespere et mane, ubique et semper. v. 20 « *Scribes ea super postes et ianuas domus tuae* », super postes domus et ianuas urbis, v. 21 « *ut multiplicentur dies tui, et filiorum tuorum in terra, quam iuravit Dominus patribus tuis ut daret eis, quamdiu coelum imminet terrae* », ergo in perpetuum.

Observationem mandatorum consequetur victoria de hostibus et secura totius terrae promissae possessio. Non adscribitur hic, uti Lev. 26,17; Deut. 32,21 sqq., neglectum mandatorum fore puniendum cladibus ab inimicis infligendis. v. 22 « *Si enim custodieritis mandata, quae ego praecipio vobis, et feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis eius adhaerentes ei* », v. 23 « *disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas* », seu verius *possessione privabitis* (9,4 sq.; Ex. 34,24), « *quae maiores et fortiores vobis sunt* ». v. 24 « *Omnis*

locus, quem calcaverit pes vester, vester erit : a deserto et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri ». Meminit *Calm.* quorumdam vertentium « a deserto usque ad Libanum »; is utique est sensus; tamen correctioni ועד הלבנון non est locus, cum verba uti h. l. repetantur Ios. **1,4** (*Dillm.*) atque revera illum etiam sensum exprimant. Designatur terminus terrae sanctae meridionalis, septentrionalis, orientalis, occidentalis (*Tost.*). *Desertum* intelligitur illud ad meridiem cisiordanicae, non vero alterum ad orientem transiordanicae : agitur quippe de sola cisiordanica subigenda. v. 25 « *Nullus stabit contra vos* » (**7,24**) : « *terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis* ».

6. *Praemia et poenae Deut.* **11,26-32.**

Arg. — Ultimum paraeneseos argumentum simul est transitio ad alteram thorae partem, benedictiones et maledictiones cap. **28**, quod caput primitus immediate consequebatur cap. **11**. Petitur argumentum e benedictionibus concedendis iis, qui mandata *hodie* lata, i. e. thoram, observaverint, et e maledictionibus infligendis iis, qui eadem neglexerint. Quae ne aliquando memoria excidant, Hebraei cisiordanicam ingressi earum monumentum consecrabunt montes Garizim et Hebal. Concluditur paraenesis v. 31 sq. repetito monito servandae thorae.

v. 26 « *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem* » : v. 27 « *benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis* »; v. 28 « *maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis* ». *Propono, Hebr. do, pono,* non idem sonat atque « optionem do » (*Bonfr.*), licet utique optionem habeant Hebraei, cum libero arbitrio praediti sint : sed ita *proponuntur* haec populo, uti v. 29 *ponuntur* in montibus, et uti constanter oratione sua leges *ponit ante faciem* populi Moyses. Quomodo autem maledictio et benedictio imponuntur montibus? Per Moysis mandatum et solemnitatem, quam ib. habuit Iosue, memoria illius benedictionis et maledictionis imponebatur illis montibus, connectebatur cum illis; ipsi pro Israelitis illos intuentibus fiebant rerum monumenta et documenta. Simili ratione *hodie* benedictio et maledictio *ponuntur coram populo,* ei proponuntur, ut memoria reconditae fiant veluti permanens monumentum et documentum. v. 29 « *Cum vero intro-*

duxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal »; v. 30 « *qui sunt trans Iordanem post viam, quae vergit ad solis occubitum, in terra Chananaei qui habitat contra Galgalam, quae est iuxta vallem* [*tendentem et intrantem*] *procul* ».

Lectione aliqua *LXX* αὐλῶνος (= אלונֵי!) videtur inducta esse *Vulg.*, ut verteret *vallem*. *Procul* ortum videtur e corrupto מרה in מרחק. Alia explicationis gratia adscribebantur. — *Garizim* nihil habet commune cum gente גרזי 1 Reg. 27,8, quae est lectionis dubiae et, si lectio retineatur, incoluerit oportet tractum meridionalem terrae promissae. — Certum est, prope Sichem fuisse montem aliquem Garizim Iud. 9,7. Sed si radicis sensus revera sit *resecuit, segregavit* (*Ges.*; cf. *Eus.-Lagarde* 18,24;35,27 *divisio, abscissiones*), ut significetur mons e planitie assurgens, ab aliis montibus praecisus, potuere duo diversis locis montes eodem illo nomine appellari. Cum igitur prope Sichem reapse habeatur mons Garizim appellatus, etiamsi *supponatur* ille mons esse diversus ab illo Deut. 11,29, tamen facillime intelliguntur Sichemitae, memores Deut. et Ios., alterum montem eidem obiectum appellaturi fuisse *Hebal*, eorumque posteri bona fide autumaturi fuisse, hos esse ipsos montes a Moyse appellatos. Descriptionem Deut. 11,30 non evidenter intelligendam esse de montibus prope Sichem, colligitur fere inde, quod *Sam.* ei adscribendum iudicaverit *ex opposito Sichem*. — Reapse plura sunt in descriptione, quae suadeant non intelligi montes prope Sichem sitos. Traduntur illi esse *in terra Chananaei incolentis Arabam*, i. e. vallem Iordanis : atqui Sichem longe abest ab Araba. Siti etiam sunt *ex opposito Galgal*, quo nomine intelligendus videtur locus ille in actis Iosue frequenter appellatus, qui satis probabiliter statuitur situs fuisse inter Ierichuntem et Iordanem, ubi nunc Tell Dschildschul. Describit sane illos montes Iosue e loco Hebraeis magis noto, quam ipsi montes : porro locus quem illi tum utique norant, quod haud longe abesset, erat Galgal in Araba, non erant alia quaedam per terram sanctam Galgal, quae varii auctores divinantes suggerunt. Obiicies, duos montes prope Galgal Arabae sitos debuisse conspici ex ipsis Moysis castris, ergo non fuisse describendos per Galgal et quercum Moreh. Sed id equidem nego. Scribuntur illi montes fuisse *ad occidentem* castrorum Moysis : atqui Sichem est fere magis aquilonem quam occasum versus. Accedit traditio, quam nobis servarunt *Euseb.* et *Hier.* (*Eus.-Lagarde* 126,4 sqq.; 242,79 sqq.; 243,89) : « Sunt autem iuxta Iericho duo montes vicini, contra se invicem respicientes, e quibus unus Garizim, alter Gebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur, hos duos montes iuxta Neapolim esse, sed vehementer errant : plurimum enim inter se distant, nec possunt invicem benedicentium sive maledicentium inter se audiri voces, quod scriptura commemorat ». Sed montes illi etiam describuntur fuisse *ad latus quercuum* seu *quercus* (*Sam. LXX*) *Moreh*. Habetur autem *quercus Moreh* prope Sichem Gen. 12,6;35,4. At habetur etiam *collis Moreh* Iud. 7,1 in valle Iezrael, procul tam Sichimis quam Galgalis. Potuere ergo plures esse *quercus Moreh*, maxime si, ut quibusdam placet, nomen sonet *quercum doctoris* seu *prophetae* (cf. Iud. 4.5) : habuerint Chananaeae tribus suos prophetas, uti Ammonitae Balaamum, oracula ediderint illi sub quercubus, uti Debbora sub palma. Tam Deut. 27,4 quam Ios. 8,30 (cf. 9,6) suggerunt, montes fuisse prope Iordanem, in ipsa Araba.

Iteratur tandem monitio servandorum mandatorum. v. **31** « *Vos enim transibitis Iordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis et possideatis illam* » : v. **32** « *videte ergo, ut impleatis ceremonias atque iudicia, quae ego hodie ponam* », seu verius *posui,* « *in conspectu vestro* ».

THORAE EMBLEMA PRIUS :

COLLECTANEUM LEGUM DEUT. 12,1-26,15, SEU
SAMUELIS IUDICIUM REGNI 1 Reg. 10,25.

Praenotanda.

I. DE LEGUM COLLECTANEI INDOLE ET STRUCTURA.

1. De *formulis interspersis*, quibus collectanei statutis auctoritas verarum legum divinarum attribuitur, vide p. 112 sqq.

2. De *legum initiis* universim spectatis dicebamus CEL p. 22.357. 418.472. Cf. etiam id, quod supra p. 20 sqq. monebamus.

a. In *prima* et *secunda collectanei serie* deprehenduntur leges plures, quae constant *themate* et *novellis*. Thematum initia potius absoluta, dum novellae fere ordiuntur voce כי.

Cap. 12 pro *themate* praefigitur tota antiqua lex v. 2-7, absolute incipiens vocibus אבד תאבדין, habens *novellas* tres (cf. v. 32 vocem דבר) incipientes v. (9). 20.29 voce כי; et cum lex etiam cap. 13 uti illa cap. 12 referatur ad cultum divinum, habeatque tres paragraphos ordientes v. 1.6.12 (2.7.13) voce כי, habebis 12,8-13,18(19) veluti sex novellas illius legis 12,2-7.

Leges antiquissimae de ritibus funebribus et de cibis 14,1-21, contextae inter se formulis v. 1 sq. 21, quae Levitici sunt affines, habent initia absoluta negativa v. 1.3.21^{b}.

Lex 14,22-29, quae est de decimis, *thema* annuntiat praefixis v. 22 absolute vocibus עשר תעשר; similiter atque lex de primogenitis 15, 19-23 pro *themate* v. 19 praefigit expressionem כל הבכור. 14,28 initium paragraphi habes absolutum. Lex vero de anno remissionis 15,1-18 pro *themate* v. 1 breviter antiquam legem resumit : « septimo anno facies remissionem », cui praemissa v. 2 inscriptione וזה דבר (« Haec vero est explicatio ») subnectit *novellas* tres v. 2^{b}-6.7-11.12-18, quarum prior habet initium absolutum, reliquae ordiuntur voce כי.

Lex de tribus solemnitatibus 16,1-17 habet initia paragraphorum absoluta v. 1.9.13.16. Qua in re ea presse adhaeret antiquioribus de eadem materia legibus, quarum non novellas tradit, sed tantum relaxationes quasdam.

Lex de iudicibus 16,18-17,13 breve 16,18-20 pro *themate* praemittit priorum de eadem materia legum summarium, praefixa absolute voce שפטים, quae legis materiam exprimit. Sequuntur *novellae* incipientes 16,21 sq.; 17,1 negatione לא, et 17,2.8 voce כי. Cui legi de iudicibus *novellae* instar adscribitur etiam 17,14-20 lex de rege aliquando instituendo.

Rursum lex de sacerdotibus 18,1-8 pro *themate* resumit v. 1 sq. mosaica statuta, quibusdam mutatis, dein v. 3 inscriptione וזה יהיה משפט (« Haec vero erit praxis ») adnectit duas *novellas* v. 3-5.6-8 (v. 6 כי); atque rursum voce כי v. 9 adnectit, veluti aliam *novellam* de materia cognata, legem de prophetis.

Item lex de civitatibus refugii 19,1-13 breve v. 2 praemittit *thema* : « tres civitates separabis tibi », intextum tamen v. 1-3 oratorio cuidam exordio; dein v. 4 inscriptione וזה דבר explicationes adnectit : v. 4. 11 כי; monitum vero v. 7-10 orditur voce ואם.

Brevis lex 19,14, quae est de terminis, orditur voce לא. Lex de testibus 19,15-21 primum negative enuntiat *thema* v. 15, cui voce כי v. 16 adnectit *novellam*. Tandem lex de bello cap. 20 tribus constat paragraphis, quae v. 1.10.19 ordiuntur voce כי.

Vides, has leges, antequam *colligerentur, crevisse* : antiquiori legi, quae aut tota aut summario praemittebatur, aut unica paucisve vocibus indicabatur, adscribebatur posterioris aevi *praxis, explicatio* etc. Quibus antiquior lex quandoque complebatur, saepius vero relaxabatur temporumque necessitatibus accommodabatur. Quarum legum aliquae quamdam inter se prae se ferunt affinitatem, eandemque respiciunt temporum conditionem : 12,8-32; 14,22-29; 15,19-23; 16,1-17; 16,18-17,13; 18,1-8. Quae affinitas patet cum ex illis legibus universim inspectis, tum e quibusdam expressionibus et ideis, quae usque repetuntur, suntque de loco, quem elegit Iahve, de sacerdotibus Levitis, de Levitis pauperibus, de sacris apud sanctuarium conviviis a populo celebrandis, cui conceduntur plura, quae a Moyse fuerant tribui Levi reservata, etc. Ceterum, si reliquae primae et secundae seriei leges non easdem has expressiones habent, ratio ea est, quod eae, de quibus tractant, materiae non praebeant occasionem earumdem expressionum adhibendarum.

Legum harum incrementa omnino profecta sunt e radicibus *mosaicis*. Pro solis legibus, quae de rege sunt et de bello, non habetur Ex.-Num. textus, quem comparemus. Sed legem de rege ostendemus quoad substantiam esse mosaicam, et lex de bello ea utique refert statuta, quae in stirpe electa saltem inde ab ingressu terrae promissae observabantur. Reliquas leges quod attinet, cap. 12 ordi-

tur lege 12,2-7 de loco cultus, quae re est mosaica. Cap. 13 radices habet Ex. 22,20 (19). 14,1-21 aliis verbis repetit legem Lev. 19,27 sq., et verbotenus recitat legem de animalibus mundis et immundis Lev. 11. Lex de terminis Deut. 19,14 nititur facto Num. 34, ubi termini aliquando definiendi praecipiuntur. Quae supersunt leges 14, 22-17,13; 18,1-19,13; 19,15-21 themate primum enuntiant statuta a Moyse de iisdem materiis condita, eaque deinceps suis complent novellis; ut totae illae series 12,1-16,17 et 16,18-20,20 merito tandem affirmentur esse *commentarius quarumdam legum mosaicarum aevo iudicum adaptatarum.* Legum vero initia quod attinet, partes eae, quae statuta mosaica Ex.-Num. referunt aut tota aut summario, initia habent *absoluta,* sive *positiva* : 12,2; 14,22; 15,1.19; 16,1.9. 13.16.18; 19,2, ubi primo fere loco scribitur vox seu voces mandati summam exprimentes; sive *negativa* : 14,1.3.21; 16,19.21; 16,19. 21; 17,1; 18,1.10; 19,14.15; dum, quae ex illis statutis derivantur, forma *conditionata* ordiuntur voce כי : 12,(9).10.20.29; 13,1.6.11 (2.7.12); 17,2.8; 18,6; 19,16, itemque 17,14; 20,1.10,19. Exceptiones in tanto numero habes tres tantum : 14,28 initio absoluto positivo recitatur statutum Moyse utique posterius de tertii anni decimis; item 15,2 *explicatio* de debitis non exigendis anno sabbatico, quam ab ipso Moyse prodiisse demonstrare haud valemus, licet ea potuerit sat commode etiam ab ipso edi; tandem 19,11, ubi legis de civitatibus refugii *explicatio* (v. 4), re etsi non verbis eadem cum explicatione Num. 35,22 sq., orditur voce כי. Merito affirmaveris, in legibus Deut. 12-20, ea, quae sunt legislationis mosaicae Ex.-Num., ipsa forma discerni ab iis, quae eidem posterius accreverint; illa proponi forma legum substantialium, haec forma casuum legalium ex illis legibus derivatorum. Qui leges quindecim Deut. 12-20 concinnavit, sive is unus fuerit sive plures, leges illas antiquiores *mandata* habebat, reliqua *novellas* : collector insertis passim formulis quibusdam (p. 112 sqq.) omnibus aequalem *mandatorum* auctoritatem attribuit.

b. Venio ad collectanei *seriem tertiam* 21,1-26,15, in cuius initiis praevalet omnino כי. Initium *absolutum positivum* habent solummodo leges 22,12, quae mutatis verbis repetit legem Num. 15,38; Deut. 24, 8 sq., monitum appellans statuta de lepra Lev. 13 sq.; Deut. 25,17-19, revocans in memoriam decretum Ex. 17,14 contra Amalecitas latum. Initia formae *negativae* habentur in legibus Deut. 22,1-3.4, quae distinctius repetunt Ex. 23,4 sq.; Deut. 22,5, quae lex de observanda sexuum distinctione est legis naturalis; Deut. 22,9-11.30, quae repetunt Lev. 19,19 et 18,18; Deut. 23,1-8, cuius legis pars aliqua est mosaica; tandem Deut. 23,17-20; 24,6.14 sq. 17 sq.; 25,13-16, quae

omnia in legibus Ex.-Num. fundantur. Lex Deut. 24,16, quae est de propinquis non implicandis supplicio sontis, potuit esse mosaica, licet id probare non valeamus. Legem 25,4 de bove triturante censemus sancire consuetudinem perantiquam, praemosaicam. Reliquae leges tertiae seriei ordiuntur voce כי. Redit igitur etiam hic illud, quod in prioribus seriebus observabamus, initia absoluta earum esse legum, quae aut certe aut probabilius aevo Moysis viguerint; neque tamen defendimus, leges omnes, quae ordiantur voce כי, esse Moyse recentiores, cum eius formae leges item deprehendantur non paucae Ex.-Num. Initium כי legem aliquam in medium profert tamquam alteri cuidam legi, non necessario eodem loco expressae, subordinatam; supponit aliquod iuris axioma communi consensu receptum, cui ea lex logice adnectitur tamquam eius axiomatis applicatio, explicatio, vel tamquam materia quadamtenus affinis. Ita lex 21,1-9 de occisore ignoto concipitur tamquam adnexum quoddam legum de homicidio. Ideo illud initium vocamus *conditionatum*. Ceterum non est censendus collector leges ad initium כי revocasse, cum is 22,1-3.4 duas leges proferat forma negativa, quae Ex. 23,4 sq. ordiuntur voce כי; legem 22,30 forma negativa, quae Lev. 18,8 initium habet absolutum positivum; legem 24,7 forma conditionata, quae Ex. 21,16 forma est absoluta positiva. E contra cum Deut. 22,9-11; 24,14 sq.; 25,13-16 cf. Lev. 19,19.13.35 sq.; cum Deut. 22,12; 23,19 sq. cf. Num. 15,38; Lev. 25,37. Sc. eadem lex potuit quandoque enuntiari tamquam lex substantialis et propter se lata, quandoque tamquam alius legis annexum quoddam; sed veteres illi homines assuevisse videntur, ut leges antiquitus sancitas potius recitarent forma absoluta, leges recentiores forma conditionata.

Quod vero in tertia serie omnino desideratur, est illud, quod in prioribus seriebus deprehendebamus, *thematis* et *novellae* discrimen. Non videntur hae leges ex iis fuisse, quae, antequam in unum colligerentur, *creverint*. Non videntur legis peritorum manibus fuisse creditae, qui illas applicaverint, compleverint, sed potius apud vulgus orali traditione esse circumlatae, et a collectore tandem undequaque collectae.

3. Videntur nobis hae tertiae seriei leges *diversis temporibus esse ortae*. Dicebamus CEL p. 20 sq., inter leges a Moyse Ex.-Num. editas haberi instituta plura, quae, quod apud alias etiam antiquas nationes reperiantur, censenda sint e communi fonte praemosaico ad illas nationes itemque ad Hebraeos esse derivata : cuius rei exemplum esto lex Lev. 12 de immunditia puerperae. Cum qua conferas Deut. 22,13-21 legem de innocentia uxoris neonuptae demonstranda, 25,5-

10 legem de coniugio leviratus. Dicebamus, aliarum legum, etiamsi illae aliorum populorum institutis non confirmentur, eam tamen esse indolem, ut antiquissimis temporibus natae esse dicendae sint : quales essent lex zelotypiae Num. 5,11 sqq., lex de cineribus vaccae rufae aquis lustralibus admiscendis Num. 19. Sed eiusdem omnino generis sunt Deut. 21,1-9 lex de occisore ignoto, 24,1-4 lex de repudio. Dicebamus tandem perantiquas, imo praemosaicas habendas esse leges quasdam de rebus minutis, quae non soleant arbitrio legislatoris definiri, sed immemoriali consuetudine consecratae tandem leges efficiantur : Lev. 19,9 sq. lex de reliquiis messis pauperibus concedendis, Lev. 19,19 lex de disparatis. Cuiusmodi leges habet item tertia series : legem Deut. 23,24(25) sq. de uvis et spicis, legem 25,4 de bove triturante. Eas leges *praemosaicas* omnes a Moyse esse scriptis consignatas, non est cur affirmemus. Aliquas a Moyse descriptas habemus Ex.-Num.; alias, quae suo iam tempore a maioribus acceptae ab Hebraeis observarentur, non descripserit ipse, sed illas tandem e traditione orali vel e scriptis quibusdam non mosaicis coegerit collector.

Plures aliae tertiae seriei leges re certe sunt *mosaicae*, sunt enim re eaedem cum quibusdam Ex.-Num. legibus. Neque tamen eodem atque ibi ordine recensentur : quin potius videtur collector, quas praesto haberet censeretque populo utiliter inculcari, eas leges prout menti occurrerent mandasse scriptis. Legem de cibis cap. 14 iisdem atque Lev. 11 verbis recitat; secus vero vix unquam leges iisdem refert verbis, quibus Ex.-Num. descriptae leguntur. Auctor non describebat has leges, evolutum habens coram se apographum legum Moysis. Fortasse non in omnium manibus erant tum codices sacri; neque Levitae, qui gravissima quaedam legis statuta in desuetudinem abire patiebantur, gratuito asserendi sunt multi fuisse aut in legibus populo praelegendis aut in earum apographis concinnandis. Coniecerit igitur aliquis impune, auctorem nostrum leges novisse non e scriptis libris, sed e traditione orali, quae illas non iisdem semper et ubique verbis recitaverit, unoquoque potius hac etiam in re agente id, « quod rectum videretur in oculis suis », et rem quibus libuerit verbis exprimente. Verum nequaquam hinc ad opinionem delabimur, auctorem nostrum levi tantum tinctum fuisse legum peritia : non enim multas tantummodo recitat leges, sed praeter eas, quae sunt de rebus gravissimis, recitat alias, quae sunt de rebus comparatione illarum levissimis.

Conspectum subiicimus legum tertiae seriei secundum tempora distinctarum,

quae tamen res non certis argumentis sed coniecturis definitur. Neque negamus, quas re antiquiores esse pronuntiamus leges, easdem fortasse stilo recentiore esse recusas et additamentis auctas.

Leges praemosaicae : 21,1-9 de occisore ignoto; 21,15-17 de primogenitura; 22,5 de sexuum vestitu; 22,6 sq. de ave matre; 22,13-21 de neonupta; 23,24(25) sq. de uvis et spicis; 24,17-22 duae leges de advenis, pupillis et viduis; 25,4 de bove triturante; 25,5-10 de conjugio leviri.

Leges mosaicae : 21,1-4 duae leges de rebus deperditis et Hebraeo viatore iuvando; 22,9-11 de disparatis; 22,12 de fimbriis; 22,22-29 de adulterio et stupro; 22,30(23,1) de uxore patris; 23,1-8(2-9) de proselytis; 23,19(20) sq. de usura; 24,7 de plagio; 24,8 sq. de lepra; 24,14 sq. de mercenario paupere; 25,13-16 de pondere et mensura; 25,17-19 de Amalecitis.

Leges dubie mosaicae vel postmosaicae : 21,10-14 de captiva; 21,18-21 de filio contumace; 21,22 sq. de sepultura malefactoris; 22,8 de tectis muniendis; 23,9-14 (10-15) de munditia castrorum; 23,15(16) sq. de servo ad Hebraeos profugo; 23,17 (18) sq. de prostitutione sacra; 23,21-23(22-24) de votorum impletione; 24,1-4 de uxore repudiata; 24,5 sq. de exemptis a militia et de pignore; 24,10-13 de pignore pauperis; 24,16 de propinquis non implicandis supplicio sontis; 25,1-3 de rixis; 25,11 sq. contra mulierum procacitatem; 26,1-15 leges duae de praestandis in terra promissa semel.

4. In prima serie vix certus aliquis legum ordo observatur, licet materia gravissima cultus divini primo loco expediatur. In secunda serie ordine fere dignitatis invicem excipiunt iudices, rex, sacerdotes, prophetae, quibus alia promiscue adscribuntur. Sed tertiae seriei leges *nullo certo ordine* recitantur; leges de eadem vel de affinibus materiis disiectae conspiciuntur. Quin imo ne ea quidem, quae sacra et magistratus spectant, ab hac serie exsulant, cum horum potissima tantum priores series habeant. Lex de votis mature reddendis 23,24 (25) sq. est sane de sacris, lex de rixis 25,1-3 ad magistratus spectat; leges de munditia castrorum 23,9-14 (10-15) et de exemptione a militia 24,5 (cf. 20,7) affines utique sunt legis de bello cap. 20.

Licet vero in tertia serie certus ordo non observetur, at quandoque una recitantur leges, quae aut materia aut forma aut utraque affines sunt inter se. Non liquet, idne accidat forte, an inde sit effectum, quod has leges affines in uno aliquo fonte repererit collector, atque inde in suum transtulerit collectaneum.

Ita post legem de occisore ignoto 21,1-9 sequuntur leges tres 21, 10-21 de rebus *familiam* spectantibus, quarum prior *restringit* ius captoris in captivam, altera ius parentum in primogenitum, tertia eorumdem ius in filium invisum. Legem 21,22 sq. de sepultura malefactoris excipiunt tres leges *formae negativae* 22,1-5, quas sequuntur 22,6-12 leges quatuor de *rebus minutis*, et rursum 22,13-23,8(9) leges quatuor de rebus *familiam* (et populum) spectantibus. Post

legem 23,9-14 (10-15) de munditia castrorum veniunt 23,15-20 (16-21) leges tres *negativae binorum versuum*; post quatuor leges 23,21 (22)-24,5 veniunt leges octo 24,6-22 *in favorem* variorum indigentium latae. Interiecta rursum 25,1-3 lege de rixis, sequuntur leges tres 25,4-12 de *re familiari seu domestica*; interiectis 25,13-19 legibus de ponderibus et Amalecitis, agmen claudunt 26,1-15 duae leges omnino affines inter se.

Divisionem aliquam probabilem huius seriei suggerunt leges tres, quae collectoris magis sunt propriae. Sc. legem de proselytis 23,1-8 (2-9) ipse concinnavit, quibusdam Moysis statutis aliqua addens de suo. Monita de lepra 24,8 sq. et de Amalecitis 25,17-19 ipse adscripsit. Habes igitur post priores series 15, i. e. 7 + 8 legum, sectionem aliarum 15 legum, quam claudat lex de proselytis, sectionem 10 legum, quam claudat monitum de lepra, sectionem rursum 10 legum, quam claudat monitum de Amalecitis. Extremae habentur duae leges 26, 1-15, quae omnino sunt sui generis. Collegitne collector vel collectas reperit leges primum 15, quibus suam de proselytis legem adscripsit? postea leges alias 15, et alias 10, et rursum 10? ut nonnisi quater resumpto labore et longiore fortasse interiecto tempore hanc tertiam seriem compleverit?

5. Ex iis, quae disputabamus, consequuntur haec. Licet collectaneum contineat antiquissimas aliquas Hebraeorum leges, tamen illud evidenter *non fuit prima Hebraeorum lex*, sed supponit *legum apparatum aliquem antiquiorem se*. Id patet e ratione thematum ad novellas, themata quippe supponunt leges ante sancitas et notas; patet ex appellatis antiquioribus de lepra et Amalecitis statutis factisque Balaam aliorumque. Cap. 12 supponit legem Lev. 17 de mactationibus. 12,11. 14. 21 supponuntur certa quaedam sacrificia esse lege praecepta. 16,1 supponitur lex Phase esse memoriale exodi, ergo sane tempore exodi lata, etc. etc. Imo supponitur *apparatus legum scriptus*. Scripta oportebat haberi vel tum illa de lepra statuta, quae novimus esse tam articulata, ut, nisi scriberentur, intacta diutius servari haud possent. Scriptum novimus (Ex. 17,14) exstitisse vel tum monitum contra Amalecitas editum. Verum scriptas tum exstitisse leges non aliquas tantum, sed totum aliquem legum apparatum, rursum demonstrat thematum et novellarum ratio. Evidenter illud intendit collector, ut leges eas, quae nondum apparatu authentico collectae et descriptae haberentur, colligat : quodsi eae leges, quas thematibus indicat, nondum in codice aliquo authentico descriptae exstitissent, illas, uti legem 12,2-7, collector totas descripsisset.

II. DE LEGIBUS COLLECTANEI CUM LEGIBUS EX.-NUM. COMPARATIS.

1. Sequens schema medias habet collectanei leges, quibus a sinistra accedunt leges Ex., a dextera leges Lev. Num. Cf. simile schema apud *Dr*. p. IV sqq. Igitur quoad duas columnas laterales haec advertas :

Characteribus *crassioribus*, parenthesi non inclusis, exprimimus ea, quae *verbotenus* vel *fere verbotenus* consonant collectaneo, v. g. **Lev. 11. 2-25.**

Characteribus *communibus*, parenthesi non inclusis, exprimimus ea, quae *re, non tamen verbotenus* consonam collectaneo, v. g. Lev. 19,28.

Characteribus *communibus*, inclusis *parenthesi rotunda* exprimimus ea, quae *succinctius* quam in collectaneo habentur Ex.-Num, v. g. (Ex. 22,20(19)). Si vero ei citationi intra eam parenthesin praefigatur « cf. », habetur non lex aliqua, sed factum vel textus, in quo collectanei lex veluti radices habeat, v. g. (cf. Ex. 20,19).

Characteribus *italicis*, inclusis *parenthesi rotunda*, exprimimus ea, quae *fusius* quam in collectaneo habentur Ex.-Num, v. g. (*Lev. 25,2-7. 19-22*).

Characteribus *italicis*, inclusis *parenthesi angulari*, exprimimus ea, quae sunt de *eadem materia*, sed plurimum *differunt quoad singula*, v. g. [*Lev. 23 ; cf. Num. 28 sq.*].

Characteribus *crassioribus*, inclusis *parenthesi angulari*, exprimimus ea, quae lege collectanei magna ex parte vel omnino *abrogantur*, v. g. [**Lev. 17, 1-9**].

Quibus praenotatis accipe schema.

Series I

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(23,24); **34,13** : cf. **Deut. 7,5.**	12.2 sq. destruenda sanctuaria Chanaaeorum.	Num. 33,52.
	12,4-27 locus cultus.	
	12,15 sq. 20-25 mactationes,	[**Lev. 17,1-9**].
(23,24).	12,29-31 non imitandi ritus Chanaaeorum.	
(cf. 22,20 (19)).	cap. 13 auctores idololatriae.	
	14,1 ritus funebres.	L v. 19,28.
	14,3-20 lex ciborum.	**Lev. 11,2-25.**
	14,21 morticina.	(*Lev. 11,40*; *17,15*).
23,19; 34,26.	14,21 hoedus coctus in adipe matris.	
	14,22-29 decimae.	[*Lev. 47,30-33*] [**Num. 18,21-32**].
(*23,10 sq.*).	15,1 annus remissionis.	(*Lev. 25,2-7. 19-22*).
	15,2-11 non repetenda debita.	
21,1-6.	15,12-18 manumissio servi.	Lev. 25,39-46.

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(13,2. 12; 22,30 (29); 34,19).	15,19-23 animalia primogenita. Cf. 12,6. 17.18; 14,23.	(Lev. 27,26; Num. 3, 13; 8,17). [**Num. 18,15-18**].
(23,14-17; 34,18. 22-24).	16,1-17 tres solemnitates.	[Lev. 23; cf. Num. 28 sq.].
(12,3).	16,2 victima Phase.	
34,25; cf. 12,8 et 23,18.	16,3 fermentum cum Phase non comedendum.	
12,15; 13,6 sq. 23, 15; 34,18.	16,3. 4. 8 azyma septiduo observanda.	**Lev. 23,6.**
12,10.	16,4 caro Phase eodem die absumenda.	Num. 9,12.
	16,13. 15 festum Tabernaculorum septiduo celebrandum.	(*Lev. 23,34. 39-43*).
23,15; 34,20.	16,16 « Non apparebit in conspectu meo vacuus ».	

Series II

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(cf. 19,13-26).	16,18 iudices instituendi.	
23,1-8.	16,19 sq. iudicum officium.	Lev. 19,15.
	16,21 sq. pertica et cippi.	Lev. 26,1.
	17,1 victimae immaculatae.	(*Lev. 22,17-24*).
(22,20 (19)).	17,2-7 idololatrae puniendi.	
	17,8-13 tribunal supremum.	
	17,14-20 rex.	
	18,1-8 sacerdotibus pendenda.	[**Lev. 7,35-34; Num. 18,1-20**].
(cf. Ex. 20,19).	18,9-22 propheta.	
(21,12-14).	19,1-13 civitates refugii.	(cf. Lev. 24,17-21). Num. 35,9-34.
	19,14 termini.	(cf. Num. 34).
	19,15 testes adhibendi duo vel tres. Cf. 17,6.	(Num. 35,30).
(cf. 21,1-3).	19,16-21 falsi testes.	(cf. Lev. 19,16).
	cap. 20 bellum.	

Series III

Ex.	Deut.	Lev. Num.
	21,1-9 occisor ignotus.	
	21,10-14 captiva, quae ducitur	

II. DE LEGIBUS COLLECTANEI CUM LEGIBUS EX.-NUM. COMPARATIS.

1. Sequens schema medias habet collectanei leges, quibus a sinistra accedunt leges Ex., a dextera leges Lev. Num. Cf. simile schema apud *Dr.* p. IV sqq. Igitur quoad duas columnas laterales haec advertas :

Characteribus *crassioribus*, parenthesi non inclusis, exprimimus ea, quae *verbotenus* vel *fere verbotenus* consonant collectaneo, v. g. **Lev. 11. 2-25.**

Characteribus *communibus*, parenthesi non inclusis, exprimimus ea, quae *re*, *non tamen verbotenus* consonam collectaneo, v. g. Lev. 19,28.

Characteribus *communibus*, inclusis *parenthesi rotunda* exprimimus ea, quae *succinctius* quam in collectaneo habentur Ex.-Num, v. g. (Ex. 22,20(19)). Si vero ei citationi intra eam parenthesin praefigatur « cf. », habetur non lex aliqua, sed factum vel textus, in quo collectanei lex veluti radices habeat, v. g. (cf. Ex. 20,19).

Characteribus *italicis*, inclusis *parenthesi rotunda*, exprimimus ea, quae *fusius* quam in collectaneo habentur Ex.-Num, v. g. (*Lev. 25,2-7. 19-22*).

Characteribus *italicis*, inclusis *parenthesi angulari*, exprimimus ea, quae sunt de *eadem materia*, sed plurimum *differunt quoad singula*, v. g. [*Lev. 23 ; cf. Num. 28 sq.*].

Characteribus *crassioribus*, inclusis *parenthesi angulari*, exprimimus ea, quae lege collectanei magna ex parte vel omnino *abrogantur*, v. g. **[Lev. 17, 1-9]**.

Quibus praenotatis accipe schema.

Series I

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(23,24); **34,13** : cf. **Deut. 7,5.**	12.2 sq. destruenda sanctuaria Chananaeorum.	Num. 33,52.
	12,4-27 locus cultus.	
	12,15 sq. 20-25 mactationes,	**[Lev. 17,1-9]**.
(23,24).	12,29-31 non imitandi ritus Chanaaeorum.	
(cf. 22,20 (19)).	cap. 13 auctores idololatriae.	
	14,1 ritus funebres.	L v. 19,28.
	14,3-20 lex ciborum.	**Lev. 11,2-25.**
	14,21 morticina.	(*Lev. 11,40*; *17,15*).
23,19; 34,26.	14,21 hoedus coctus in adipe matris.	
	14,22-29 decimae.	[*Lev. 47,30-33*] **[Num. 18,21-32]**.
(*23,10 sq.*).	15,1 annus remissionis.	(*Lev. 25,2-7. 19-22*).
	15,2-11 non repetenda debita.	
21,1-6.	15,12-18 manumissio servi.	Lev. 25,39-46.

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(13,2. 12; 22,30 (29); 34,19).	15,19-23 animalia primogenita. Cf. 12,6. 17.18; 14,23.	(Lev. 27,26; Num. 3, 13; 8,17). [**Num. 18,15-18**].
(23,14-17; 34,18. 22-24).	16,1-17 tres solemnitates.	[Lev. 23; cf. Num. 28 sq.].
(12,3).	16,2 victima Phase.	
34,25; cf. 12,8 et 23,18.	16,3 fermentum cum Phase non comedendum.	
12,15; 13,6 sq. 23, 15; 34,18.	16,3. 4. 8 azyma septiduo observanda.	**Lev. 23,6.**
12,10.	16,4 caro Phase eodem die absumenda.	Num. 9,12.
	16,13. 15 festum Tabernaculorum septiduo celebrandum.	(*Lev. 23,34. 39-43*).
23,15; 34,20.	16,16 « Non apparebit in conspectu meo vacuus ».	

Series II

Ex.	Deut.	Lev. Num.
(cf. 19,13-26).	16,18 iudices instituendi.	
23,1-8.	16,19 sq. iudicum officium.	Lev. 19,15.
	16,21 sq. pertica et cippi.	Lev. 26,1.
	17,1 victimae immaculatae.	(*Lev. 22,17-24*).
(22,20 (19)).	17,2-7 idololatrae puniendi.	
	17,8-13 tribunal supremum.	
	17,14-20 rex.	
	18,1-8 sacerdotibus pendenda.	[**Lev. 7,35-34; Num. 18,1-20**].
(cf. Ex. 20,19).	18,9-22 propheta.	
(21,12-14).	19,1-13 civitates refugii.	(cf. Lev. 24,17-21). Num. 35,9-34.
	19,14 termini.	(cf. Num. 34).
	19,15 testes adhibendi duo vel tres. Cf. 17,6.	(Num. 35,30).
(cf. 21,1-3).	19,16-21 falsi testes.	(cf. Lev. 19,16).
	cap. 20 bellum.	

Series III

Ex.	Deut.	Lev. Num.
	21,1-9 occisor ignotus.	
	21,10-14 captiva, quae ducitur	

Ex.	Deut.	Lev. Num.
	21,15-17 filius primogenitus; cf. acta Iacob in Genesi.	
	21,18-21 filius contumax.	
	21,22 sq. sepultura malefactoris.	
(23,4).	22,1-3 res perditae.	
23,5.	22,4 viator iuvandus.	
	22,5 vestitus sexuum.	
	22,6 sq. avis mater.	
	22,8 tecta munienda.	
	22,9-11 disparata.	(Lev. 19,19).
	22,12 fimbriae.	(*Num. 15,38-41*).
	22,13-21 neonupta.	
(Ex. 20,14).	22,22 adulterium; cf. Gen. 38,24.	Lev. 20,10 (cf. 18,20).
(22,16(15) sq.).	22,23-29 seductio virginis.	
	22,30 (23,1) incestus cum uxore patris.	Lev. 18,8.
	23,1-8 (2-9) proselytae.	(cf. Num. 22-25; 31).
	23,9-14 (10-15) munditics in castris.	(cf. Num. 5,1-4).
	3,15 (16) sq. servus profugus.	
	23,17 (18) sq. prostitutio sacra.	
22,25(24).	23,19 (20) sq. usura.	(Lev. 25,37).
(22,29).	23,21-23 (22-24) vota mature solvenda.	(Num. 30,3).
	23,24 (25) sq. uvae et spicae.	
	24,1-4 uxor repudiata.	
	24,5 immunitas a militia; cf. 20,7.	
22,26 (25) sq.	24,6 pignus.	

Ex.	Deut.	Lev. Num.
	2 plagium.	
	24,8 sq. lepra.	(*Lev. 13 sq.*).
(22,26 (25) sq.).	24,10-13 debitor pauper.	
	24,14 sq. mercenarius pauper.	(Lev. 19,13).
	24,16 propinqui non implicandi supplicio sontis.	
23,6.9.	24,17 sq. iustitia et misericordia in egenos.	[*Lev. 19,33 sq.*].
	24,19-22 misericordia in egenos.	Lev. 19,9 sq.: 23,22.
	25,1-3 rixae.	
	25,4 bos triturans.	
	25,5-10 leviratus; cf. Gen. 38.	
	25,11 sq. procacitas mulierum.	
	25,13-16 pondera et mensurae.	Lev. 19,35 sq.
	25,17-19 Amalecitae.	
	26,1-11. 12-15 primitiae possessionis.	(cf. Lev. 19,23-25).

2. Quo perpenso schemate efficiuntur sequentia.

a. Legem ciborum infra demonstrabimus Deut. 14 haberi forma magis antiqua quam ea, quae Lev. 11 legitur : ergo non fluxit illa ex hac, quin potius haec ex illa. Legem Lev. 23 de tribus solemnitatibus posteriorem esse legibus Ex. 23; 34 de iisdem latis, apud omnes constat : ergo expressio, quae Deut. 16,3.4.8 verbotenus eadem legitur atque pluribus Exodi locis, censenda est non e Lev. 23,6 vel certe non ex hoc textu solo, in legem Deut. 16,1-17 transiisse, sed ex Exodo vel certe etiam ex Exodo. Quibus explicatis, illud habes ex schemate, quae in collectaneo cum legibus Ex.-Num. habeantur *verbotenus aut fere verbotenus* eadem, ea omnia derivata esse non e Lev. Num., sed ex Ex., et *potissimum quidem e Libro Foederis Ex. 20,22-23,33 simulque ex Ex. 34,10-27*, quae pericope aliqua Libri

Foederis statuta repetit et inculcat, estque reapse pars aliqua primi foederis in Horeb sanciti. Sunt porro illa : Deut. 12,2 sq. = Ex. 34, 13; Deut. 14,21 = Ex. 23,19 et 34,26; Deut. 16,3.4.8 = Ex. 23,15 et 34,18; Deut. 16,16 = Ex. 23,15 et 34,20.

b. Quod vero ea attinet, quae *non verbotenus quidem, sed re eadem habentur* in aliis praeter collectaneum legibus, habes Deut. 16,3 = Ex. 34,25; Deut. 16,19 sq. = Ex. 23,1-8; Deut. 22,4 = Ex. 23,5; Deut. 24,6 = Ex. 22,26(25) sq.; Deut. 24,17 sq. = Ex. 23,6.9. Cui piae legi de iustitia et misericordia in egenos servanda illico Deut. 24,19-22 altera maxime affinis e Lev. 19,9 sq. adiungitur. Deut. 15,12-18 maiorem affinitatem habet cum Ex. 21,2-6, quam cum Lev. 25,39-46. Deut. 16,4 (de carne Phase uno die comedenda) evidenter fluxit ex ipsa primi Phase narratione Ex. 12,10, potius quam ex addititia narratione Num. 9,12. Habes igitur huiusmodi affinitatis cum libro Exodi exempla septem, quorum sex reperiuntur in Libro Foederis (cum Ex. 34). Quibus opponas Deut. 14,1 = Lev. 19,28; Deut. 22,22 = Lev. 20,10; Deut. 22,30 = Lev. 18,8; Deut. 25,13-16 = Lev. 19,35 sq., quae omnia sunt de rebus, quae in Exodo non tractantur, ergo ex Exodo repeti non poterant. Quibus addas Deut. 19,1-13 = Num. 35,9-34. Sane in his quoque *magis adhaeret collectaneum Exodo et imprimis Libro Foederis* (*cum Ex. 34*).

c. Venio ad ea, quae in Exodo habentur *succincte*, in collectaneo *fusius*. Cum Deut. 12,29-31 cf. Ex. 23,24; cum Deut. 13 et 17,2-7 cf. Ex. 22,20(19); cum Deut. 15,19-23 cf. Ex. 22,30(29) et 34,19, haec quippe statuta prae aliis ex Lev. Num. in mente habebat auctor legis collectanei, agens de primogenitorum consecratione; cum Deut. 16,1-17 cf. Ex. 23,14-17 et 34,18. 22-24 prae textibus Lev. Num. ex illis textibus Exodi certe derivatis; cum Deut. 22,1-3 cf. Ex. 23,4; cum Deut. 22,23-29 cf. Ex. 22,16(15) sq.; cum Deut. 24,7 cf. Ex. 21, 6; cum Deut. 24,10-13 cf. Ex. 22,26 (25) sq. Habet Deut. 23,19 (20) sq. aequalem affinitatem et cum Ex. 22,25 (24) et cum Lev. 25,37. Sed maiorem affinitatem habet Deut. 23,21-23 (22-24) cum Ex. 22,29, quam cum Num. 30,3. His adde Deut. 22,9-11 comparatum cum Lev. 19,19, et Deut. 24,14 sq. comparatum cum Lev. 19,13. Fateberis rursum, *omnino praevalere affinitatem cum Exodo, imprimis cum Libro Foederis* (*cum Ex. 34*).

d. Quod autem collectaneum priorum legum aliquid *abroget, id totum attingit leges Lev. Num., et non attingit Exodum*. Cum Deut. 12,15 sq. 20-25 cf. Lev. 17,1-9; cum Deut. 14,22-29 cf. Num. 18, 21-32; cum Deut. 15,19-23 cf. Num. 18,15-18; cum Deut. 18,1-8 cf. Lev. 7,32-34 et Num. 18,1-20. In Libro Foederis (cum Ex. 34) sola

h. l. attendenda venit lex de tribus solemnitatibus, in qua Deut. 16 nihil abrogat eorum, quae in Libro Foederis (cum Ex. 34) habentur, sed accuratiorem temporum descriptionem Lev. 23 omittit, et victimae Ex. 12 statutae accenset bovem. Intactus manet Liber Foederis.

Ergo fatendum est cum *Dr.* p. VIII, leges Libri Foederis cum Ex. 34 (apud Dr. JE) « esse fundamentum legum collectanei. Quod demonstrant et plurimae legum Exodi cum legibus collectanei affinitates, et factum illud, quod ad oculum demonstrat prima schematis columna, collectaneum fere omnes Libri Foederis leges attingere, exceptis fere unice iis, quae Ex. 21,18-22,15 (16) traduntur de reparationibus iniuriarum praestandis. Quandoque repetitur integra ad verbum lex, quandoque eius aliqua incisa tantum; quandoque lex amplificatur novis adscriptis definitionibus, applicationibus, paraenesibus aut in stilum deuteronomicum (?) transfertur ». Cuius argumenti tanto maior est vis, quanto maior est numerus legum Lev. Num. comparatus numero legum Ex., imo legum Libri Foederis (cum Ex. 34).

3. Aliunde indubie norat collectaneum leges Lev.-Num. Sed has quandoque *mutat,* illas *non mutat.* Posterioribus quidem Iudaeis totus pentateuchus fuit una thora, cuius partes omnes essent aeque sanctae : non ita sentiebant legum collectanei auctores earumve collector. Ipsis leges Libri Foederis (cum Ex. 34) erant *sacrae et immutabiles*, aliae leges erant *sanctae quidem, sed non immutabiles,* mutandae utique, ubi opus esset, auctoritate non privata, sed prophetae cuiusdam, qui hac certe in re similis esset Moysis. Leges Lev. Num. ab illis viris eove viro habitas esse mutabiles, habetur e facto ab illis vel ab illo esse mutatas; leges Libri Foederis habitas esse immutabiles, habetur cum e facto non esse mutatas, tum exinde quod illi viri profecto non totam legem Moysis existimabant esse fluxam et mutabilem, sed eius aliquid stabile et immutabile : hoc autem quid fuerit, nisi ipse Liber Foederis?

Neque officit, illas leges latas esse nomine Iahve : nonne mutabilis exstitit et partim abrogata est lex Act. 15,29, quae conspirante Spiritu Sancto edebatur? Sc. quasdam leges fert Deus fundamentales et nunquam mutandas, alias non fundamentales neque aeque immutabiles, sed post tempus aut longius aut brevius fortasse mutandas, imo abrogandas. Non potuit ea esse sapientis legislatoris mens, ut apparatus aliquis legum, qui ad minimas quasque descenderet res et unius aevi necessitatibus esset proxime accommodatus, per omnia deinceps immutatus perseveraret, dum temporum conditiones funditus mutarentur, nomades et pastores verterentur in agricolas et ur-

bicolas, populus tota aliqua longiore epocha ab hostibus opprimeretur ita, ut leges plures nonnisi difficillime, aliquae nullatenus observari possent. Cessit tabernaculum templo : mutari potuere et mutata sunt etiam alia. Neque ex nostro asserto illud consequitur, legum mosaicarum praeter Librum Foederis stabile fuisse nihil, nihil permanens; quin imo pleraeque leges Lev. Num. de facto immutatae perseveravere, neque ulli prophetarum in mentem venit illas mutare. Verum latae erant a Deo cum tacita sed aequa conditione, permansuras esse apud populum electum, nisi ipsi Deo aliquando mutatis temporum circumstantiis viderentur mutandae vel revocandae. Leges e contra Libri Foederis permansurae erant non vi solius auctoritatis divinae legiferae, sed *vi foederis,* permansurae erant donec abrogaretur foedus sinaiticum. Quod factum est, quando novum per Christum foedus in locum veteris foederis subintravit. Neque obiicias, aliquas leges Lev. Num. ferri ut « statutum perpetuum » (Lev. 7,34-36 portiones sacerdotum; Ex. 12,17 *dies* Phase), « statutum perpetuum et pactum salis perpetuum » (Num. 18,19 redditus sacerdotum), imo « foedus perpetuum » (Num. 25,13 pontificatus familiae Phinees, quo divino effato minime ad pontificatum inhabiles evadebant Ithamaridae). Quibus expressionibus non cogimur aliam tribuere vim quam similibus quibusdam, quae in Romanorum pontificum decretis leguntur « perpetuo valituris », i. e. nulla mere humana auctoritate abrogandis, quae tamen auctoritate ipsius, qui decretum tulit, pontificis vel alicuius eius successoris abrogari possunt et quandoque abrogantur. Sc. illud edicunt eae expressiones, eas Iahve leges nulla humana auctoritate, nulla praescriptione fore abrogandas; non negant, ipsum Iahve posse illas mutare, revocare, necessitatibus temporum accommodare. Aliter habebant leges, quae ipsi Foederis Libro insertae erant, et in ipsa foederis pactione sanguine victimarum fuerant conspersae : ita sentiebat utique collector seu, quos ipse probabat, quarumdam collectanei legum auctores.

In quibusdam igitur mutant leges collectanei leges Lev. Num., insistunt vero foederi et Libro Foederis. Reliquas leges non pro lubitu abrogant sed, plerisque servatis intactis, quasdam necessitatibus aevi iudicum accommodant. Moysis acta quandoque appellant (23,1-8[2-9]; 24,8 sq.; 25,17-19); eius instituta logice complent (13;20; 22,22-29; 23,15[16] sq. 17[18] sq. 19[20] sq.); themata mosaica novellis illustrant; leges collectanei plures ex sua indole agnoscuntur esse perantiquae, praemosaicae, ergo etiam Moysis auctoritate sive explicite sive tacite approbatae. Stilus utique aevi potius est recentioris. Habet igitur collectaneum universim spectatum leges mosaicas pro neces-

sitatibus explicatas, auctas, completas. Quo sensu collectanei leges etiam dici possunt *mosaicae*, sensu non diplomatico et critico, sed legali et vulgari. Sc. lex mosaica Hebraeis lex erat non mortua sed viva, quae primitus deserti usibus fuisset potissimum accommodata, deinceps sequentium temporum usibus accommodanda, ministerio potissimum prophetarum. Id enim prophetarum nobilissimum munus legem inculcare, applicare, adaptare, lapsam restituere, munus longe gravius magisque necessarium munere futurorum praenuntiandorum. *Prophetam* autem omnino censeo exstitisse collectorem: neque enim ab eo, qui propheta non esset, potuit collectaneum legis auctoritatem accipere. Si quaeras igitur, sitne collectaneum mosaicum eo sensu, ut Moysis calamo sit exaratum, nego; si eo sensu affirmes esse mosaicum, ut sit ipsa viva Moysis lex, truncus fronde insignis, floribus et fructibus, lubens concedo. Hoc eodem sensu leges, quibus nos vivimus, christianae sunt. Cf. p. 79 sq.

4. Verum, si mutabiles fuere leges Lev. Num., *mutabiles item exstitere, quae in earum locum subiere, leges collectanei*. Collectaneum prima fronte agnoscitur esse lex ad tempus edita, miseriis temporum concessa. Haud puto, ipsum collectorem autumasse suas leges fore perpetuo permansuras. Florentiorem religionis conditionem futuram 12,8 auspicabatur. Cum piis aequalibus regni institutionem omnibus votis expetebat tamquam malorum rei publicae unum efficax remedium. Sciebat iudicum maiorum auctoritatem cessuram esse auctoritati regiae. Verum, quidquid de his senserit collector, ea est collectanei indoles, ut, imprimis si eam cum iis conferamus quae de posteriore Hebraeorum historia perspecta habemus, perspiciamus solummodo ad tempus Hebraeis illud propositum esse pro vitae norma. Abrogandae erant indulgentiae in ipso concessae, quo tempore compositis praecedentis aevi tumultibus floreret sub piis regibus Hebraeorum res publica. Auctoribus tum posterioris aevi prophetis colendus erat Iahve in unico sanctuario, solemnitates statuto tempore et ritu accurate celebrandae, sacerdotes a levitis oppido distincti eximio honore habendi et iustis redditibus ditandi, plene restituendus, imo plurimum augendus splendor sacrorum mosaicorum. Amissurum tum erat necessario collectaneum authenticae legis auctoritatem, licet plura eius statuta plurium generationum consuetudine consecrata pro germanis legibus reciperentur ab omnibus, retinendum nihilominus, et merito quidem, in sacrorum librorum ordine.

Quibus rite perpensis clarius etiam perspicies, quo loco fuerit Hebraeorum religio post divisum mortuo Salomone regnum. Non erant tum homines Hebraei plane irreligiosi, sed veteribus statutis adhae-

rebant plures prae iis, quae prophetae posteriores exigerent; quaecunque iudicum aevo licita fuissent, ea sibi etiam licita esse autumabant. Urgebant prophetae unico loco Iahven esse colendum sacrificiis : illi cum Samuele in excelsis victimas immolabant, altarium privatorum exstruendorum Deut. 16,21 sibi concessam esse veniam iactabant. Monebantur decimas aliaque pendere sacerdotibus, sed collectanei textus praetendebant, quibus permitterentur eadem ipsi sacris epulis absumere. Erant profecto, quae eorum hominum culpam attenuarent. Irrepsit tamen brevi cultus Iahve omnimodus neglectus, superstitio, idololatria. Homines vicissim pii et statuta Lev. Num. et collectanei statuta simul observare quandoque nitebantur. Pendebant duas quotannis decimas, et tertio quoque anno tertiam. Permiscebantur omnia, dum aliqui libertatem nimium restringerent; alii verterent in licentiam. Redit hic illud, quod in Introd. p. 103 sqq. monebamus. Data est Hebraeis thora, ut eos ad Christum perduceret : cum non permitteretur deducere volentes, deduxit nolentes. Legibus duarum periodorum, oppido diversarum inter se, in unum apparatum coactis, deficiente postmodum insuper legitimo interpretationis oraculo per prophetas et per Urim et Thummim, evasit thora onus intolerabile, summumque excitavit novae legis, novi legislatoris, novi foederis desiderium. Quo aevo ea legum confusio coepit Hebraeorum animos angere, exaudiri coepere eloquentissima prophetarum messiam expetentium oracula. Impii interim homines thoram aversabantur, excutiebant; pii inde ab Esdra homines unicam salutis anchoram reputabant thoram, eius excellentiam et obligationes exaggerabant. Omnia vero haec Christo parabant viam.

III. DE COLLECTANEI COLLECTORE.

Collector edocet populum tantum, non sacerdotes. Unica, quae sacerdotes attingunt, habentur cap. 18. Ubi v. 3 sq. collector ea, quae sacerdotibus obveniunt, recitat, id non facit quo sacerdotes erudiat vel reformet, sed ut populum, quid sacerdotibus praestare teneatur, edoceat. Nullo modo sacerdotum mores emendare aggreditur, qui tamen, quod ex actis Heli colligitur, in pluribus misere deficiebant. Populo illud unum prae ceteris inculcat, ut statutis temporibus sanctuarium maximum adeat ibique sacrificia lege praecepta offerat, sacra epula celebret, ut Iahven fideliter colat eo cultu, qui tum moris erat : sed cultum ad normam statutorum mosaicorum revocare non aggreditur.

Cur ab hoc abstinet? Fortasse, quod non omnia simul reformari

posse censeret, quodque iudicaret populum inducendum esse primum, ut cultum Deo redderet talem, qualem tum reddere consuevissent homines pii, necnisi postea hunc cultum reformari oportere. Fortasse, quod censeret mores plene et permanenter reformari non posse, nisi prius constitueretur rex, qui rectis moribus legumque mosaicarum observationi assidue invigilaret. Fortasse, quod censeret mores et imprimis sacra reformari non posse, nisi *conspirantibus sacerdotibus*. Nihil est in toto collectaneo, quod innuat collectorem amice habitum esse a pontifice et sacerdotibus apud sanctuarium maximum degentibus. Neque id gratis supponere fas est, quod prophetae universim rectoribus populi saepius invisi fuerint quam grati. Ecqua nobis est ratio adstruendi huius prophetae sortem fuisse tanto feliciorem sortibus tot aliorum prophetarum, qui reges, sacerdotes habuere infensos? Erantne prophetam speciali honore prosecuturi sacerdotes illi et levitae egentes, avari, vagi, imo quandoque idolatriae et magiae dediti (v. ad 18,8)? Vel illud, nullum in collectaneo haberi indicium, prophetam hunc Levitarum reformationi admovisse manum, suggerit eum apud illos surdis auribus fuisse praedicaturum. Quae ratio est supponendi, sacerdotes collectoris aequales, si is supponatur ante Samuelem vixisse, fuisse magis strenuos quam Heli, magis religiosos quam Ophni et Phinees, minus inertes iis quos 1 Reg. 22 trucidavit Saul?

Verum collectorem coniicimus esse ipsum Samuelem. Qui utique apud sanctuarium adolevit; eius adversum oraculum 1 Reg. 3,18 humiliter excepit Heli; at filii Heli propheta contempto ad interitum procurrere veluti ad victoriam (4,4). Ichabod (4,21) in reliquis Samuelis actis non commemoratur : vix credendus est Heli iudicis nepos favisse ei viro, qui avi dignitatem veluti suam fecit. Erant tum duae Aaronitarum factiones, Ithamaridae et Eleazaridae : potuit utramque Samuel habere infensam, certe non utramque amicam. Postmodum, non obstante collectanei lege 17,8 sqq. causas et causarum appellationes dirimebat Samuel (1 Reg. 7,16) quotannis in Bethel, Galgala, Maspha et imprimis in Rama, ergo non unico illo loco a Iahve pro sanctuario electo, neque certe semper sacerdotibus assessoribus, quod illi ad eum accedere recusarent, vel accedentem haud essent excepturi, cum ipso conspiraturi esse haud exspectarentur. Samuel illis etiam sat multis annis, quibus ab universo Israele iudex agnoscebatur, non aggressus est sacrorum reformationem : cur non? Quia regno nondum instituto nihil ei sat certum videbatur; fortasse etiam, quod sacerdotes sibi sciret esse infensos, neque rem violenter dirimi posse confideret.

Samuelem adstruimus collectanei esse auctorem, cum quod persuasum habeamus auctorem fuisse posterioris aevi iudicum prophetam aliquem, tum quod non ante Samuelis aevum videantur Philisthaei tam graviter et constanter Hebraeos oppressisse, ut aequali cum Ammonitis et Moabitis habendi essent exsecrationi.

Samuelem, qui tantopere in votis habuit institutionem regni, duosque primos reges ipse unxit, sollicitum fuisse de condendis vel colligendis novi regni legibus, facile concedes. Reapse 1 Reg. 8,11-18, non sine ironia, proponit populo futurorum *regum praxin* (משפט, cf. Deut. 18,3), fastum et avaritiam, quae tam longe abfutura erant a lege collectanei 17,14-20. Praeterea condidit ipse *iudicium regni* seu *praxin regni* 1 Reg. 10,25, quo ipso fortasse nomine exprimebat, suum scriptum non esse nisi legem ad tempus statutam, cessuram aliquando legi perfectiori. Cum igitur aliquis aevi iudicum propheta scripserit collectaneum legum, cum Samuel certe scripserit aliquem legum apparatum, nonne legitime inferimus, hunc apparatum, hoc iudicium regni ipsum esse collectaneum?

Verum non scripsit solum iudicium regni Samuel, sed reposuit coram Iahve, eo ipso loco, quo Moyses et thoram et canticum reposuerat. Id fecit exemplum secutus Iosue, qui sua thorae adscripserat, atque thorae adscripta eo loco reposuerat, quem thorae Moyses attribuerat, coram Iahve. Ergo ipse quoque sua inseruit thorae atque ita effecit, ut iuremerito illa reponere posset eo loco, qui non esset universalis quaedam bibliotheca sacra, sed augustissimo Moysis scripto specialiter reservatus. E praemissis iam inferas conclusionem :

habes 1 Reg. 10,25 Samuelem thorae inserentem iudicium regni; habes prophetam aliquem posterioris aevi iudicum eidem thorae inserentem collectaneum legum Deut. 12,1-26,15 :

ergo collectaneum ipsum est iudicium regni, et propheta ille est Samuel. Nonne hanc nostram opinionem potiori iure tuebimur, quam plura defenduntur modernae criticae axiomata?

Ergo liber ille, cui suum Samuel inseruit collectaneum, non erat nudus pentalogus, sed idem auctus saltem paraenesi 7,12-11,32 : Samuelis tempore iam exstabat pentalogus auctus paraenesi Deut. 5,1-11,32, habebaturque liber κατ' ἐξοχήν sacer.

E contra Samuel non scripsit ea, quae immediate sequuntur Deut 26,15. Verba v. 17 « Iahven elegisti hodie » haud credendus est primus scripturus fuisse Samuel, qui in eadem populi concione 1 Reg. 10,19 dixit : « Vos hodie proiecistis Deum vestrum ». Foederis renovatio a Samuele non est celebrata Masphae, sed aliquanto post (1 Reg. 11,15) Galgalis.

Illa vero regni lex a Samuele edita non est accensenda *libris deperditis,* quod suggessere *Vat., Sa., Est., Malv., Men., Gord., Calm.,* qui *librum* 1 Reg. 10,25 interpretati sunt ipsum Samuelis manuscriptum. Liber ille articulo determinatus est liber κατ' ἐξοχήν, thora Moysis. Interpretes illi, explicandis libris Samuelis tum unice intenti, non cogitavere de textibus 1 Reg. 10,25 et Ios. 24,26 comparandis inter se.

Collectanei Commentarius.

Collectanei inscriptio Deut. 12,1.

Cap. XII v. 1 « *Haec sunt praecepta atque iudicia, quae facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam, cunctis diebus, quibus super humum gradieris* ». 4,10; 31,13 iubentur Hebraei *timere* Iahven *cunctis diebus etc.* : ergo h. l. eandem expressionem trahe ad *facere debetis,* cum facere mandata Iahve et timere Iahven sint practice synonyma. Sequentia mandata per totam vitam erunt servanda. Eundem nexum adstruunt *Masor.*, ante *cunctis diebus etc.* scribentes athnach.

I. LEGES DE SACRIS DEUT. 12,2-16,17.

1. *Lex de loco cultus Deut.* 12,2-32.

Lex negativa v. 3 de sanctuariis gentium destruendis fere verbotenus habetur in quinto pentalogi mandato 7,5. Sed adscribitur v. 3 disperdenda etiam esse *nomina* (cf. Ex. 23,13) deorum de illis locis. Praemittitur v. 2 subvertenda esse ipsa *loca*. Ita lex negativa v. 2 sq. dirigitur iam non solum, uti 7,5, contra aras, cippos, lucos, simulacra, sed contra ipsa etiam loca. Cui legi negativae adnectitur v. 4-7 lex positiva, cultum Iahve reddendum esse eo loco, quem quoque tempore ipse elegerit. Quae altera lex certe observata fuerat in deserto, licet ea inter leges Ex.-Num. non compareat. Ergo tota lex v. 2-7 dicenda est esse re et spiritu mosaica; quoad verba certe est partim, et fortasse tota mosaica. Est *lex de loco cultus* : *non licet* vobis celebrare cultum iis locis et ritibus, quibus ethnici sua numina colebant, sed in loco, quem elegerit Iahve, cultum celebrare *debetis.* Vides, hanc legem non exhaurire totam de loco cultus quaestionem; manet quippe quaestio, *liceatne* cultum reddere Iahve aliis etiam praeter illum unum locis, v. g. in *altaribus privatis* erectis non iis locis, qui ante fuerint cultui ethnico attributi. Haud mirum, legem v. 2-7 locum dedisse dubiis practicis, et explicatam esse adscriptis

novellis tribus v. 8-19. 20-28. 29-31. Quarum tertia partem legis negativam explicat, vetans ne ritus, qui in sanctuariis ethnicis observabantur, utique etiam cippi, luci, simulacra, cultui Iahve adhibeantur. Novellae duae priores respiciunt legis partem positivam, locum cultus Iahve. Tertiae novellae v. 32 adscribit collector unam earum formularum (cf. p. 112 sqq.), quibus documentis a se collectis, ergo h. l. toti cap. 12, vim legis attribuere consuevit; similem formulam v. 28 alteri adscribit novellae. An igitur collector legem v. 2-7 reperit iam auctam novellis v. 8-27, tertiam vero novellam v. 29-31 aliunde deprompsit?

Tres novellae initia habent, quae futurum in terram promissam ingressum demonstrant, v. 8-10 (nonnihil amplificatum). 20.29 : « Quando dilataverit Iahve terminos tuos », « quando disperdiderit Iahve gentes », etc. Quae initia omnino affinia sunt initii quinti mandati pentalogi 7,1, quod re latet in generali inscriptione 12,1 : quare lex v. 2 absolute orditur אבד תאבדון (cf. CEL p. 22). — Gravis formula, quae v. 4 transitum efficit a parte legis negativa ad positivam : « Non facietis sic Iahve Deo vestro », redit eadem fere initio primae novellae v. 8 : « Non facietis, quae nos facimus hic hodie etc. », et extrema tertia novella v. 31 : « Non facies similiter Deo tuo ». Quam explicat novella prior v. 8, « fecisse unumquemque, quod rectum esset *in oculis suis* », dum, quod per se patet et in altera novella v. 25.28 diserte enuntiatur, oportebat unumquemque « facere, quod rectum esset *in oculis Iahve* ». Generatim stilus novellarum presse adhaeret stilo legis v. 2-7. — Orationis articuli ordiuntur voce כי (v. 20.29) vel, si ante dictis veluti restrictionem aliquam afferant, voce רק (v. 15 sq. 23.26); quibus opponuntur כי אם (v. 5.14.18), לא (v. 4.17.31) et addita emphasi השמר לך פן (v. 13.19. 30). Tandem v. 31, quidquid cultum gentilium attingit, declaratur esse *abominatio* תֹעבה (cf. p. 131 n. 79). Subiicimus legis cum novellis *Schema*, ubi priores duas novellas, quod eandem legis partem positivam respiciant, parallele describimus, quo mutua earum ratio unico obtutu pateat.

Schema legis Deut. 12.

ANTIQUIOR LEX DE LOCO CULTUS DEUT. 12,2-7.

PARS NEGATIVA V. 2 SQ. : penitus subvertenda sanctuaria gentium.
PARS POSITIVA V. 4-7; colendus Iahve in sanctuario a se electo.

NOVELLAE PARTIS POSITIVAE (V. 4-7).

Novella prior Deut. 12,8-19.	*Novella posterior Deut.* 12,20-27.
1. Lex *applicatur* aevo novellarii v. 8-12 : sacra ea, quae *lege praecepta* sunt, praestanda sunt apud sanctuarium. Eximuntur tacite *vota minora* et *dona voluntaria*.	
2. Lex applicata *explicatur* v. 13-19 :	*Explicatio* v. 13-19 data *evolvitur* :
a. *Holocausta*, quae *lege praecepta* sunt offerantur in sanctuario v. 13 sq.;	b. *Holocausta* et *vota* (maiora) apud sanctuarium immolentur, sanguis altari illiniatur v. 26 sq.;
b. *mactationes* pro cibo, ubi libuerit, fiant, *sanguis* in terram effundatur v. 15 sq.;	a. *mactationes* procul sanctuario, ubi libuerit, fiant v. 20-22; *sanguis* in terram effundatur v. 23 sq.
c. *decimae* et *vota* (maiora) ad sanctuarium deferantur v. 17 sq.;	
d. commendatur *Levita egenus* v. 19 (cf. v. 12.18)	

Addita collectoris : v. 25 *benedictionem* apprecatur haec observaturis; insuper v. 28 his vim legis attribuit.

NOVELLA PARTIS NEGATIVAE (V. 2 SQ.).

Ritus ethnici non sunt a sanctuariis gentium dirutis transferendi ad cultum Iahve, sunt enim Iahvae exosi v. 29-31.

Additum collectoris v. 32 omnibus cap. 12 statutis vim legis attribuens.

Ad quaestionem igitur, quam supra dicebamus, non respondent novellae directe, non pronuntiant licitum esse cultum in altaribus privatis reddendum. Sed v. 8 sq. effrenam ubilibet sacrificandi licentiam reprobant quidem, sed non inhibent; multo minus igitur censendae sunt inhibere sacrificia alibi, quam apud sanctuarium maximum, offerenda ob sapientes rationes, quales certe habuere Samuel aliique et quandoque Deus editis in illis sacrificiis portentis quibusdam comprobavit. Imo eorum sacrificiorum tacita etiam approbatio deprehenditur in eo, quod praescripta v. 5-7 in novellis limitentur, sola sacrificia *lege praecepta* in altari maximo offerri exigantur, *vota minora* et probabilius *oblationes voluntariae* omnes altaribus minoribus tacite concedantur. Novellae directe agunt de solo *cultu* « *officiali* », non de cultu qui « officialis » non sit, sive is sit mere privatus sive quadamtenus etiam publicus. Verum est eiusmodi cultum in deserto non expresse quidem, sed practice fuisse praeclusum, primum quod totus populus circa unum sanctuarium

maximum collectus habitaret, potissimum vero quod Lev. 17 mactationes omnes iuberentur fieri ad ostium tabernaculi. Quare et Moysis tempore sacrificia offerebantur unice apud sanctuarium maximum, et aliquantum etiam post Moysen (Ios. 22,16) eadem praxis et unica erat et unice legitima habebatur. Imo attenta lege Lev. 17 possumus affirmare, ipsum Moysen hanc praxin habuisse unice perfectam et summopere exoptabilem, ut unicus sacrificiorum esset apud tabernaculum locus. Tamen nulla, quam noverimus, lege altaria privata expresse proscripsit; certe non lege v. 2-7, quae illa altaria penitus ignorat. Porro mortuo Moyse mox tribus omnes non iam communibus castris continebantur, sed in suam quaeque possessionem dilabebantur; lex illa de mactationibus, Moyse etiam superstite, in transiordanica primum necessario fuit relaxanda; accessus sanctuarii maximi iudicum aevo ob hostium incursiones saepe numero difficilior erat. Quo aevo approbantibus prophetis invaluit praxis statutis Moysis nequaquam repugnans (Deut. 27,5), ut sacrificia offerrentur in aliis etiam praeter sanctuarium maximum locis, sive solemnia uti illud 1 Reg. 7 praesente universo populo immolatum, sive privata (Iud. 6,24). Quam praxin novellae non proscribunt.

E dictis inferes, nos novellas (certe priores duas) habere Moyse recentiores. Suntne novellae tres diversis novellariis attribuendae, an uni omnes? Quaestio est minoris momenti, cuius nulla certa responsio dari potest. Novella altera indulgentiam priore novella concessam limitat, quod non fecerit scriptor unus uno tempore scribens. Veniam sc. ubilibet mactandi pro cibo (v. 15) restringit v. 21 ad ea loca, quae non absint proxime a sanctuario maximo. Sanguinis item in mactationibus tam sacris quam profanis usum distinctius definit. Recole, quae CEL p. 19 sq. dicebamus de legibus quibusdam, quae successivis incrementis augebantur.

a. Legis pars antiquior Deut. 12,2-7.

Arg. — Iubentur Hebraei gentium Chanaanitidis sanctuaria penitus destruere, ita ut neque idolorum nomina locis illis adhaereant, in loco vero a Iahve designando offerre sacrificia et festa sacra celebrare.

v. 2 « *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos et colles et subter omne lignum frondosum* ». Cum pro *omnibus locis* mox scribantur *montes, colles, ligna,* ergo omnia vel certe pleraque Chananaeorum sanctuaria reperiebantur in montibus aut in collibus aut subter arbores. *Fron-*

dem autem expandunt potissimum eae arbores, quae solitariae eminent, non silva aliqua includuntur. v. 3 « *Dissipate aras eorum, et confringite statuas* », cippos, « *lucos* », seu verius perticas sacras (cf. p. 250), « *igne comburite, et idola* », deorum simulacra fictilia, « *comminuite* ». Fere verbotenus uti 7,5; Ex. 34,13. Non erant haec mala per se : nemus plantavit Abraham Gen. 21,33; idem sub quercu (Vulg. convallem) altaria erexit Gen. 12,6 sq. et 13,18 (cf. Iud. 6,11. 24); legitima in montibus altaria habes Gen. 22,2; Deut. 27,4 sq.; Iud. 6,26; 1 Reg. 7,1; 3 Reg. 18,19; 1 Par. 2,52 (cf. CN p. 196 sq.), simulacra tamen vel a patriarcharum sacris videntur exsulasse. Verum his omnibus Chananaei plurimas superstitiones admiscuerant; quorum cultui Iahve substituturus erat puriorem cultum, a quo excludenda decreverat simulacra, cippos, perticas. « *Disperdite nomina eorum de locis illis* ». *Hebr.* : *de loco illo*, i. e. de singulis illis locis. Expressionis sensum collige e 7,24 : cultus ita stirpitus erat destruendus, ut ne nominis quidem idoli aliquod remaneret vestigium; certe mutandum erat loci nomen, si eius aliqua pars esset idoli nomen.

v. 2 locus in pentateucho est primus et unicus, ubi hic sub arboribus *frondosis* (רענן) cultus proscribitur : haud mirum, posteriores scriptores eundem cultum reprobantes eadem voce uti : 3 Reg. 14,23; 4 Reg. 16,4;17,10; 2 Par. 28,4; Is. 57,5; Ier. 2,20;3,6.13;17,2; Ez. 6,13. Praeter hos locos adiectivum רענן etiam legitur Ps. 36(37),35; 51(52),10; 91(92),11.15; Cant. 1.15(16); Ier. 11,16; Os. 14,9.

v. 4 « *Non facietis ita Domino Deo vestro* ». Habebat etiam *altare* Iahve, eratque illud tam in Cariathiarim (1 Par. 2,52; 1 Reg. 7,1) quam Sione in *monte*, dum perticas et cippos omnino *oderat* Iahve 16, 21 sq., et simulacra in decalogo proscripserat. Sc. ea, quae v. 5 sq. enumerantur, non proscribuntur omnia singillatim, sed universim vetantur Hebraei eum cultum in Iahven transferre, quo Chananaei idola coluerant, speciatim iisdem *locis* Iahven colere : est enim oppositio inter *loca* v. 2 et *locum* v. 5. Iam, qualem cultum Iahve a suis exigat, describit v. 5 : « *Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo, venietis* ». Verborum sensum collige e verbis v. 3 : *ponit nomen* suum Iahve ibi, quando nomen suum illi loco copulat vocans illum *domum Iahve* (*Bonfr.*); ita merito vocat, quia ib. *habitat*; et, quia in eo loco suo nomine vocato habitat, ideo, quod interponunt *LXX*, ib. *invocatur*. v. 6 « *Et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras* » reliquas praeter holocausta, ergo victimas pacificas, quas excipiebant epula sacra (v. 7), « *decimas et primitias manuum vestrarum, et vota atque donaria, primogenita boum et*

ovium ». נדבה est donum non ex voto, sed voluntarie oblatum : Ex : 35.29; Lev. 22,23. תרומה universim vocantur ea, quae sacerdotibus cedebant. Cum porro victimarum portiones, quae sacerdotibus cedebant, iam includantur voce *victimas*, ergo h. l. voce theruma (*elevatio*) exprimuntur reliqua, quae praeter victimarum portiones sacerdotibus cedebant, imprimis *primitiae* (*LXX Vulg.*) frugum et alicae (cf. Num. 15,18 sq.). Sola animalia sacrificalia ad sanctuarium erant adducenda, reliquorum sufficiebat afferri pretium : Lev. 27,27. — v. 7 « *Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri, ac laetabimini in cunctis, ad quae miseritis manum, vos et domus vestrae, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester* ». משלח יד (v. 18; 15,10; 23,20 [21]; 28,8.20), idem fere quod מעשה יד (2,7) : refertur potissimum ad opera agriculturae (v. s. p. 128 n. 63 et p. 130 n. 74). Epula sacra intelliguntur hic epulum paschale et epula pacificorum, quae habebantur imprimis in tribus solemnitatibus, quando cum *domo sua* quisque ascendebat. Sed non adscribitur in hac antiquiore lege, uti v. 12.18, *Levita* indigus.

Igitur *locus, quem elegerit Iahve* non intelligitur hic ille solummodo locus, in quo tandem arca permanentem sedem nactura esset, mons Sion, secus enim post destructa gentilium altaria caruissent Hebraei loco cultus, quoad tandem arca deferretur in montem Sion ; sed intelliguntur loca illa in Chanaanitide omnia, quibus annuente Iahve substitura erat arca (Galgala, Silo etc.). Sanctuaria gentium repudiat Iahve, locum arcae eligit, ibique cultum non solum acceptat sed exigit. Oppositio est, non tam inter loca *multa* et locum *unum*, quam inter *repudiare* et *eligere*. Inter *multa* et *unum* non datur tertium; sed inter *repudiatum* et *electum* datur utique tertium, illud sc. quod neque repudiatur neque eligitur. Iahve unicum quoque tempore locum eligit : licetne hominibus hebraeis alia sibi loca eligere, ubi Iahvae cultum spontaneum reddant praeter cultum ab ipso in sanctuario maximo exactum? *Id lex v. 2-7 non vetat*, id eam implicite permittere docent novellarii v. 8-28, qui utique non studebant hanc legem subvertere, sed necessitatibus sui aevi adaptare.

Si quis e contra premat oppositionem inter loca *multa* et locum *unicum* censeatque, illud etiam statui discrimen inter cultum Iahve cultusque Chananaeorum, ut hi multa, ille unicum habuerint sanctuarium, is novellatores v. 8-28 facit non solum legem antiquiorem v. 2-7 ad tempus certe suspendentes, quod Deo volente facere potuerint, sed eius falsam tradentes explicationem, quod sane non fecere inspirante Deo. Novellatores quippe non novas penitus in medium proferre volunt regulas, sed praetendunt se legem antiquiorem ex-

plicare suique aevi necessitatibus adaptare; id agentes legem antiquam detorquerent ad sensum ei legi prorsus oppositum, si ea supponatur, quod supponere non cogimur, unicitatem loci cultus statuere. Neque obiicias prophetas posteriores unicitatem hanc inculcantes. Quorum aevo arca permanentem Sione nacta erat sedem, totaque regio in manibus erat Hebraeorum. Illi igitur, sublatis iam iis quae prius fuerant difficultatibus, cultum revocavere ad conditionem perfectiorem, quam Deus pro tempore perfectae obtentae « requiei » a primis intenderat, quae sub Moyse de facto viguerat, sed lege antiqua v. 2-7 nondum sanciebatur, ob praevisas sane a Deo aevi iudicum difficultates.

Ergo nihil est, cur legem v. 2-7 quoad substantiam et spiritum negemus a *Moyse* esse editam : Moysis mentem exprimit (cf. 7,5; Lev. 17), et debuit fere ante transitum Iordanis, aut certe brevi post illum ferri[1].

b. Ad legem Deut. 12,2-7 novella prior Deut. 12,8-19.

Arg. — Novellarius in Moysis persona praecedentem legem individue producens affirmat, suo aevo quoslibet sibi fas esse duxisse, ubi libuerit sacrificare Iahve. Cuius licentiae rationem assignat rei publicae Hebraeorum conditionem adhuc incertam, qua neque arca neque populus perfectam nactus sit requiem. Licentiam interea circumscribit ita, ut oblationes lege praeceptas ad sanctuarium maximum deferri iubeat, ibidem, non domi comburendas aut sacris epulis absumendas; mactare vero cibi causa permittat ubilibet, ritu non sacro. Altarium privatorum mentionem non facit, nisi implicitam v. 8; iis tacite permittere videtur sacrificia lege non praecepta, vo-

1. *P. Vetter* (Theol. Quartalschrift, Ravensburg 1899, p. 525 sq.) ait, aevo iudicum Hebraeos legem Deut. 12 interpretatos esse ita, ut sacrificia ordinaria apud sanctuarium maximum offerri oporteret, sacrificia extraordinaria fas esset offerre *iis locis, quae Iahve aliqua theophania ante consecrasset* (Iud. 2,5;6,11-24. 25-32;13,16-23); aevo autem Samuelis plura oblata esse sacrificia iis etiam locis, qui et arca et theophania caruissent, quod arca e Philisthaea redux aliquando caruerit certa sede a Iahve electa. Respondeo, theophaniam in Bochim utique fuisse publicam, theophanias Gedeonis et Manue privatas: si quicumque sibi videbatur nactus esse theophaniam (cur non etiam somnium divinitus immissum [cf. Gen. 28,12]?), potuit in loco theophaniae offerre sacrificia, permittebatur lex Deut. 12 privato quorumdam arbitrio. *E tribus* exemplis laudatis audacius infertur, in omnibus et solis theophaniarum locis fas fuisse altaria exstruere. Habuitne theophaniam altare illud, quod erigi præceperat Moyses Deut. 27,5? Altaria illa, quae Deut. 12,8 permittit aut certe tolerat, nequeunt supponi singula theophania aliqua esse honestata. Deut. 16,21 (cf. Hebr.) pronuntiat privatis fas fuisse altaria exstruere. Ergo ita *interpretabantur* Hebraei ante Samuelem legem Deut. 12, ut apud solum sanctuarium maximum liceret offere sacrificia lege praecepta (cultum officialem), alibi sacrificia privata. Quam interpretationem editis portentis Iahve *approbavit.*

taque minora. Omnino autem inculcat, ut epulis sacris adhibeantur Levitae pauperes.

Apud antiquos ante Samuelem homines, apud quos eae leges adoleverant, quas ipse tandem in suum retulit collectaneum, videtur invaluisse mos, ut quae praeter leges a Moyse latas circumferrentur leges, eae Moysi tribuerentur auctori, quo maior eisdem conciliaretur veneratio et auctoritas. Ipse Moyses fingebatur eas leges esse prolocutus trans Iordanem. Audacior etiam novellarius 12,8-10 non solum Moysis personam ipse suscipit, Moysis nomine loquitur, eius v. 2-7 sermonem individue producit, se ipsum fingit in Moysis persona trans Iordanem constitutum, sed imo sui aevi conditiones in aevum mosaicum transfert, fingit aevo mosaico ad finem vergente summam invaluisse in sacrificiis immolandis licentiam, Moysenque producit ea verba pronuntiantem, quae nullo nomine ipse Moyses unquam pronuntiare potuit. Quaeritur, quomodo haec cum veritate textus sacri componantur.

Recordare, quod dicebamus p. 147 sqq., quomodo potuerit legibus quibuslibet divinis, non mosaicis tantum, sed etiam postmosaicis, inscribi formula « Locutus est Iahve ad Moysen »; qua inscripta formula affirmabatur earum legum eadem cum legibus a Deo per ipsum Moysen editis auctoritas. Habent sc. sua legalia idiomata leges, formulas quasdam loquendi usu consecratas, quae si sensu literali accipiantur, verae non sunt, sed intelligantur oportet sensu suo conventionali et legali, eoque sensu intellectae verae sunt. Recole exemplum quod p. 148 afferebamus, Decreti Gratiani, in quo canonibus quibuslibet Gratiano posterioribus praefigitur vox Palea, abbreviatum nomen Paucapaleae discipuli Gratiani, licet eorum additamentorum plurima Paucapalea sint posteriora. Illa igitur vox Palea sensu literali accepta efficeret, omnia illa additamenta esse Paucapaleae insertoris; sed accipiatur oportet sensu suo translato legali, quo ad additamenta quaelibet Gratiano posteriora designanda scribi consuevit. Qui vocis sensui literali inhaerens ea omnia, quae Palea inscribuntur, uni tribueret Paleae, in aperto errore versaretur; qui eandem, uti par est, sensu acceperit legali, is vere in Decreto discriminabit ea, quae sunt Gratiani, ab iis, quae sunt Gratiano posteriora.

Eiusmodi igitur idioma legale apud Hebraeos fuisse censemus illud, ut qui propheta aspirante Deo lege aliqua a se prolata legem Moysis compleret aut mutaret, id aliquando praestaret loquens in persona Moysis, sive praefixa formula « Locutus est Iahve ad Moysen », sive, quod in idem recidit, se ipsum fingens cum Moyse trans Iordanem

constitutum Moysisque ore loquentem. Loquebatur vero hac ratione non ut historiographus vel criticus, qui cuperet nos edocere a quonam, sed ut propheta et legislator, qui inculcare desideraret, qua auctoritate ea lex ferretur. Sc. ei soli, uti patet, hac ratione loqui fas erat, qui unus veluti cum Moyse legislator Moysisque auctoritatis particeps esset. Igitur idioma illud, quod suggerimus, pro recepto et legitimo habuisse videtur Esdras, qui tacito etiam Moysis nomine 1 Esdr. 9,11 *prophetas* omnes introducit veluti trans Iordanem constitutos Iahvae mandata promulgantes : « mandata tua, quae praecepisti per servos tuos prophetas dicens : terra, ad quam vos ingredimini possidendam, terra immunda est etc. ». En prophetae omnes his verbis producuntur ante populi in terram promissam ingressum susceptum aut certe completum populum alloquentes; qui sc. suis oraculis nonnisi complerent aut circumscriberent leges a Moyse ante illum ingressum latas. Illud porro sermonis idioma legale Deut. 12 adstruendum omnino esse inde efficitur, quod novellarius v. 8 sqq. evidenter loquatur in persona Moysis, idemque indubie sit homo a Moyse diversus. Etenim extrema Moysis vita tam miseram fuisse sacrorum apud Hebraeos conditionem, ut quilibet ubilibet victimas immolaverit, nulla est sufficiens ratio concedendi; dissonat quippe illud ab omnibus, quae de Moysis zelo servandae cultus integritatis comperta habemus. Ut Moysen fingamus de tam lugenda licentia, si ea supponatur eo superstite invaluisse, locuturum fuisse tam indulgenter, atque loquitur novellarius v. 8 sq., plane intolerabile est; intolerabilius adhuc, ut Moysen adstruamus eius licentiae se veluti socium professurum fuisse, scripto illo pronomine *nos*. Ergo fuit reapse apud Hebraeos illud sermonis idioma legale, ut prophetae Moysis leges complentes, explicantes, applicantes, mutantes loquerentur aliquando in persona Moysis.

Erat autem specialis ratio eius modi loquendi adhibendi Deut. 12 : sc. ut v. 8-10 novellarius legem explicans ab ipso Moyse profectam Moysis etiam sermonem individue produceret et Moysis nomine loqueretur, usus figura sermonis oratoribus, paraphrastis, catechetis usitata. Quodsi novellarius se alium a Moyse esse aperte profitebatur, periculum erat, ne eius statutis auctoritatem populus tribueret minorem ea, quae legibus ab ipso Moyse latis debebatur. At illud potissimum intendebat novellarius, ut sua statuta tantae haberentur auctoritatis, quanta statutis a Moyse profectis tribuebatur, auctoritatis legum vere et plene divinarum.

v. 8 « *Non facietis* [*ibi*] » *secundum omnia,* « *quae nos hic facimus hodie*, *singuli quod sibi rectum videtur* ». Non agi de iis, ad

quae alludit Am. 5,25 sq. (*Calm.*), patet ex adscriptis vocibus *hic hodie* : illa sc. acta fuerant *in deserto*, sed orator noster certe non versatur in deserto, e quo (cf. CN p. 246) dudum excesserant Hebraei. Orator affirmat, suo tempore (*hic hodie*) quoad locum oblationum (v. 11, cf. v. 5 sq.) et quoad epula sacra (v. 12. cf. v. 7) *singulos, quod sibi rectum videretur, egisse*, i. e., cum totus Deut. 12 sermo sit de *loco* sacrorum peragendorum, singulos haec peregisse *ubicunque libuisset*. Recordare porro in deserto, de facto certe, unicum fuisse cultus locum, omni hac in re severe praecisa licentia (cf. Lev. 17). Quibuscum collatus noster v. 8 lugendam plane prodit degenerationem. Potuitne ea locum habere extremo vitae Moysis tempore, vix uno elapso anno post populi reconciliationem cadesianam? Nolim id a limine negare, licet Moysis senis coniecerim parem fuisse et mentis et corporis (34,7) vigorem. Tamen in historiis elucidandis tutius duco iis, quae facta esse a gravibus testibus affirmantur, adhaerere quam, quod creditu difficilia appareant, eadem repudiare. Verum, num textu adstringimur, extremis Moysis diebus tam lugendam religionis depravationem adstruere?

Illam effrenam licentiam sacrorum ubicumque libuisset peragendorum pro tempore suo, imo pro universo usque ad assignatam aliquando arcae perpetuam requiem tempore, scriptor v. 8 non solum non reprobat sed, si non approbat, at certe *explicite tolerat*, loquens in prima persona : *quae nos facimus*. Atqui ita non potuit loqui Moyses, sed posterior quidam, qui illam licentiam per totam late regionem dudum vigere contuitus, sive quod eam legi v. 2-7 evidenter adversari non censeret, sive quod eam suis perturbatis temporibus efficaciter reprobari posse desperaret, non duxit suarum esse partium illam abrogare, sed sapientibus monitis circumscribere, simul inculcans eam aliquando fore penitus abrogandam, cultumque ad pristinam, quae in deserto fuerat, unitatem revocandum. Factum igitur h. l. conspicimus idem, quod in legibus Lev. iterum iterumque factum deprehendebamus : legi antiquiori v. 2-7 ad calcem adscripsit recentior aliquis sua additamenta, explicationes, adaptationes. Et, cum ipse non aliud intendat, nisi ut Moysis placita suis temporibus adaptet, personam Moysis ipse induit, eiusque v. 2-7 orationem individue producit v. 8 sqq.

Ceterum eius licentiae causam aliquam ad ipsa Moysis tempora pertigisse, facile concesserim. Reapse, dum cum Iosue plures versarentur prope Ammonitarum fines (CN p. 346), alii in Basanitide, Rubenitae et Gaditae inter Arnonem et Iebocum late spargerentur, erat sane occasio, imo saepe veluti necessitas, immolandorum pecorum

procul sanctuario. Verum, cum Lev. 17 stricte prohibiti fuerint Hebraei, alio nisi pacificorum ritu ad altare illa animalia mactare, cumque tum, quantum novimus, explicita prohibitio aliorum erigendorum altarium non exstaret, nonne existimare debebant vel homines pii se rem Iahve gratam esse facturos, si in altaribus ritu praemosaico (Ex. 20,24 sq.) constructis illa animalia immolarent, sanguinem altaribus illinirent, adipem etc. adolerent? Eiusmodi sacrificia reapse Iahvae fuisse accepta, disce ex actis Gedeonis, Samuelis aliorumque insignium virorum. Verum, quo tempore concinnabatur v. 8, hic usus ita abierat in abusum, ut *singuli* id egisse referantur *ad libitum* et, quod prodit pronomen *nos*, universim omnes; de Iahve hac in re placito non inquirebant, singuli pro lubitu agebant, imo quod lubebat *rectum* habebant, invocatis praetextibus necessitatis et communis reliquorum agendi rationis. Non solum quae ad victum necessaria erant animalia in altaribus privatis immolabant sed, quod innuunt v. 11 sq., ib. holocausta omnisque generis sacrificia offerebant, decimas et primitias persolvebant, sacra epula obibant. Totus cultus domi celebrabatur, sanctuarium publicum negligebatur, dum sacerdotes aaronici probrosa egestate premebantur. Apud altaria privata sacris fungebantur homines laici (cf. Iud. 6,26 etc.), etiam simplices levitae (cf. ad Deut. 18,8), sacerdotum et levitarum discrimen obscurabatur. Scriptor vero v. 8 sqq. in eo est, ut hos abusus circumscribat, sanctuarii maximi eminentiam tueatur. Neque mireris, haud ita diu post Moysen et Iosuen tam graves abusus irrepsisse. Composuerat Cadesae Moyses tribuum schismata, cultum tabernaculi restituerat; docemur tamen Num. 32 tribus Ruben, Gad et Manasse non fuisse plene reconciliatas, Num. 25 homines ad luxuriam et superstitionem fuisse perquam pronos, neque ab his vel in ipso semper tabernaculi conspectu temperasse; duram cervicem Cadesae minime abdicaverant (Deut. 31,27). Quid mirum, eos brevi post Moysen et Iosuen gravissima religionis officia neglexisse? Quod explicite testatur Iud. 2,7.10 sq.

v. 8 scriptor utique manifestabat, se illam licentiam ubivis sacricandi habere pro re imperfectiore et aliquando abroganda : *Non facietis*, ubi omnino secundum contextum *Vulg.* supplet vocem *ibi*, h. e. in cisiordanica, *sicuti nos facimus hic hodie*. Neque tamen procedit ad eam licentiam illico abrogandam sed, loquens in persona Moysis in ripa orientali Iordanis constituti, affirmat eam abrogandam fore non in transiordanica, sed *ibi* in cisiordanica. Non sunt haec verba ipsius Moysis, qui semper strenue adnitebatur, ut lex integre illico servaretur, imprimis quae cultum sanctuarii spectabant (cf. Num. 16). Cuius indulgentiae rationem assignat v. 9 :

« *Neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.* » Quod Iahve usque et in animo habuerat et promiserat, illud erat, ut et populus et sanctuarium perfectam in terra promissa nanciscerentur *requiem*. Et arca quidem per desertum processerat de requie in requiem, de statione in stationem (Num. 10,33 sec. Hebr.), nactura tamen erat veram requiem nonnisi in terra sancta; item populi requies constitura erat pacifica possessione terrae promissae, quam tamen secundum Ex. 23,29 sq.; Deut. 7,22 non uno post Moysen die neque anno nacturi erant Hebraei. v. 10 *Et « transibitis Iordanem et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus » — Hebr. : haereditate divisurus — « est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore habitetis* ». Exspectaveris, scriptorem Moysis persona loquentem illico sanciturum, ut *ibi* in cisiordanica, nulla admissa mora, cultus revocaretur ad eam perfectionem, quae de facto obtinuerat in deserto. Id non facit. Credo equidem omnino scriptorem nostrum eam conditionem perspexisse esse et unice perfectam et aliquando effectui mandandam, quod aevo Davidis reapse factum est. Verum progreditur ipse primum ad aliam indulgentiam concedendam, cultumque conformandum legi v. 2-7 benigne intellectae. Sc. in terra promissa arca et populus non erant illico perfecta requie fruituri. Arca habitura erat requiem primum magis stabilem in Silo, Cariathiarim etc., ac tandem permanentem in monte Sion; populus habitaturus erat primum Chananaeis permixtus, hostium incursionibus plurimum expositus, tandem exstirpatis Chananaeis et regno firmiter constituto fruiturus erat perfecta pace. Sicut igitur populus et arca intervallis quibusdam ad perfectam requiem erant perventuri, ita censebat etiam scriptor noster sacra gradatim esse reformanda atque ad eam revocanda perfectionem, quam in deserto non lege quidem lata, sed de facto obtinuerant. Non extemplo vetuit, ne quis non aaronita, neve alibi quis nisi apud sanctuarium maximum sacrificaret, sed licentiam v. 8 sapientibus quibusdam regulis circumscripsit. Id vero eum fecisse approbante Deo inferas inde, quod Deus aliqua sacrificia in altaribus privatis oblata miraculis cohonestaverit : Iud. 13,19 sq.; 1 Reg. 7,9 sq.

v. 11 *Et erit, « in loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen eius in eo »* (cf. v. 5), « *illuc omnia, quae praecipio, conferetis* ». Ergo *ea, quae praecepta sunt,* ad sanctuarium afferantur; in reliquis conceditur libertas. Nota incisum hoc, quod v. 6 ignorat, adscribi v. 11 a novellario, qui v. 6 explicandum h. l. suscepit.

Porro singula fere iisdem atque v. 6 verbis enumerantur : « *holocausta et hostias ac decimas et primitias manuum vestrarum* »; et adscribuntur aliqua, quae *praecepta* non sunt, sed ex ipsa offerentis liberalitate procedunt : « *et quidquid praecipuum est in* [*muneribus*], *quae vovebitis Domino* ». *Hostias* intellige, uti v. 6, pacificas; adverte etiam, in omnibus legibus Deut. 12-26 nullam haberi mentionem victimarum pro peccato et pro delicto : videntur, quo aevo plurima peccata committebantur, eodem sacrificia pro peccato fere abiisse in desuetudinem. Perpende adiectivum voci *vota* adscriptum : *vota electa,* ergo nobiliora. E v. 17 sq. patet, agi de victimis voto promissis, quae *comederentur.* Non inde tamen concludere fas est, quoties victima esset voto promissa, eandem fuisse apud sanctuarium maximum immolandam : cur non fuerit licitum vovere victimam in altari privato offerendam? Quae vota venirent nomine *votorum electorum,* norant sane novellarii aequales. Habet profecto v. 11 quoad vota evidentem restrictionem statuti v. 6. De *oblationibus voluntariis* nihil habet v. 11, quae tamen habentur v. 6 et v. 17. Sunt autem v. 11 et v. 17 una lex, quae exprimitur forma v. 11 positiva, v. 17 negativa : ergo dicendum erit, illud de oblationibus voluntariis incuria scribae aut v. 11 excidisse, aut v. 17 irrepsisse. Hoc alterum probabilius. Quodsi enim tres textus v. 6.11. 17 illud de oblationibus voluntariis habebant, non perspicitur ratio, cur illud v. 11 exciderit; si autem v. 11.17 primitus illo carebant, facillime illud e v. 6 in v. 17 irrepebat, scriba aliquo reputante eandem adamussim atque v. 6 legem tradi, neque advertente eam, uti v. 11, ita etiam v. 17 paulum mutari. Sane holocausta, quae in altaribus privatis offerebantur et quandoque divinis miraculis cohonestabantur, erant oblationes voluntariae, cum holocausta praecepta omnia ad sanctuarium maximum essent immolanda. Ergo duplex v. 11 in favorem altarium privatorum tacita conceditur indulgentia : permittuntur illis vota minora et oblationes voluntariae omnes. Uti patet, non prohibebantur homines, quominus haec etiam ad sanctuarium deferrent.

Novellarius iam v. 7 explicandum aggreditur, ubi potissimum notandum illud de Levita paupere. v. 12 « *Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiae vestrae, famuli et famulae, atque Levites, qui in urbibus vestris commoratur* ». De filiabus et ancillis ad sanctuarium accedentibus, dicemus ad 16,11. Cf. 12,18; 14, 27; 16,11.14; 26,11. Enumeratio vix non eadem est atque in decalogo Ex. 20,10 : sed in locum « advenae, qui est intra portas tuas » succedit h. l. *Levita, qui est intra portas vestras.* Levita igitur h. l. veluti

in advenarum ordinem relegatur, cum secundum Num. 35 nequaquam advena sit, sed certas sedes et pascua habeat assignatas. De Levitis vagis, pauperibus dicemus ad Deut. 18. « *Neque enim habet* [*aliam*] *partem et possessionem inter vos* ». Num. 18,21 omnino attribuitur Levitis נחלה, possessio : neque noster scriptor negat, illis de iure aliquam obvenisse possessionem, sed negat, illos de facto suo tempore possessionem habuisse. Textus etiam suggerit, in plerisque urbibus eiusmodi Levitas vagos esse repertos, qui cum urbicolis ad sanctuarium accedentes, urbicolarum epulis sacris essent adhibendi.

Posquam scriptor v. 11 sq. mandatum v. 5-7 paucis additis vel omissis suo aevo generatim applicavit, ad particularia descendit et primum quidem *sacrificia lege praecepta*, haec quippe sola secundum v. 11.14 intelliguntur, apud sanctuarium omnia statuit esse immolanda. v. 13 « *Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris* ». Censet *Dr.* exprimi locum, qui oculos procul intuentium attrahat, quod sit mons aut collis aut arborem habeat patulam; cuiusmodi locus potuit facile antea fuisse locus cultus ethnici (v. 2 sq.), facile etiam evadebat locus religionis non privatae tantum, sed quadamtenus publicae, homines plures attrahens ad se et abstrahens a sanctuario communi. Sed num ea reapse est significatio simplicis vocis *quem videris?* Quam malim accipere pro synonyma expressionis v. 8 *quod sibi rectum videtur*. Reprobatur rursum effrena in his rebus licentia. v. 14 « *Sed in eo, quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeres hostias et facies, quaecunque praecipio* » — *praecepi* — « *tibi* ». Pro *hostias Hebr. holocausta*, et *facies* audacter interpretare *sacrificabis* (cf. *Chald.*). Quaenam vero *sacrificia* hac voce exprimuntur? Si solum cum v. 13 sq. nexum attendas, referas forte ad sola holocausta. Cum autem v. 15 voce רק introducatur ante dictorum limitatio quaedam, quae neutiquam spectat holocausta, illud *sacrificabis* referas ad quodvis sacrificiorum genus. Adscribuntur autem voces *quaecunque praecepi tibi*, quo perspicias agi de solis sacrificiis lege mosaica *praeceptis* : haec non alio loco nisi apud sanctuarium oblata Iahvae accepta erunt. Permittit igitur scriptor, ut sacrificia, imo holocausta, non quidem lege praecepta sed liberaliter oblata, aliis etiam locis offerantur. Quod certe fecere Samuel aliique. Qui sensus confirmatur particula כי אם, quae hic non magis quam v. 5 proscribit religionem altarium privatorum, demonstrat tabernaculum tamquam locum cultus ordinarium et legitimum, sed non necessario unicum.

Voce רק quandoque Deut. legibus adnectit quaedam non spernendi momenti, v. g. sanguinem animalium effundendum, non comedendum

(12,15.16.23; 15,23; cf. 12,26), fastum regium vitandum (17,16), excidenda ligna silvestria, sed non pomifera (20,20), servanda summo studio mandata (15,5; 28,13). Iam recordare, Lev. 17 iniunctum esse, ut mactationes omnes, etiam pro cibo potissimum comparando, fierent prope sanctuarium ritu pacificorum : merito igitur sermo de *mactationibus* h. l. adnectitur tractatui de sacrificiis. Non de quibuslibet mactationibus h. l. agitur, sed de iis quae fiunt non ob religionem sed e desiderio carnium comedendarum : haec in posterum sacrificia non erunt. Ceterum haec indulgentia, licet h. l. a nostro scriptore promulgetur, sine dubio extremo iam vitae Moysis anno (v. s.) aut diserte aut tacite concedebatur, cum secus populus per regionem late sparsus esu carnium interdiceretur. Non tamen vetat scriptor has etiam mactationes peragi in altaribus privatis, sanguine altari illito; multo minus vetat ib. e motivo religionis offerri victimas pacificas. v. 15 « *Sin autem comedere volueris* [*et te esus carnium delectaverit*], *occide et comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi, in urbibus tuis, sive immundum fuerit,* [*h. e. maculatum et debile*], *sive mundum,* [*h. e. integrum et sine macula, quod offerri licet*], *sicut capream et cervum, comedes* ». *Vulg. immundum et mundum* retulit ad *res comedendas* et, cum tamen novellarius certissime non intendat (cf. cap. 14) concedere veniam comedendorum eorum animalium quae secundum speciem suam immunda sunt (Lev. 11), immundum explicat *Vulg.* de iis, quae specie quidem sunt munda, sed ob aliquem defectum a sacrificiis excluduntur (Lev. 22). Sed *immundum et mundum* intelligi de *comedente* exigit *Hebr.* et perspexere versiones reliquae. Datur liberalis omnino venia animalium pro cibo per totam regionem mactandorum : *tantummodo, secundum omne desiderium animae tuae* : vescentur carnibus, quandocunque et ubicunque libuerit. Debent eae, uti per se patet, esse specie mundae : at, hoc observato, mactent de *benedictione* Iahve, ergo de animalibus gregum, eisque vescantur *sicut* vescuntur *gazella* seu antilope et *sicut cervo,* qui neque iugulantur neque manducantur ritu pacificorum : erit comestio prorsus profana. *In omnibus portis tuis,* utique *urbium* : sed an pro solis urbium incolis scribit Moyses? Num Deus consuevit gazellas *dare in portis urbium?* Ergo mutanda interpunctio *Masor.* et versionum : *in omnibus portis tuis comedes,* non ruri solum aut in penetralibus domus, sed publice, in portis, in festivis conviviis, est enim res plane licita. Comedet tandem *immundus et mundus* : neque ille, qui aliquam contraxit immunditiem, usquedum hanc immunditiam « ad vesperam » mundaverit, ab esu harum carnium prohibetur; prohi-

beretur autem immundus ab esu carnium sacrificalium. Et ratio est, quia mactationes hae ad communem usum susceptae minime habentur in posterum sacrificia, neque sanguis altari illinitur, sed in terram effunditur : v. 16 « *absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes* ». De *adipe* non comedendo silent leges Deut.

Cum concederentur iam mactationes pro cibo domi faciendae, opportune simul illud inculcabatur, non licere ea domi comedere, quae ut ad sanctuarium deferrentur lege statutum erat. Quae lex fideliter observata haud parum collatura erat ad religionis unitatem et puritatem. v. 17 « *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti et vini et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quae voveris et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum* », *Hebr.* : *elevationem manus tuae* (cf. v. 6); v. 18 « *sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus et filia tua, et servus et famula, atque Levites, qui manet in urbibus tuis; et laetaberis* [*et reficieris*] *coram Deo tuo in cunctis, ad quae extenderis manum tuam* ». Interpretare uti v. 6 : in omnibus operibus tuis agrestibus, i. e. eorum fructibus, qui sunt primogenita, primitiae etc. Omittitur hic et v. 12 *uxor* : an ea, ceteris ad sanctuarium ascendentibus, una remanebat domi? De secunda decima dicemus ad 14,22 sqq.; sed vox *decima* omnino includit primam et certe potiorem decimam, quae Num. 18,20 sqq. levitis assignabatur pro sustentatione. *Primogenita* animalium gregalium maiorum (boum) et minorum (ovium, caprarum) Num. 18,15 cedebant sacerdotibus; item *elevatio* seu תרומה Num. 18,8 sqq., quo nomine etiam *primitiae* (*Vulg.*) includebantur. An ergo scriptor haec omnia, nullo adhibito discrimine, *laicis* comedenda permittit? Suggesserit quis, scriptorem universalem enuntiare legem haec nonnisi apud sanctuarium esse comedenda, non affirmare comedenda esse singula a singulis, sed singula ab iis quibus lege attribuerentur; definire velle potissimum locum quo, non personas a quibus comederentur. Obest tamen illud, v. 17-19 adscribi in oppositione quadam ad v. 15 sq. : ibi recensebantur, quae Israelitae omnes ubique comederent, hic recenseri, quae unico loco comedere fas esset, et Israelitis quidem omnibus, filio et filiae, servo et famulae, iisque non Levitis, quod patet cum per se, tum ex adscripto *Levites*. Subiectum v. 17 sqq. idem prorsus est, quod v. 15 sq. Imo h. l. decimae etc. non solum solis sacerdotibus et levitis non reservantur, sed specialis adscribitur cautio, ne levitae in horum distributione praetermittantur : v. 19 « *Cave, ne derelinquas Levitem in omni tempore, quo versaris in*

terra ». *Hebr.* : *omnibus diebus tuis super terram*, tota vita tua. Gratuito prorsus videntur aliqui supponere, aevo iudicum apud pios saltem Israelitas leges a Moyse editas adamussim semper aut esse observatas aut observari potuisse. Quo loco tum essent res, discere oportet e positivis testimoniis, cuiusmodi est noster textus, quem alii collectanei textus corroborant. Secundum quem fatendum erit, aevo iudicum lugendum in modum Num. 18 abiisse in desuetudinem : cuius rei perturbatissima tempora evidens causa exstitere. Puniebantur populi superstitiones soli ariditate, locustarum plagis, inimicorum repetitis atque diuturnis incursionibus et oppressionibus. Annis bene multis non erant quae ad sanctuarium deferrentur, segetes et greges ab hostibus abigebantur, difficilior erat sanctuarii accessus, singuli vix quo vitam sustentarent habebant. Plerique igitur sanctuarium non adibant, vacuis manibus accedebant alii, alii tenuia dona deferebant. Necessitate adigebantur sacerdotes et levitae ut, quae sibi obtingerent, ea cum egentibus communicarent, ne hi in ipso sanctuarii conspectu inedia conficerentur. Unde fieri debuit, ut omnia tandem permiscerentur, populus pro consuetudine exigeret, ut ad omnium cum sacerdotibus et Levitis prope sanctuarium residentibus communionem admitteretur, levitae vero aliunde advecti penitus quandoque negligerentur. Scriptor noster, impossibile ratus omnia tum ad strictam normam Num. 18 revocare, duobus omnino insistit : primum ut illae res ad sanctuarium deferrentur; alterum, ne Levitae pauperes negligerentur. Fortasse etiam per prophetas aliqua legis Num. 18 relaxatio ad tempus fuerat concessa, similiter atque Moyses Num. 15 obligationem offerendae minchae ad tempus suspenderat.

c. Ad legem Deut. 12,2-7 novella altera Deut. 12,20-28.

Arg. — Pecora pro cibo mactare ritu non sacro fas est ubilibet, praeterquam prope sanctuarium. Oblationes sacrae ad sanctuarium deferendae, holocausta comburenda tota, reliquorum sanguis altari illiniendus, carnes vero a fidelibus comedendae. Servaturi haec praecepta a Deo benedictionem ferent.

Novella non habet commendationem Levitarum pauperum, sane quod novellarius potissimum rebus cleri ad sanctuarium residentis consulat, qui utique epulis illis adhibebatur, quae consequebantur sacrificia eiusdem cleri ministerio oblata. Tamen nihil habetur de portionibus victimarum sacerdotibus reservandis, neque de adipe. Novellarius cavet, ne propius apud sanctuarium fiant mactationes profanae; totus est in usu sanguinis definiendo.

v. 20-28 ea, quae v. 10-19 pro tota regione statuebantur, repetit atque specialiter adaptat loco sanctuarii. Ubi v. 20-25 correspondent iis, quae v. 15 sq. de loco mactationum dicebantur. v. 20ᵃ accuratius determinat descriptionem v. 10 (cf. v. 1) indicatam temporis, quo haec lex plene sit observanda; quod tempus novellarius profecto censet suo aevo iam advenisse. v. 20ᵇ magis etiam quam v. 15 inculcat libertatem mactandi quandolibet. Sc. vocibus *secundum omne desiderium animae tuae manducabis carnem*, quae v. 15 item habentur et v. 21 repetuntur, praemittit v. 20 haec : *Si dixeris : manducabo carnem, quia desiderat anima tua manducare carnem*. Locus sanctuarii v. 21 iisdem atque v. 5. 11 (cf. v. 18) verbis describitur. *Sicut praecepi tibi* respicit indulgentiam v. 15 concessam. v. 22 repetit quaedam ex iis, quae v. 15 habebat. v. 23 eandem atque v. 16 prohibitionem repetit, orsus item voce רק; sed eam severius inculcat adscripto חזק לבלתי, *assidue caveas, ne*, itemque prohibitionis ratione *quia sanguis ipse est vita : non manducabis vitam cum carne*. v. 24 verbotenus consonat extremo v. 16. Repetitis tandem vocibus *non manducabis*, v. 25 additur promissio prosperitatis, eo quod, qui haec servaverit, egerit id quod vere *rectum* est (cf. v. 8). — Postea v. 26 sq. breviter resumuntur, quae habebantur v. 11 sq. (cf. v. 5 sq.) de peragendis prope sanctuarium. Dum v. 15 voce רק sermo de mactationibus sermoni de deferendis ad sanctuarium adnectebatur, inverso ordine hic illi sermoni v. 26 eadem particula appenditur. Voce *sacra tua* (*Vulg. : quae sanctificaveris*) exprimuntur diversa illa, quae v. 17 (cf. v. 6) recitantur, praeter *vota*, quae hic seorsim efferuntur. v. 27 uti v. 14 scribitur עשה significatione *sacrificandi*, sed inculcatur holocaustorum carnem et sanguinem esse altari imponenda, pacificorum carnes epulis reservari. Concluditur, uti v. 20-25, ita etiam v. 26-28 promissione obtinendae benedictionis. Sed nihil habetur de epulis sacris (v. 12. 18; cf. v. 7) prope sanctuarium celebrandis. Dum v. 17 sq. per modum prohibitionis repetit ea, quae v. 11 sq. per modum praecepti enuntiabantur, non habetur v. 20-28 eiusmodi repetitio; abest item altera v. 13 sq. de holocaustis repetitio (cf. v. 11).

Igitur v. 20-28 eadem pertractant quae v. 10-19 quibusdam omissis, aliis declaratis ita, ut v. 10-19 tradantur regulae profuturae magis incolentibus procul sanctuario, v. 20-28 incolentibus prope sanctuarium. v. 20-28 eiusdem novellarii esse atque v. 8-19, suadet stilus utrobique idem, constructio cum רק. Tamen stili affinitas inde quoque repeti potest, cum quod tam auctor v. 8-19 quam auctor v. 20-28 eandem legem v. 2-7 commententur eiusque stilum imitentur, tum quod fortasse totum cap. 12 ab uno postmodum scriba fuerit rescriptum stilo suo. Ergo non est a limine repudianda opinio v. 8-19 et v. 20-28 diversorum esse novellariorum.

Tempus, quo lex v. 2-7 plenum effectum esset nactura, describebatur v. 10 a transitu Iordanis, hic describitur a *dilatatione terminorum*, quae expressio non respicit dilatationem Gen. 15,18 etc. promissam et Davide rege effectam, qua Hebraeorum termini ad Euphraten usque aliquando pertigere, sed eandem atque v. 10 (cf. v. 1) dicit expansionem : tempore cisiordanicae plene subactae licebit Hebraeis ubi libuerit mactare animalia. v. 20 « *Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, et volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua* », v. 21 « *locus autem, quem ele-*

gerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis et pecoribus, quae habueris, sicut praecepi tibi, et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet ». Quibus ab indulgentia v. 15 concessa excluduntur ii, qui *prope* sanctuarium versabantur : hi debebant animalia gregalia in foribus sanctuarii mactare, ritu hostiarum pacificarum. Qui vero censebantur *procul* abesse sanctuario? Fortasse ii, qui extra fines *urbis* (v. 15. 18), in cuius finibus sanctuarium esset, versarentur. v. 22 « *Sicut comeditur caprea et cervus, ita vesceris eis* » (cf. v. 15), non quasi epulo sacro, « *et mundus et immundus in commune* », i. e. pariter, « *vescentur* » (cf. ad v. 15). Versui 22 praefigitur אך, quod ignorant *LXX Vulg.*, potuitque facile irrepere repetitione sequentium literarum (אַךְ אֲ; sensus erit : *tantummodo* ne eam comestionem reputes sacram (*Kn.*) : aeque profana est atque comestio gazellae, quae sacra esse nequit. v. 23 « *Hoc solum cave, ne sanguinem comedas : sanguis enim eorum* [*pro*] *anima est* », *Hebr.* : *quia sanguis ipse est vita*, seu (Lev. 17,11 et cf., quae ib. de hoc argumento dicebamus) « vita carnis in sanguine est » (cf. Gen. 9,4), « *et idcirco non debes animam* », i. e. vitam, « *comedere cum carnibus* ». v. 24 « *Sed super terram fundes quasi aquam* », v. 25 « *ut bene sit tibi* » (cf. 4,40 etc.) « *et filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini* », *Hebr.* : *quod rectum est in oculis Iahve*, non *in oculis tuis* tantum (v. 8). Benedictio haec promittitur iis, qui religiose observaverint, quae de sanguine statuta sunt.

Absoluto de mactationibus sermone agit novellarius de victimis. v. 26 *Tantummodo*, seu « *quae autem sanctificaveris et voveris* [*Domino*], *tolles et venies ad locum, quem elegerit Dominus* ». *Hebr.* : *sancta tua, quae erunt tibi, et vota tua.* Distinctio *sanctorum* et *votorum* v. 26 non est eadem, atque v. 27 distinctio *holocaustorum* et *pacificorum*. Qui versus distinguit victimas, quarum cum sanguine carnes cedunt Deo (holocausta), ab iis, quarum sanguis Deo, carnes hominibus cedunt (pacifica). v. 26 e contra distinguuntur victimae, quae *vi legis*, ab iis, quae *vi voti* proferuntur. Exigit vero lex cum holocausta tum pacifica, suntque voti obiecta tam illa quam haec. Utique v. 26 omittuntur victimae, quae offeruntur ut *dona voluntaria* (v. 6). Si igitur hanc secundam novellam spectes, prout per suum auctorem vel per collectorem in unam cum praecedente novella coaluit, sine dubio fatebere *sancta tua* idem sonare, atque v. 11. 14 victimas, *quae praeceptae sunt* lege divina. Si vero, quod sane fieri potuit, novellam supponas exstitisse primitus a priore novella separatam, erit tibi fere concedendum, novellam nequaquam

aut certe valde indirecte tantum alludere ad victimas, quae forte alibi quam apud sanctuarium maximum offerrentur. Non potest urgeri illa omissio donorum voluntariorum, neque illud *quae erunt tibi* necessario sensum habet *quae praecepta sunt tibi*. Novellarius primus agebat potissimum de *loco, ubi* singula essent facienda, non poterat plane ignorare altaria privata; novellarius alter potissimum est in *recto usu sanguinis* inculcando. Potuit etiam altera novella esse antiquior priore, nata quo tempore mactationes pro cibo ubilibet factae ratae haberentur, sed victimae in solo altari maximo immolarentur, dum prior novella nata est, quo tempore praeter illas mactationes sacrificia etiam in altaribus privatis oblata habebantur rata.

v. 27 « *Et offeres oblationes tuas* », sed *Hebr.* : *holocausta tua,* « *carnem et sanguinem, super altare Domini Dei tui; sanguinem hostiarum* » pacificarum « *fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris* ». Cum novellario v. 23 sqq. agendum fuerit de *sanguine,* etiam h. l. eiusdem meminit : non tamen de sanguine hoc versu potissimum sollicitus est, sed de *carne*. Sc. in omnibus sacrificiis erat sanguis illiniendus altari, sed in holocaustis imponenda erat tota victima, *caro et sanguis*, sine quibus una impositis non habebatur holocaustum, in pacificis sacrificiis solus sanguis. Verum, nonne in his imponebantur etiam adeps et alia quaedam? Secundum legem mosaicam omnino, sed haec ignorare videtur novellarius, uti etiam portionem sacerdoti exclusive reservatam : carnes universim concedit fidelibus, qui utique sacrificatorem epulo adhibuerint, vel quaedam ex liberalitate concesserint sacerdotibus. En, non decimae solum a laicis comedebantur apud sanctuarium.

Adscribitur v. 28 *benedictio,* quae tamen non, uti illa v. 25, fertur in eos solum, qui illud unicum, quod immediate praecedat (v. 23 sq.), observaverint, sed in eos, qui totum v. 20-27 vel etiam totum v. 8-27 observaverint. v. 28 « *Observa et audi omnia* » *verba ista,* « *quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris, quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui* ». Benedictio fere verbotenus consonat benedictioni v. 25 : voci ישר adscribitur synonymum טוב. Durius monentur primum *observare*, postea *audire* : pro שמר ושמעת *Sam.* שמור ושמעת; fortasse genuina lectio שמור שמרת, *accuratissime observes.* Simul ea, quae praecedit *explicatio* (cf. ad 15,2) declaratur esse *praeceptum* (מצוה), ergo habere vim legis. Cf. p. 112.

d. Ad legem Deut. 12,2-7 novella tertia Deut. 12,29-32.

Arg. — Monet novellarius, ne post destructas cum suis sanctuariis (v. 2 sq.) gentes Chananaeas attentent Hebraei Iahven colere earum gentium ritibus. Eos quippe ritus abominatur Iahve, imprimis liberorum immolationes.

v. 29 « *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas atque habitaveris in terra earum* », v. 30 « *cave, ne imiteris eas* », — *Hebr.* : *ne irretiaris post eas* — « *postquam te fuerint introeunte subversae, et requiras ceremonias earum dicens : Sicut coluerent gentes istae deos suos, ita et ego colam* ». *Hebr.* : *ne inquiras quoad deos earum*, quod recte explicat *Syr.* : *ne interroges de diis earum dicens. LXX* omittunt. Recte *Vulg.*, quoad sensum, *diis* substituit *ceremonias* : sc. non agitur h. l. de diis gentium destructarum colendis, sed de exquirendis cultus exstirpati ceremoniis, quibus iisdem (cf. v. 31) Iahve colatur. Clarius *Hebr.* : *ita et ego faciam;* ac dein : *Non facies ita.* v. 31 « *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni* ». De qua re dicemus ad 18,10. Versum 32 cum *Sam. Syr. LXX Vulg.*, et etiam cum *Masor.* post illum notantibus paroscham, ad praecedentia trahimus dum bibliae nostrae hebraeae illum capiti 13 accensent : collector v. 32, quod item egerat v. 28, inserit formulam (cf. p. 112 sqq.) qua praecedentibus attribuit vim legis. v. 32 (13,1) *Omne verbum,* « *quod* » *ego* « *praecipio tibi* » *hodie* (*Sam. LXX*), « *hoc* [*tantum*] *facito Domino, nec addas quidquam nec minuas* ». Dele *tantum*. *Custodi et fac* : pro לַעֲשׂוֹת videtur *Vulg.* mendose legisse לַיהוָה. Secundum ea, quae ad 15,5. 15;19,7 dicemus, formulae sensus videtur esse hic, ut explicationem (דבר) a se recitatam affirmet collector deinceps habere vim mandati (מִצְוָה) seu *legis*. Explicatio haec sunt tres novellae. Collector (*ego*) sibi utique adscribit auctoritatem legum condendarum aut certe auctoritative explicandarum.

2. *Lex contra apostatas a cultu Iahve Deut.* 13.

Arg. — Scandalum idololatriae e populo electo exstirpetur oportet, eo illico interempto, qui illud dederit, sive is fuerit pseudopropheta v. 1-5, sive amicus v. 6-11, sive integra aliqua urbs v. 12-17; aliis verbis, sive scandalum profectum sit ab uno, sive a multis, praetextu sive fucatae divinae auctoritatis, sive intimae amicitiae et necessitatis.

aut certe valde indirecte tantum alludere ad victimas, quae forte alibi quam apud sanctuarium maximum offerrentur. Non potest urgeri illa omissio donorum voluntariorum, neque illud *quae erunt tibi* necessario sensum habet *quae praecepta sunt tibi*. Novellarius primus agebat potissimum de *loco*, *ubi* singula essent facienda, non poterat plane ignorare altaria privata; novellarius alter potissimum est in *recto usu sanguinis* inculcando. Potuit etiam altera novella esse antiquior priore, nata quo tempore mactationes pro cibo ubilibet factae ratae haberentur, sed victimae in solo altari maximo immolarentur, dum prior novella nata est, quo tempore praeter illas mactationes sacrificia etiam in altaribus privatis oblata habebantur rata.

v. 27 « *Et offeres oblationes tuas* », sed *Hebr.* : *holocausta tua*, « *carnem et sanguinem, super altare Domini Dei tui; sanguinem hostiarum* » pacificarum « *fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris* ». Cum novellario v. 23 sqq. agendum fuerit de *sanguine*, etiam h. l. eiusdem meminit : non tamen de sanguine hoc versu potissimum sollicitus est, sed de *carne*. Sc. in omnibus sacrificiis erat sanguis illiniendus altari, sed in holocaustis imponenda erat tota victima, *caro et sanguis,* sine quibus una impositis non habebatur holocaustum, in pacificis sacrificiis solus sanguis. Verum, nonne in his imponebantur etiam adeps et alia quaedam? Secundum legem mosaicam omnino, sed haec ignorare videtur novellarius, uti etiam portionem sacerdoti exclusive reservatam : carnes universim concedit fidelibus, qui utique sacrificatorem epulo adhibuerint, vel quaedam ex liberalitate concesserint sacerdotibus. En, non decimae solum a laicis comedebantur apud sanctuarium.

Adscribitur v. 28 *benedictio,* quae tamen non, uti illa v. 25, fertur in eos solum, qui illud unicum, quod immediate praecedat (v. 23 sq.), observaverint, sed in eos, qui totum v. 20-27 vel etiam totum v. 8-27 observaverint. v. 28 « *Observa et audi omnia* » *verba ista,* « *quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi et filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris, quod bonum est et placitum in conspectu Domini Dei tui* ». Benedictio fere verbotenus consonat benedictioni v. 25 : voci ישר adscribitur synonymum טוב. Durius monentur primum *observare*, postea *audire :* pro שמר ושמעת *Sam.* שמור ושמעת; fortasse genuina lectio שמור שמרת, *accuratissime observes.* Simul ea, quae praecedit *explicatio* (cf. ad 15,2) declaratur esse *praeceptum* (מצוה), ergo habere vim legis. Cf. p. 112.

d. Ad legem Deut. 12,2-7 novella tertia Deut. 12,29-32.

Arg. — Monet novellarius, ne post destructas cum suis sanctuariis (v. 2 sq.) gentes Chananaeas attentent Hebraei Iahven colere earum gentium ritibus. Eos quippe ritus abominatur Iahve, imprimis liberorum immolationes.

v. 29 « *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas atque habitaveris in terra earum* », v. 30 « *cave, ne imiteris eas* », — *Hebr.* : *ne irretiaris post eas* — « *postquam te fuerint introeunte subversae, et requiras ceremonias earum dicens : Sicut coluerent gentes istae deos suos, ita et ego colam* ». *Hebr.* : *ne inquiras quoad deos earum*, quod recte explicat *Syr.* : *ne interroges de diis earum dicens. LXX* omittunt. Recte *Vulg.*, quoad sensum, *diis* substituit *ceremonias* : sc. non agitur h. l. de diis gentium destructarum colendis, sed de exquirendis cultus exstirpati ceremoniis, quibus iisdem (cf. v. 31) Iahve colatur. Clarius *Hebr.* : *ita et ego faciam;* ac dein : *Non facies ita.* v. 31 « *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni* ». De qua re dicemus ad 18,10. Versum 32 cum *Sam. Syr. LXX Vulg.*, et etiam cum *Masor.* post illum notantibus parascham, ad praecedentia trahimus dum bibliae nostrae hebraeae illum capiti 13 accensent : collector v. 32, quod item egerat v. 28, inserit formulam (cf. p. 112 sqq.) qua praecedentibus attribuit vim legis. v. 32 (13,1) *Omne verbum,* « *quod* » *ego* « *praecipio tibi* » *hodie* (*Sam. LXX*), « *hoc* [*tantum*] *facito Domino, nec addas quidquam nec minuas* ». Dele *tantum*. *Custodi et fac* : pro לעשות videtur *Vulg.* mendose legisse ליהוה. Secundum ea, quae ad 15,5. 15;19,7 dicemus, formulae sensus videtur esse hic, ut explicationem (דבר) a se recitatam affirmet collector deinceps habere vim mandati (מצוה) seu *legis*. Explicatio haec sunt tres novellae. Collector (*ego*) sibi utique adscribit auctoritatem legum condendarum aut certe auctoritative explicandarum.

2. *Lex contra apostatas a cultu Iahve Deut.* 13.

Arg. — Scandalum idololatriae e populo electo exstirpetur oportet, eo illico interempto, qui illud dederit, sive is fuerit pseudopropheta v. 1-5, sive amicus v. 6-11, sive integra aliqua urbs v. 12-17; aliis verbis, sive scandalum profectum sit ab uno, sive a multis, praetextu sive fucatae divinae auctoritatis, sive intimae amicitiae et necessitatis.

Sunt ergo legis paragraphi tres incipientes voce כִּי. Concluditur ea autem formula v. 18 (cf. 12,28. 32), quae ei legis auctoritatem vindicat. « Monita haec et leges », ait *Calm.*, « appendices sunt eorum, quae praescripta sunt » capite praecedente. Melius statues haec adscribi ob affinitatem materiae : proscribebantur 12,2 sq. sanctuaria gentium, 12,29-31 ritus gentium, statuendae item erant poenae in apostatas a cultu Iahve, et imprimis in apostasiae auctores et initia.

Cap. XIII v. 1 (2) « *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse* [*se dicat*] » (cf. ad Num. 12,6), « *et praedixerit signum atque* » — *Hebr. aut* — « *portentum* », v. 2 (3) « *et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis* » : — non dicitur falsus propheta *patrare* miraculum sed *dare*, quod comparato v. 2 recte *Vulg.* vertit *praedixerit*; neque dicitur praedicere *multa* signa (*Calm.* v. i.), quod forte Deus non esset permissurus, sed *unum* saltem, quod fieri potuit vel arte diabolica, vel deceptione aliqua, vel etiam casu. Ceterum modus, quo eventum futurum praenoverit propheta ille, non attingitur, sed factum statuitur — v. 3 (4) « *non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat* » — tentari permittit (*Men.*) — « *vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non in toto corde et in tota anima vestra* ». « Surgat licet in medio tui propheta, qui spiritu Dei se afflatum iactet, qui prodigia spargat, qui futurorum arcana ita reseret, ut ab eventu sibi fidem conciliet; si tamen ille abstrahere te a cultu Domini nitatur, cave ne illum sequaris, sed habeas ceu vanum et seductorem. Postquam prodigiis assertam religionem tuam spectaveris, post tot argumenta, quibus sanctitas eius, sinceritas, puritas demonstrantur, nihil est, quod fidem apud te adversus illam adstruat, non prodigia, non prophetica oracula, non auctoritas ulla tantam obtinere debet apud te certitudinem, quantam religio, quam profiteris » (*Calm.*). Sequitur uti 12,28. 32 monitio : v. 4 (5) « *Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete et mandata illius custodite, et audite vocem eius; ipsi servietis et ipsi adhaerebitis* ». Cumulantur expressiones, ut perspiciatur unum Iahve diligendum esse ex toto corde. Adscribitur tandem huic paragrapho versus, statuens illius prophetae poenam, non quod « infidelis fuerit in Iahven » (*Dr.*), cum ille possit etiam esse non hebraeus Iahvaeque nullo fidei vinculo adstrictus, sed quod *locutus sit defectionem* (*Hebr.*), instigator fuerit seditionis. v. 5 (6) « *Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam*

tibi praecepit Dominus Deus tuus; *et auferes malum de medio tui* ». *Exstirpare malum de Israele*, vel *de medio Israelis* saepius in Deut. scribitur de poena capitali scelestorum : 17,7. 12; 21,21; 22,21. 22. 24; 24,7; solum 19,19 de poena, quae capitalis non est (*Dr.*).

Pseudopropheta fucatam praetendit auctoritatem : sequitur iam alius, qui amicitia ad tentationem abutitur. v. 6 (7) « *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuae* », qui ergo in eodem tecum tentorio seu cubiculo adolevit, magis tibi coniunctus quam filius patris ex alia matre, — ergo perperam *Sam. LXX filius patris tui aut matris tuae* — « *aut filius tuus vel filia, sive uxor quae est in sinu tuo* », — cf. 28,54. 56; Mich. 7,5 « recumbens in sinu tuo », ergo carissima — « *aut amicus quem* [*diligis*] *ut animam tuam, clam dicens : Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoras tu et patres tui* », v. 7 (8) *de diis* « *cunctarum in circuitu gentium, quae iuxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terrae* », v. 8 (9) « *non acquiescas ei nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum* ». Tentator est carissimorum unus; tentatio fit *clam* et sine testibus; non refert, an suggeratur cultus gentis cuiusdam prope incolentis, ubi magis praesens corruptionis plurium periculum, aut cultus aliquis ab extremis terrae petitus; non solum non erit suggestioni acquiescendum, sed neque audiendum ulterius, sed illico crimen propalandum, ut poena capitis infligatur. « Orator, qui tam severe nititur omnem idololatriae aditum praecludere, evidenter idololatriam iudicabat esse sui temporis praesentissimum periculum » (*Dr.*). v. 9 (10) « *Sed statim interficies : sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum* ». Tu primum lapidem in illum coniicias : sed quis lapidandi locus in eo, qui iam *statim interficiebatur?* et num privata accusatoris auctoritate conficiendus erat? Pro הרג תהרגנו *Sam.* הרג תהגרנו, et *LXX* unice vere הגיד תגדנו, ἀπαγγέλλων ἀπαγγελεῖς περὶ αὐτοῦ, *certissime denuntiabis illum* ecclesiae vel iudici. v. 10 (11) « *Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui duxit te de terra Aegypti, de domo servitutis* ». v. 11 (12) « *Ut* » — melius *Et* — « *omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quidpiam huius rei simile* ».

v. 12 (13) « *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes* [*aliquos*] » : — inversione illud anteponitur, quod in effato v. 13 (14) est praecipuum. Sc. illud « in una urbium etc. » sensu non refertur ad « audieris dicentes », parum quippe refert, utrum in urbe an ruri audias dicentes; sed refertur ad v. 13 « egressi sunt etc. », in una urbium tuarum factum

est istud scandalum. Agitur iam de scandalo, non ab uno aliquo propheta vel amico, sed ab integra urbe profecto, quodque ut puniatur bellicam expeditionem requirit — v. 13 (14) « *Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitatores urbis suae, atque dixerunt : Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoratis* », — *homines filii inutiles*, i. e. homines perversi; בליעל nonnisi hic et 15,9 in Deut., nunquam in Ios. legitur, sed habetur Iud. 19,22; 1 Reg. 10,27; 25, 25; 30,22 etc. Porro pseudopropheta et frater in ipso facto deprehendebantur, sed rumor de urbe allatus exigit diligentem inquisitionem : v. 14 (15) « *Quaere sollicite et diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam* » *in medio tui*, v. 15 (16) « *statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis* », — *anathematizabis* — « *eam ac omnia, quae in illa sunt, usque ad pecora* »; v. 16 (17) « *quidquid etiam supellectilis* » — i. e. *praedae* — « *fuerit, congregabis in medio platearum* », seu potius *fori*, « *eius, et cum ipsa civitate succendes ita, ut universa consumas Domino Deo tuo* » (Lev. 6,22 [15]), « *et sit tumulus sempiternus, non aedificabitur amplius* ». Ergo opus est poena severissima et perpetua, qua sola placabitur Deus v. 17 (18) : « *Et non adhaerebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te, sicut iuravit patribus tuis* ». Eius punitionis neglectus suspendit benedictiones patribus promissas.

Absolvit legem Deut. 13 clausula v. 18 (19) : « *Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia praecepta eius, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui* ». כי non est causale, non enim affert rationem eorum, quae v. 17 dicebantur; multo minus adversativum est uti v. 10; sed sicut tria כי v. 1. 6. 12 initiis paragraphorum scribuntur, ita hoc כי scribitur initio clausulae v. 18. Verte : *Profecto exaudies vocem Domini Dei tui, custodiens omnia mandata eius, quae ego mando tibi hodie, ut facias quod rectum est in oculis Domini Dei tui*. Illa autem *mandata*, quae *hodie* mandantur, — non *explicationes* tantum, uti 12,32 etc. — sunt ipsae tres paragraphi huius legis, quas hac clausula asserit collector (*ego*) habere vim *mandatorum* (מצוה) seu legum. Hac lege sibi agendum esse existimabant Hebraei Ios. 22,12; sed fueritne ea iam tum scriptis consignata, ignoramus. Potuit eadem lex, non iisdem necessario verbis, vel in ipso deserto nata esse. Prophetae Num. 11 a Moyse instituti non omnes sane e vivis cesserant tempore apostasiae cadesianae : fortasse eorum tum aliqui instigatores idololatriae fuere; certe ib. etiam homines maxime necessarii (Deut.

33,9) amicos a fide Iahve abstrahere conabantur. Quae potuit Moysi in deserto occasio esse monendi Hebraeos, ut ab eiusmodi seductoribus sibi caverent, atque statuendae in hos poenae capitis.

3. *Lex funerum et ciborum Deut.* 14,1-21.

Arg. — Interdicuntur Hebraei ritibus funebribus gentilium ; itemque iubentur observare discrimen pecorum, aquatilium et altilium mundorum et immundorum, a morticinis comedendis abstinere, hoedum non in adipe matris coquere.

Legislator in eo est, ut omnem idololatriae aditum praecludat : proscripsit gentilium sanctuaria, eorum ritus prohibuit, sanxit idololatrarum inter Hebraeos poenam. Prohibet iam alia duo, quae sacra non sunt, sed periculum inducunt consortii cum idololatris, communionis in celebrandis funeribus et conviviis, ritus sc. quosdam funebres non religiosos et ciborum indifferentiam. Haec profecto ratio harum duarum legum h. l. inserendarum, licet lex de cibis non ad hunc potissimum finem primitus condebatur. Ambae hae leges sunt *formae negativae,* incipientes v. 1-3 negatione לא cum imperativo; cuius formae CEL p. 22 dicebamus reperiri leges plures ex antiquissimis. Praefixa habent v. 1 verba : « Filii vos estis Iahve Deo vestro », unde natura consequitur obligatio *sanctitatis,* cuius commonefiunt Hebraei v. 2. 21 extrema utraque lege. E quibus formulis perspicimus, non casu has leges invicem excipere, sed consilio esse invicem contextas, et etiam praecedentibus adnexas, atque iure merito a nobis, qua forma nunc prostant, pro unica lege accipi.

a. De ritibus funebribus Deut. 14,1 sq.

Brevissima haec lex habetur item Lev. 19,27 sq., sed aliis plane verbis exprimitur : non *describebat* eam e Lev. orator, sed e memoria recitabat.

Cap. XIV v. 1 « *Filii estote* », seu potius *estis,* « *Domini Dei vestri* ». Totus populus Ex. 4,22 primogenitus Iahve declaratur, nunc singuli item filii ; caveant sibi ab iis omnibus, quae, imprimis ob admixtam superstitionem, filios Iahve dedecent : « *Non vos incidetis* ». Verbum excidit apud *LXX.* Ex Lev. 19,28 collige illud, quod proxime sequitur, *super mortuo* etiam ad *incidendi* verbum esse trahendum. Agitur de corporis incisionibus in funeribus superstitione adhibitis. « *Nec facietis calvitium super mortuo* ». Caput etiam Hebraei radebant in luctu mortuorum (Is. 22,16 etc.) ; sed prohibentur hic, uti Lev. 19,

27; 21,5 (v. quae dicebamus ib.) praecidi cincinni. Scribitur enim hic *calvitium inter oculos*. An igitur, quando Hebraei caput radebant, servabant cincinnos pendulos ante oculos? v. 2 « *Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quae sunt super terram* ». Verbotenus idem atque 7,6. Explicatur ratio, cur h. l. agatur de funeribus et cibis : sc. Hebraei prorsus sunt *segregandi* a gentibus moribus suis, quo certius praeserventur ab earumdem superstitionibus.

b. De esu carnium Deut. 14,3-21.

Lex, praeter appendiculam v. 21 de hoedo non coquendo in adipe matris, tota agit de discrimine animalium mundorum et immundorum, estque *una eademque lex cum Lev. 11*. Quod adiecto Schemate doceberis. Sed Deut. 14 non habet nisi primigeniam legem Lev. 11, 2-20 cum antiquissimo suo addito v. 21 sqq., quae est de pecoribus, de aquatilibus et de alitibus. Ignorat posteriora additamenta omnia, totum tractatum de reptilibus cum omni sua casuistica; e tota altera parte sola morticina unico versu attingit. Cf. CEL p. 419 sqq. Textus Deut. 14,3-20 plerumque verbotenus idem est cum. Lev. 11,2-25 : cf. imprimis Deut. 14,6.7.9.12-18 cum Lev. 11,3.4^a.9.13-19. Sed Lev. 11,8.23-25 addit *explicationes*, quas Deut. 14 ignorat; et textus Lev., dum eundem atque Deut. sensum exprimit, quandoque est verbosior : cf. v. 2^b.7.10-12.13^a.20-23.

Deut. 14.	Lev. 11.
TITULUS LEGIS NEGATIVUS : « Non comedetis omnem abominationem », v. 3.	TITULUS LEGIS POSITIVUS : « Haec sunt animantia, quae comedetis », v. 2^a.
A. PECORA v. 4-8.	A. PECORA v. 2^b-8.
LEX POSITIVA PARTICULARIS : enumerantur 10 species, v. 4 sq.	[deest]
LEX POSITIVA GENERALIS : « Omne, quod dividit ungulam etc., comedetis », v. 6.	LEX POSITIVA GENERALIS : « Omne, quod dividit ungulam etc., comedetis », v. 3.
LEX NEGATIVA GENERALIS : « Quod non etc., ne comedatis », v. 7^a.	LEX NEGATIVA GENERALIS : « Quod non etc., ne comedatis », v. 4^a.
LEX NEGATIVA PARTICULARIS : camelus, lepus, choerogryllus. In fine semel : « Quia ruminant etc. », v. 7^b. — Sus, « quia dividit etc. », v. 8.	LEX NEGATIVA PARTICULARIS : camelus, choerogryllus, lepus. Post singulos : « Quia ruminat etc. », v. 4^b-6. — Sus, « quia dividit etc. », v. 7.
[deest]	Lex negativa explicatur v. 8.
B. AQUATILIA v. 9 sq.	B. AQUATILIA v. 9-12.
LEX POSITIVA GENERALIS : « Quae habent	LEX POSITIVA GENERALIS : « Quae habent

pinnulas et squamas, comedetis », v. 9.	pinnulas et squamas, comedetis », v. 9.
Lex negativa generalis : « Quae non habent etc., ne comedatis », v. 10.	Lex negativa generalis, longe prolixior v. 10-12.
C. ALITES v. 11-20.	C. ALITES v. 13-25.
Lex positiva generalis de avibus minoribus (צִפּוֹר) : « Omnes aves mundas comedite », v. 11.	[deest]
Lex negativa particularis, enumerans 20 species avium rapacium v. 12-18.	Lex negativa particularis, enumerans 20 species avium rapacium v. 13-19.
Lex negativa generalis de alitibus polypodis : « Omne, quod reptat etc., non comedetur », v. 19.	Lex negativa generalis de alitibus polypodis v. 20 — repetitur v. 23.
Lex positiva generalis de alitibus (עוֹף) etiam polypodis : « Omne altile mundum comedite », v. 20.	Lex positiva generalis et particularis (locustae) de alitibus polypodis v. 21 sq.
[deest]	Eadem haec lex explicatur v. 23-25.
[deest]	*Additamenta* de pecoribus v. 26-28 (cf. v. 39 sq.).
[deest]	D. REPTILIA v. 29-45.
Lex negativa generalis prohibens esum *morticinorum* sed, ut a non Hebraeis comedantur, permittens v. 21ᵃ.	In his (v. 24 sq. 28.31-40) fuse tractatur de *morticinis*, quorum non solum esus prohibetur, sed tactus tam immediatus quam mediatus.
Clausula legis v. 21ᵇ.	*Subscriptio legis* v. 46 sq.
« Quia tu populus es *consecratus* Iahve Deo tuo » (cf. v. 2).	« Ista est thora etc. ». v. 44 sq. monetur item populus, ut sit *sanctus*.
Appendicula legis v. 21ᶜ.	
« Non coques hoedum in adipe matris suae ». Apta est haec appendicula ad legem de non comedendis.	Verbotenus idem habes Ex. 23,19; 34,26, sed extra omnem contextum.

Singulae paragraphi ordiuntur pronomine זאת vel זה : v. 4.7.9.12, cui v. 12 absolute praemittitur sententiola v. 11.

Textus Deut. 14 dicendus est esse antiquior textu Lev. 11 (cf. CEL p. 423) : 1) quod *additamentis* et *explicationibus* careat, solent quippe haec decursu temporis textui accrescere; 2) quod Deut. unam habeat concinnam legem de comedendis et non comedendis, dum inde a v. 29 Lev. 11 ab his penitus deflectat ad casuisticam disquisitionem de tangendis et non tangendis; 3) quod stilus Lev. 11 sit

verbosior; 4) quod Deut. 14 ignoret discrimen inter טמא et שקץ (CEL p. 421), quod posteriorem Iudaismum sapit; 5) pauca vero, quae Deut. 14 habet et Lev. 11 ignorat, ea praecise credenda sunt legi primitus infuisse. Sc. videtur esse nativus titulus formae negativae : lex haec primitus utique erat lex negativa, non positiva; non agebatur de carne bovis etc. Hebraeis concedenda, sed de carne cameli etc. prohibenda. Nativa item videtur esse v. 4 sq. enumeratio pecorum mundorum, et v. 11 data venia comedendarum avium minorum : congruum videtur, ut haec primitus in lege essent.

An igitur ipse Moyses utramque legem Lev. 11 et Deut. 14 condidit? Si condidit, certe illam prope montem Sinai, hanc serius condidit : ergo hac breviore lege serius promulgata, practice abrogavit alteram, quae hic desideratur, legis Lev. 11 partem, quam tamen Hebraei posteriores studiosissime observabant. Cum ante Moysen iam exstiterit a patriarchis accepta lex aliqua humana de discrimine animalium mundorum et immundorum, fingat aliquis Deut. 14 esse formam huius legis Moyse antiquiorem. Verum, num lex hac forma praemosaica accensenda erat « praeceptis Iahve » (12,1)? Nonne his accensita practice abrogabat alteram legis Lev. 11 partem? — Equidem iudico, *legem a Moyse nomine Iahve in monte Sinai editam esse ipsam legem Deut. 14, eandemque Lev. 11 conspici pluribus additamentis auctam, quae a posterioribus doctoribus et prophetis sancita aequalem cum illa apud posteriores Iudaeos auctoritatem nacta sunt.* Sc. quod apud Hebraeos transmittebatur a patribus ad filios, non erat critica aliqua et stereotypa editio scriptorum Moysis, sed vivus liber, qui suis quandoque augebatur explanationibus atque legitimis additamentis. Neque ideo errabant Iudaei errantve Christiani, pentateuchum pro libro mosaico habentes, cum ipsi hac in re non loquantur sensu critico, sed traditionali et historico.

Cur autem h. l. collector describit legem, quae suo tempore in Thora munditiei exstabat descripta? Cur non ad hanc thoram remittit lectorem? Factum descriptae h. l. legis primum suggerit, Hebraeos aevi iudicum non multos fuisse in libris sacris legendis. Quodsi enim sacri libri aut in omnium essent manibus, aut diligenter populo ad sanctuarium confluenti praelegerentur, non erat cur legem h. l. collector totam describeret, qui tot alias leges graves non descripsit. Sc. videntur plerique artem legendi tum ignorasse : erat quippe aetas iudicum rudis et illiterata. Sacri libri servabantur in sanctuario, quorum apographa certe pauciora tum describerentur. Praelegebaturne lex confluentibus ad sanctuarium in solemnitatibus maioribus? At multi ad has non accedebant, saepe temporibus

perturbatissimis accedere nequaquam poterant. Sacerdotes et levitae egentes, miseri, quibus suae subtraherentur portiones et decimae, se satis superque praestitisse existimabant, si necessariis cultus ministeriis fungerentur, legi praelegendae supersedebant. Quare collector non potuit ad Lev. 11 provocare tamquam ad rem omnibus notam, sed legem ib. traditam in memoriam revocaturus totam descripsit.

Quam tamen non uti illam v. 1 solum quoad substantiam e memoria recitat, cum eius textus cum Lev. 11,2-20 concordet vix non verbotenus. Sed recole (CEL p. 422) hanc legem exstitisse Moyse antiquiorem, fuisse Hebraeis oppido notam vel ante Moysen, consecratam longo inde a patriarchis usu, ut non esset necesse ad Moysis scripta recurrere, ut ea accurate nosceretur. Erat eadem lex, quae esset quotidie prae oculis habenda, non a viris solum sed item a mulieribus, quae cibos parabant. Ergo aut eius plura quam aliarum legum circumferebantur apographa, eaque non necessario e Moysis scripto derivata, aut accuratius multorum memoriae illa insederat; collector certe diligentem contulit operam, ut eius textum procuraret genuinum atque completum. Non totam describit 24,8 thoram de leprosis, sed leprosos ad sacerdotes remittit, quos merito supponit eam thoram nosse et in manibus habuisse : at non patebat recursus ad sacerdotes in quaestionibus cibum quotidianum spectantibus, quare totam de cibis legem recitat collector.

v. 3 « *Ne comedatis, quae immunda sunt* », *Hebr.* : *omnem abominationem*. Hanc (v. s.) censemus esse legis inscriptionem, quae est lex potissimum negativa statuens potissimum, quid *non* sit comedendum. Agitur porro v. 4-8 de PECORIBUS. v. 4 « *Hoc est animal* », pecus, « *quod comedere debetis : bovem et ovem et capram* », v. 5 « *cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum* ». Lev. 11 pecora comedenda non recenset, solam tradit regulam positivam generalem, dein regulam negativam generalem iisdem atque v. 7 sq. particularibus exemplis illustrat : nostra lex magis practica ab enumerandis licitis orditur.

v. 3 תּוֹעֵבָה, *abominatio* (v. p. 131 n. 79); postea semper טמא, *immundum* : quod lege immundum declaratur, id Hebraeo cuique abominatio sit oportet. תועבה Lev. 18,22.26.27.29.30; 20,13 scribitur de foeditate luxuriae. Sc. vox de se abominationem sonans hisce textibus praedicatur de foeditate luxuriae, h. l. itemque Ex. 8, 26(22) de animalibus. Certe non est vox minus antiqua voce שקץ, quae legitur in recensione legis recentiore Lev. 11,10.11.12.13.20.23.42, habeturque in Deut. tantummodo 7,26, ubi synonyma fere est vocis תועבה, quae ambae referuntur ad rem quamlibet, quae ad idola pertinuerit, imprimis argentum et aurum. — Tria priora

v. 5 animalia imponebantur 3 Reg. 4,23 (5,3) mensae Salomonis. צבי cf. 12,15.22; *assyr.* sabiu. *LXX* δορκάς, animal cervi simile. Nota eadem nomina habere *Vulg.* atque *LXX*, nisi quod *LXX bubalum* et *tragelaphum* ignorent. Quas animalium species iis nominibus *LXX* et Vulg. expresserint, haud definiri potest et, si id definiretur, minime constaret eos easdem expressisse, quas auctor hebraeus in mente habebat. Plerumque suggerunt aliquas antiloparum species, qualis etiam est צבי. — יחמור est *cervus capreolus*, *gall.* chevreuil, *germ.* Reh, *angl.* roebuck, qui hodiedum prope Carmelum reperitur et Yachmur vocatur (*Dr.*). — אקו, ἅπαξ λεγόμενον, pro quo *Chald. Syr.* יעלא : porro יעל, *assyr.* ja'ilu videtur esse *ibex* (1 Reg. 24,3; Ps. 103[104].18; Iob 39,1). — דישון, ἅπαξ λεγόμενον, pro quo *Chald. Syr.* רימא, i. e. ראם, *bonassus* : cf. Num. 23,22; Deut. 33,17 etc. — תאו Is. 51,20 retibus capitur. *Chald.* תורבלא, antilope bubalus. Res plane incerta. — זמר certe non est camelopardalus (« giraffe »). *Chald.* דיצא, qua voce idem Prov. 5,19 exprimit hebraeum יעלה (v. s.).

Sequentia possunt dici verbotenus cum Lev. **11** consonare, nisi quod v. 6 addatur שתי, v. 7 השסועה, et v. 7 sq. parumper sint breviora. v. 6 « *Omne animal, quod in duas partes findit ungulam et ruminat, comedetis* ». v. 7 « *De his autem, quae ruminant et ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chaerogryllum : haec, quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis* »; v. 8 « *sus quoque, quoniam dividit ungulam et non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, et cadavera non tangetis* ».

v. 9 sq. agit de AQUATILIBUS. v. 9 « *Haec comedetis ex omnibus, quae morantur in aquis : quae habent pinnulas et squamas comedite* ». Ubi Lev. **11**,9 (itemque v. 10) adscribitur « in maribus et in fluminibus ». v. 10 « *Quae absque pinnulis et squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt* ». Fusius idem habes Lev. **11**, 10-12, sed noster textus exprimit id, quod potissimum est : ne comedatis.

v. 11-20 est de ALITIBUS. צפור solas aves significat, et quidem potissimum minores, hic etiam ideo quod v. 12-18 opponantur aves rapaces. E contra v. 20 עוף significat animalia alata quaevis, ergo hic potissimum multipedes alatos. v. 11 « *Omnes aves mundas comedite* ». Haec ignorat Lev. v. 12 « *Immundas ne comedatis* », concinna expressio legis, cui Lev. **11**,13 addit expressionem horroris : « abominabimini, abominatio sunt ». Enumerantur iam aves immundae : « *aquilam* [*sc.*] *et gryphem et haliaetum* », v. 13 « *ixion et vulturem ac milvum iuxta genus suum* », v. 14 « *et omne corvini generis* », v. 15 « *et struthionem ac noctuam et larum atque accipitrem iuxta genus suum* », v. 16 « *herodium ac cygnum et ibin* », v. 17 « *ac mergulum, porphyrionem et nycticoracem* », v. 18 « *onocrotalum et cha-*

radrium, singula in genere suo, upupam quoque et vespertilionem ». Haec verbotenus uti Lev. 11,13-19, ubi de singulis dicebamus. v. 17 שלך (mergulus? nycticorax?) Lev. 11,17 alio loco recensetur. v. 13 tres aves habet ראה, איה et דיה pro duabus Lev. 11,14 דאה et איה. Sc. vox דאה deformabatur cum in ראה (*Keri*), tum in דיה, quae forma postea tertio loco in v. 13 irrepsit (*Dr.*). Etiam de indole huius legis generatim spectata fuse disserebamus ad Lev. 11; quae conferas, quaeso. v. 19 « *Et omne, quod reptat et pennulas habet, immundum erit et non comedetur* ». Sed verte : *Et omne examen alitum immundum erit vobis*. Agitur de iis alitibus, quorum frequentia circumvolant examina. Hae non sunt aves minores, quarum pleraeque non tantis numeris adsunt; neque coturnices immundae erant (Ex. 16,13; Num. 11,31), quae numerosissimae adsunt. Sunt ergo animalia alata, quatuor vel plures pedes habentia. Num igitur, quo tempore haec lex condebatur, nondum concessa erat licentia *locustarum* (Lev. 11,21 sq.) comedendarum? In omnibus Aegyptiorum monumentis non memini me vidisse quidquam, quo demonstrarentur Aegyptii comedisse locustas; neque Ex. 10 eae narrantur comestae esse, neque ab Aegyptiis neque ab Hebraeis.

v. 20 » *Omne, quod mundum est, comedite* ».

Nostra haec lex de solis est animalibus *edendis*, non uti Lev. 11 etiam de immediate vel mediate attingendis. Oportebat illam igitur etiam aliquid statuere de *morticinis*, uti patet animalium potissimum specie mundorum, liceretne illis vesci necne. Hinc v. 21 : « *Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo* ». נבלה, *per se mortuum* (Lev. 5,2; 7,24), distinguitur tam ab iis, quae sibi mactat homo, quam Ex. 22,31 (30) ab iis, quae a fera discerpta canibus permitti iubentur. Hic e contrario : « *Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei* ». Repetitur porro totius legis ratio, eadem atque v. 2 : « *Quia tu populus sanctus Domini Dei tui es* ».

Absoluta lege de animalibus, sive vivis sive mortuis, comedendis vel non comedendis, appenditur prohibitio cuiusdam cibi ab animalibus petiti, qui ob *modum praeparationis* proscribitur : « *Non coques hoedum in lacte* », seu verius (cf. ad Ex. 23,19) *in adipe*, « *matris suae* ». Contextus cum praecedentibus est evidens, dum Ex. 23,19 et 34,26 eadem lex praeter omnem contextum adscribebatur.

4. *Lex de decimis annuis pendendis Deut.* 14,22-29.

Arg. — Decimae omnium fructuum terrae earumve, si longius abfuerit sanctuarium, pretium cum primogenitis pecorum sacris epulis

ad sanctuarium absumantur ab universa familia, adhibitis Levitis qui eandem cum ea urbem incolant. Sed tertio quoque anno eaedem fructuum terrae decimae domi recondantur, distribuendae iisdem Levitis, peregrinis, pupillis et viduis.

Hae decimae Deut. 14,22 sqq. profecto eaedem sunt atque decimae, de quibus 12,6 sq. 11. 17 sqq., quae item ad sanctuarium sunt deferendae, ib. epulis sacris absumendae, adhibita tota familia et Levite.

Decimae, sicut apud alios populos, ita apud Hebraeos antiquitus pendebantur. Abraham Gen. 14,20 decimam praedae solvit Melchisedecho. Iacob Gen. 28,22 in Bethel Deo vovit decimam omnium, quae habiturus esset, e quo facto fere licet concludere filios Iacob exemplum hoc pietatis esse secutos. Gen. 47,24 Ioseph quintam partem, i. e. duas decimas, imposuit Aegyptiis Pharaoni pendendas. Decimam vel ante latam Moysis legem Hebraeos pendere consuevisse suggerit lex Lev. 27,30-33, quae decimarum rationem minime explicans de sola agit redemptione decimarum, et earum quidem quae non de solis fructibus terrae, sed de animalibus item penderentur.

Postea de ipsis decimis leges tulit Moyses. Decimarum quidem non meminit Ex. 21-23. Num. 18,21-24 decimas iussit pendi *Iahve*, quas dein Iahve concessit tribui Levi ad sustentationem. Ubi dubitant aliqui, utrum agatur de sola decima fructuum terrae, an etiam animalium, cum v. 27.32 de solis areis et torcularibus sermo sit. Porro e Lev. 27,32 patet Hebraeos pependisse decimas etiam animalium, ergo etiam hae Num. 18,21 credendae sunt cessisse levitis. Praeterea Num. 18,20 sqq. conceduntur levitis decimae haereditatis aliarum tribuum tamquam compensatio haereditatis propriae, quae illis denegabatur : ergo videntur concedi decimae *omnium*, cum aliarum tribuum haereditas non fruges solum produxerit, sed greges aluerit. Sed e Num. 18,26 sqq. fortasse illud habetur, levitas de solis fructuum decimis decimas solvisse sacerdotibus, quibus de carne abunde provisum erat per portiones, quas illi de tot victimis percipiebant. Eiusmodi autem decimam tam fructuum quam animalium ab Hebraeis pendendam fuisse Iahve concedi fere deberet, etiamsi id scriptura non diserte affirmaret. Etenim Chanaanitis futura erat Iahvae propria (Lev. 25,23), uti Aegyptus Pharaonis (Gen. 47,20), et uti Pharao Aegyptiis imposuit duas decimas pro sua in Aegyptum auctoritate, ita debuit etiam Iahve decimam imponere Hebraeis tamquam Chanaanitidis dominus et possessor. Quae si non exigebatur, veluti in dubium vocabatur ipsum Iahve ius.

De his decimis haud multum legimus in historiis Hebraeorum.

Ezechias 2 Par. 31,4 sqq. exegit a populo decimas tam frugum quam animalium, Hierosolymis pendendas ad sustentationem sacerdotum et levitarum : sed ex ipso textu efficitur, eas decimas ante Ezechiam aut nullatenus aut certe negligentius pendi consuevisse. Easdem persolvendas declarat Mal. 3,8 sqq. loquens de iis tantummodo, quae in *horreum* inferantur, supponitque eas tum decimas plurimum consuevisse negligi. Iudith 11,13 (sec. LXX tantum) meminit decimae olei et vini, et 2 Esdr. 13,5 (cf. 10,32-39; 12,43-46) decimae frumenti, musti et olei. Qui textus, uti etiam Matth. 23,23; Luc. 11,42; 18,12, suggerunt has decimas tum de solis terrae fructibus, non de animalibus fuisse pendendas. Potuitne hac in re legitime mutari lex a Moyse Lev. 27 lata? Plenum effectum non erat habitura lex de decimis ante ingressum terrae promissae. Sed quo iure supponitur lex semel lata semper debuisse observari ad literam, qualis lata fuerat? Nonne ipsum tabernaculum cessit templo? Nonne, quo anno mortuus est Christus alio die a Iudaeis celebrabatur pascha, quam quem Moyses sanxerat? Mutabantur leges mosaicae quandoque approbante aliquo propheta, mutabantur saepissime per nefas, quandoque nullo consulto propheta irrepebat mos legi contrarius. Neque putes cuiusque aevi sacerdotes et levitas unicam vitae normam agnovisse pentateuchum. Normam vitae agnoscebant literam non mortuam sed vivam, leges mosaicas maiorum praxi consecratas et antecessorum suorum moribus explanatas. Si quando inter morem et legem evidentior appareret contradictio, non illico mori reformando admovebant manum, sed dubitabant, suae textus interpretationi diffidebant, rem prophetae, si quem Deus aliquando mitteret, componendam reservabant. Facillime porro nascebatur discordia inter literam et mores, ubi agebatur de vectigalibus a privatis in usus publicos, etiam sacros, pendendis, in quibus vulgi mens naturaliter in eam semper textus interpretationem ferebatur, quae *minimum* exigeret dispendii. Recole iam, quam impeditae in sacri textus sensu definiendo fuerint Christi tempore Pharisaeorum mentes, mentham decimantium etc.; recole, ipsum textum Num. 18 aliquem dubitationis reliquisse locum, qui v. 21 (cf. Lev. 27,32) omnem omnium decimam tribueret levitis, v. 26 sqq. solas fructuum terrae decimas exprimeret; recole totam gentem paulatim, abdicata pastorum vita, ad agrorum culturam transiisse : estne ita mirum, paulatim praevaluisse opinionem solorum fructuum terrae decimas esse solvendas?

Debuit porro iudicum potissimum aevo plurimum confundi obligatio decimarum pendendarum. Vectigalia, sive profana sive sacra, non consuevere homines diu lubentes pendere, nisi ad id firma

atque valenti publica auctoritate adigantur : atqui talis auctoritas iudicum aevo deficiebat. Iudices plures maioribus temporum et locorum intervallis ab invicem separabantur, sat longo quandoque tempore nulli erant. Qui exstitere, non omnibus singuli tribubus imperabant. Ante Heli et Samuelem nullum novimus, qui aut apud sanctuarium resederit aut tribum Levi speciali studio prosecutus sit. Gedeon sanctuarium erexit privatum, Abimelech superstitiosus, Iephte filiam immolavit. Neque iudicem, si eorum quis decimas sanctuario pendendas urgeret, semper audiebat populus (Iud. 2,16). — Demortuo Iosue Hebraei plures (Iud. 2,21) suas possessiones nondum acceperant, neque de iis decimas pendebant; plures ante Davidis tempora non accepere. Interea iudicum aevo ob Hebraeorum peccata anni plures messibus caruere, homines et pecora morbis contagiosis decimabantur (Deut. 28), plures fuere multorum annorum servitutes, hostibus quotannis segetes abigentibus (Iud. 6,3 sq.), populum modis omnibus opprimentibus. Quandoque nihil prorsus in manibus habebant Hebraei, cuius decimam solverent, alias aditus sanctuarii minime erat tutus. Nonne totam decimarum solutionem oportebat evadere summopere incertam? Mos inde a Moyse diuturna consuetudine nondum plene stabilitus hominum avaritia, incuria simulque miseria et necessitate relaxabatur, et magna ex parte obscurabatur, obliterabatur. E textu iam discemus, quousque haec legis Num. 18 deformatio processerit.

Auctor, uti alias (15,1 etc.), legem mosaicam, quam explicandam, applicandam, modificandam aggreditur, non totam quantam describit, sed v. 22 brevissima formula resumit, usus etiam eadem atque Num. 18,30 voce תבואת. v. 22 « *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos* ». Cum *proventus seminis tui* intelligi possit cum de solis segetibus, tum etiam de animantibus, adscripto *qui nascitur in agro*, expressio restringitur ad omne genus fructuum terrae (segetes, vinum etc.; cf. *Dillm.*). v. 23 « *Et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui et vini et olei, et primogenita de armentis et ovibus tuis, ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore* ». Cf. 4,10. Dum implent Hebraei, quae v. 22 sq. praescribuntur, actu se exercent in timore Domini, atque ita facilius semper et in omnibus illum timebunt. Verba edicunt legem, qualis v. 22 sqq. enuntiatur, vere tempore scriptoris nostri fuisse divinam, quod esset illa vel a Moyse profecta, vel a prophetis post ipsum approbata : prophetarum quippe erat legem explicare, temporum necessitatibus applicare, imo quoad par-

ticularia statuta quandoque mutare. *LXX* : *Comedes etc.*, *et inferes decimam etc.*; sc. inserto οἴσετε studuere *LXX* eliminare illam quoad Num. 18 difficultatem, *decimas,* imo ipsa etiam *primogenita,* toti populo permitti comedenda. Difficultas illa indubie textui inest, ab interprete non est addita aliqua voce obtegenda sed e textu qualis prostat enodanda. v. 24 « *Cum autem longior fuerit via et locus, quem elegerit Dominus Deus tuus* » (cf. *Hebr.*), « *tibique benedixerit, nec potueris ad eum haec cuncta portare* », quanto uberior quippe agrorum *benedictio,* tanto copiosior decima graviorque difficultas eius ad sanctuarium comportandae (*Dillm.*), v. 25 « *vendes* [*omnia*] *et in pretium rediges*, *portabisque manu tua*, *et proficisceris ad locum*, *quem elegerit Dominus Deus tuus* ». Cf. *Hebr.*, ubi etiam illud : *ligabis argentum in manu tua,* in sacco sc. uti 4 Reg. 5,23. Conceditur hic indulgentia affinis eius, quae habetur 12,15 sq. 21 sqq.; distantia v. 24 fere aestimabatur, uti altera illa 12, 21; essetne tanta comportandarum rerum difficultas, id singulorum iudicio permittebatur; fortasse, quicunque extra fines pagi degebant, ubi tum esset sanctuarium, censuere mox sibi fas esse pro rebus afferre rerum pretium. Et decimae quidem iam permittebantur redimi Lev. 27,30 sqq., sed prohibebantur redimi primogenita animalium : quae h. l. conceduntur, sed non insistitur statuto Lev. 27,31 ipsum decimarum pretium quinta parte esse augendum, rem temporibus perturbatis fortasse duriorem. Praeterea decimae h. l. diserte restringuntur ad *fructus terrae,* ita ut epulis sacris adhibeantur decimae, quantum ad ea quae a plantis derivantur, et primogenita quoad carnes. Etiam hoc crediderim difficultatibus temporum sapienter esse concessum. Tandem noster textus lucem affundit textui 12,17. Decimae *redemptae* comedi poterant ubi libuisset, a redemptore vel alio, erant enim res profana; sed decimae non redemptae aut redemptarum pretium comedi oportebat non apud altaria privata, sed apud sanctuarium maximum tantum. v. 26 « *Et emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit* » ciborum, « *sive ex armentis sive ex ovibus, vinum quoque et siceram, et omne quod desiderat anima tua, et comedes coram Domino Deo tuo, et epulaberis tu et domus tua* », v. 27 « *et Levites qui intra portas tuas est* », qui tuam urbem incolit; « *cave, ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua* », *Hebr.* : *quia non habet partem et haereditatem tecum.* Cf. 12,12. 18 sq. Non recensentur hic, uti v. 29, *pupillus* et *vidua,* qui ob aetatem sexumve non adirent sanctuarium, neque *peregrinus,* qui non esset Israelita. Sunt vero haec eadem illa epula, de quibus 12,7. 12. 18.

v. 28 « *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quae*

nascuntur tibi eo tempore », — clarius *Hebr.* : *In fine anni tertii extrahes totam decimam proventus tui anni illius*, sc. tertii; eandem sc. decimam, quam aliis annis sacris epulis impendebas — « *et repones intra ianuas tuas* », in urbe tua, v. 29 « *venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent et saturabuntur* : *ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quae feceris* ».

Num ergo tertio quoque anno nulla erant apud sanctuarium epula sacra? Primum manebant illius anni *primogenita*, quae v. 28 non recensentur. Neque affirmatur tertius annus idem observatus esse ab omnibus per totam regionem : numerabatur is fortasse a tempore. quo familia quaeque suam primum occupaverat possessionem, aut ab hostibus illam receperat, ut idem annus quibusdam esset primus, aliis secundus. aliis tertius. Qui suo tertio anno sine decimis ad sanctuarium accederent, ab aliis fortasse liberaliter tractabantur; quo etiam honestaretur paupertas, quod universi identidem pauperum veluti ritu accederent. Praeterea non existimo eum necessario esse v. 22-26 sensum, ut tota cuiusque anni decima eo ipso anno apud sanctuarium consumeretur : potuit biennii cuiusque decima triennii necessitatibus impendi. Quaecunque solutio tibi arriserit, ne dubites aliquam in his servatam esse methodum, qua quotannis singuli apud sanctuarium festiva celebrarent convivia; secus enim lex v. 28 sq. pluribus futura erat occasio pergrinationis sacrae omittendae primum tertio quoque anno, postmodum per omnes pariter annos.

Alia plane de decimis tradi Deut. 14 quam Lev. 27 et Num. 18, evidens est. Ad quae componenda Iudaei posteriores statuerunt *duas decimas plane diversas* : primam Lev. 27 et Num. 18, de qua Deut. sileat; alteram, quae praeter illam quotannis penderetur; imo hanc eandem secundam decimam, quatenus tertio quoque anno pauperibus cedebat, vocabant decimam tertiam. Adstruunt igitur decimam *primam*, qua sustentarentur levitae, *secundam*, qua primo et secundo cuiusque triennii anno apud sanctuarium haberentur convivia sacra, *tertiam*, quae tertio quoque anno cederet egentibus. Ita *Ios.* Ant. IV. 8, 22. Esse autem hanc opinionem Iosepho antiquiorem, disce e Tob. 1, ubi *LXX* in textu prolixiore v. 6-8 has tres decimas recensent, *Vulg.* v. 6 sq. primae et tertiae meminit, ergo implicite etiam secundae. Cf. 5,3 apud LXX. Ergo Tobias senior et Iudaei posteriores persuasum habebant, se textu Deut. 14 obligari ad secundam praeter primam decimam quotannis solvendam, omnino quintam partem proventuum. Tamen contra hanc opinionem faciunt sequentes rationes :

1°, religiosi inde ab exsilii temporibus Iudaei erant perquam solliciti de apice quolibet legis observando : verum ideo, legem nimis ri-

gorose et serviliter interpretati, eius quandoque sensum non sunt assecuti. Ita 1 Mach. 4,47, e textu Ex. 20,25 deducentes obligationem (cf. CEL p. 212) altaris *in templo* exstruendi e lapidibus non sectis; item, quando expressiones figuratas Deut. 6,8 sq. proprias interpretati putavere tephillim sibi esse manibus gestanda et *schema* postibus inscribendum. Ergo eorumdem in componendis inter se Deut. 14, Lev. 27, Num. 18 opinio non est per se omni exceptione maior.

2ᵃ, supposita eorum opinione, mirum est scriptorem nostrum nullam facere mentionem *primarum* decimarum, cum etiam 12,6. 11. 17 agat de secundis decimis epulis sacris absumendis; eum nullo verbo exprimere has, de quibus loquatur, decimas esse *alias, novas, secundas*. Non est quidem haec ratio peremptoria, at peremptoria omnino est ratio

3ᵃ, Deut. 26,12, ubi necessario (v. i.) praeferenda lectio *LXX*, explicite sermo est de aliqua *decima secunda,* non quotannis solvenda sed semel tantum, tertio sc. anno a tempore, quo familia quaeque sua possessione potita est. Atqui, si haec decima est *secunda*, i. e. si illa unica occasione familiis hebraeis altera decima solvenda erat, ergo non solvebant quotannis alteram aliquam decimam : decima Deut. 14 non est secunda aliqua, sed ipsa prima, eadem de qua Lev. 27 et Num. 18 agebatur.

Dato porro de unica decima agi cum Lev. 27 et Num. 18 tum Deut. 14, discutienda venit quaestio, quomodo et quando locum habuerit illa rerum depravatio, ut decima illa itemque primitiae, primogenita, vota oblationesque voluntariae, Levitis eriperentur fere concederenturque populi sacris epulis pauperumque necessitatibus. Ubi dixerit quis, cum Deut. 5-26 nobis proponatur ut oratio a Moyse pronuntiata, ergo etiam Deut. 14,22-26 esse Moysis auctoris. Verum ex 12,8 habes in legum codicem Deut. 12-26 etiam documenta quaedam Moyse recentiora esse recepta : ergo neque a limine excludenda est opinio 14,22-29 post Moysen esse concinnatum et tempora respicere Moyse posteriora. Si pericopen tribuas Moysi auctori, concedas oportebit, brevi ante Moysis obitum Hebraeorum sacra miserrime esse labefactata. Id fieri absolute potuisse, concesserit quis; id factum esse, et contextu sacrorum librorum factum comprobari, certissime nego. Memento, quantum tot annis Moyses insudaverit in tribus Levi eminentia, privilegiis, redditibus definiendis : horum maximam ipse partem extremis vitae diebus pessum dederit? Exspectaveris saltem, quod ipse alias quandoque egit, eum priores a se promulgatas leges explicite revocaturum vel ad tempus suspensurum fuisse : nihil eiusmodi revocationis aut suspensionis habet tex-

tus. Neque desunt indicia, ad extremum vitae Moysen de tribu Levi sensisse, uti ante senserat. Num. 31 (CN p. 349) tam sacerdotibus quam levitis partem praedae attribui iubet eadem fere proportione, qua iidem decimas dividebant inter se. Num. 35 ea, quae antea pro sustentatione sacerdotum et levitarum sanxerat, complet iubens, ut illis in terra promissa certae sedes et pascua assignentur. Iud. 2,7. 11 sqq. docemur, instituta mosaica sarta tecta mansisse usque post obitum Iosue et seniorum eius aequalium : obtinuerit igitur illa, de qua agimus, depravatio *aevo iudicum,* temporibus illis perturbatissimis, quibus in re sacra « faciebat quisque quod sibi rectum videbatur » (Deut. 12,8).

Proponebamus antea rationes duas, ob quas iudicum aevo plurimum debuerit confundi primitiarum pendendarum obligatio, incertam publicam auctoritatem quae illas exigeret, miserrimam temporum conditionem quae illas saepe redderet propemodum impossibiles. Alia nunc subiicimus, quae totam rerum sacrarum depravationem, qualis Deut. 12 et 14 describitur explicant. Agitur quippe de *factis* explicandis, quae textus indubie habet, quaeque sive ex aliis factis in s. textu narratis, sive e temporum illorum generali indole interpreti sunt elucidanda.

1) Ios. 21,39 iubentur filiis Levi in 48 urbibus attribui sedes et pascua : erantne eae urbes iam tum omnes in Hebraeorum potestate? num integro iudicum aevo in Hebraeorum potestate permansere, neque verius identidem ab hostibus capiebantur, diripiebantur? Si hoc, en tibi numerum Levitarum vagorum et indigorum.

2) Gravius reliquo populo afficiebantur hostium incursionibus Levitae : illi segetes amittebant, agros retinebant futurarum segetum spem; his cum pecoribus adimebantur et praesentes opes et opum recuperandarum facultas.

3) Sichem, urbium una quae Caathitis sedes et pascua erant attributurae, Iud. 9,4 habebat fanum Baalberith : putasne, quo tempore Sichemitae, genus hominum rude et violentum, colebant Baal, eos verituros fuisse Levitarum intra suos fines iura? Quod vero aliquando factum est Sichimis, id non aliquando item evenerit in alia aliqua e 48 illis urbibus? En tibi rursum turbam Levitarum egenorum, per totam circum regionem sedes et alimenta quaerentium.

4) Ubi sive ob hostium incursiones sive ob civium superstitionem Levitae in aliqua e 48 urbibus suis aliquamdiu iuribus caruissent, putasne restitutis ib. rebus nil antiquius habuisse cives, quam Levitarum sedes et pascua restituere? Facilius crediderim vel in iis urbibus, quas neque bellicae strages neque superstitiones prostravis-

sent, pronos fuisse cives ad captandas occasiones restringendorum privilegiorum Levitarum. Memento tandem, veteres illos Hebraeos et homines fuisse et Hebraeos, neque minus Hebraeos quam Hebraeos nostros recentiores. Patebat tum utique pauperculis illis Levitis recursus ad iudicem maiorem vel pontificem. Pontificis tum videtur angustior fuisse auctoritas. Iudices non semper erant, non omnibus singuli tribubus imperabant, multa praeter tenuium Levitarum querelas quae procurarent habebant. « In diebus illis non erat rex Israel » (Iud. 17,6; 18,1. 31), cui textui 21,24 adscribuntur eaedem atque Deut. 12,8 voces : « unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat ».

5) Si qui tempore publicarum calamitatum Levitis penderentur redditus, nonne ii lege caritatis adigebantur, ut sua cum famelicis fratribus communicarent? Ubi porro, quod aevo iudicum repetito accidit, una eademque calamitas pluribus continuis annis perseverabat, erant illi redditus de facto instar proprietatis publicae. Et si quando magnis numeris Hebraei decimas etc. afferentes ad sanctuarium accederent : at non erat rex in Israel, qui tantae multitudinis commeatui prospiceret; non poterant Levitae deperientibus fratribus auxilio non venire, decimae etc. vertebantur in peregrinantium viaticum. Quibus omnibus Levitarum iura evadebant magis magisque incerta.

6) Cum perdifficilis haud raro ob temporum calamitates esset accessus ad sanctuarium maximum, invaluit mos, in quem invehitur Deut. 12,17, ut primitiae etc. apud altaria privata sacris epulis absumerentur, ad quae, qui forte adessent Levitae, nullo iure suo sed ad summum titulo misericordiae admitterentur. Qui mos ab altaribus privatis transferebatur ad sanctuarium maximum, evasitque ita universalis, imo a prophetis ad tempus videtur ita esse toleratus, ne dicam approbatus, ut auctor Deut. 14,22-29 illum habeat suo tempore legitimum, non repugnet ne decimae etc. ab omnibus absumantur, solum exigat absumi prope sanctuarium maximum, neque pauperes Levitas prorsus negligi.

7) Addenda pauca de *sacerdotibus*. Horum a Phinee ad Heli nulla mentio habetur ideo fortasse, quod eorum exigua fuerit auctoritas et tenuior conditio. Heli iners. Parum verebatur Saul 1 Reg. 21 sq. pontificem et sacerdotes habitantes in Nobe. Erant invidiae domorum Eleazar et Ithamar. Accipiebant quidem sacerdotes illi suas victimarum portiones 1 Reg. 2,12 sqq. Filii Heli arrogantia et sacrarum legum contemptu populo offensioni erant.

Ex his profecto aliisve insuper rationibus natum est genus Levi-

tarum vagorum, egentium. Levita Michae, primum in monte Ephraim superstitionis minister, tandem sua sacra transtulit in Dan Lais, in extremos terrae sanctae fines. Fuit autem ille, horribile dictu, Ionathan ipsius Moysis nepos (Iud. 18,30). Deut. 12,12.18 sq.; 14,27. 29 suggerunt, Levitas illos vagos, pauperes repertos esse passim per urbes, non in solis 48 urbibus leviticis. Putasne Hebraeos insigni reverentia prosecuturos fuisse Levitas illos mendicos, epulorum invitationes captantes, imo vel ipsos sacerdotes eorumdem cognatos sanguine atque identidem etiam moribus? Ex hisce rationibus factum est, ut, solis fructuum terrae decimis solutis, primogenita animalia subintraverint in locum decimarum gregum; ut primitiae, primogenita, decimae, vota et donaria iam a toto populo comederentur, eius veluti propria haberentur, Levitae ad eorum communionem ex liberalitate admitterentur, non iure. Quaeres, cur his non obstiterint prophetae. Erant hi fortasse etiam numero et auctoritate pauciores (1 Reg. 3,1). Praeterea unicum malorum norant efficax remedium, ut rex constitueretur in Israel, qui firma et constanti auctoritate cunctos adigeret ad officia legis explenda. Ab hoc uno remedio salutem auspicabantur, hoc unum a Iahve votis expetebant : ubi hoc unum sub Davide remedium nacti sunt, manus alacriter applicuere restituendis statutis mosaicis.

Censuere aliqui, decimam *primitus* absumi consuevisse epulis sacris, postea reservatam esse ministris sacris, ergo legem Deut. 14, 22-29 *antiquiorem* esse lege Num. 18. Quam explicationem *Dr.* pronuntiat esse faciliorem ideoque veriorem : facile quippe ministri sacri, quae omnium primum usui patebant, sibi reservant. Verum altera explanatio nihilo est difficilior : constat quippe innumeris imprimis historiae ecclesiasticae factis, quo tempore religio languescat et clerus iaceat prostratus, facile laicos cleri privilegia usurpare. Ergo non est ratio legis Deut. 14 declarandae antiquioris lege Num. 18. Si tamen quis defendat, patriarcharum aevo decimas etc. absumi consuevisse epulis sacris, postea Moysen sanxisse eadem reservanda esse ministris sacris, tandem perturbatissimis iudicum temporibus populum relapsum esse in patriarcharum consuetudinem, equidem non infitior. Ita *mos* Deut. 14 erit quidem antiquior more, qui Num. 18 statuitur; sed *lex* Deut. 14 erit recentior lege Num. 18. Quae opinio, Hebraeos in re decimarum etc., uti etiam altarium privatorum, relapsos esse in praxin patriarcharum, facilius explicat cur haec omnia, et imprimis altaria privata, ad tempus certe tolerare et probare potuerint auctores inspirati et prophetae. Sc. temporibus perturbatissimis, quibus impossibilis esset omnium legum mosaica-

rum accurata observatio, relabebatur populus passim in ritum patriarcharum simpliciorem, faciliorem et sat longo ante Moysen usu consecratum. Ne vero reputes, idem fere hoc fuisse, ac si quis e Christianismo relabatur in Iudaismum. Iudaismus quippe religio est omnino alia atque Christianismus. Sed Iudaismus non erat religio plane alia a religione patriarcharum : erat eadem religio per Moysen emundata, nomine Iahve approbata, quibusdam, non ita multis mandatis omnino novis aucta. Relapsus in religionem patriarcharum non tam erat transitus a religione ad religionem, quin potius a ritu ad ritum. Quem transitum et temporum angustiae facilius in plebe rudi excusabant, et facilius prophetae ad tempus tolerare vel etiam approbare poterant.

5. *Lex explicans obligationem anni sabbatici Deut.* 15,1-18.

Arg. — Explicatur lex Ex. 23,10-12; Lev. 25,1-7.19-22. Igitur, quid potissimum *remissione* intelligatur, sc. ut terra anno septimo inculta dimittatur, id notum esse supponitur neque repetitur. Adscribuntur autem explicationes tres. *Primum* v. 2-6 anno sabbatico vetatur creditor repetere debitum a debitore hebraeo, non vero a non hebraeo. Providebit autem Iahve, ne quis eo anno Hebraeus penuria laboret, aut certe creditor quisquam ob regulam hanc religiose servatam. — *Secundo* v. 7-11, ne quis appropinquante anno remissionis egenum ideo iuvare detrectet, quod eo anno sibi non liceat debitum repetere. Quod avaritiae genus Iahve puniet, liberalitatem eo tempore exercitam remunerabit prosperitate. Egeni vero semper in regione ut reperiantur providebit, quo Hebraeis offeratur liberalitatis occasio. — *Tertio* v. 12-18, servus hebraeus (vel serva) manumittatur anno sabbatico cum viatico. Qui libertatem recusaverit, recipiatur in servum perpetuum. Rationes afferuntur duae servorum liberaliter dimittendorum : memoria servitutis aegyptiacae, et labor servi pretiosior labore mercenarii.

Schema legis Deut. 15,1-18.

Lex antiqua, quae explicanda suscipitur, breviter indicatur v. 1.
Legis antiquae *explicationes* (v. 2 דבר) v. 2-18 :
1. De debitorum remissione v. 2-6 :
   pars *legalis* v. 2 sq. : anno remissionis non sunt repetenda debita a debitore hebraeo;
   pars *moralis* v. 4-6 : monetur creditor eam sibi indulgentiam non esse detrimento futuram; explicationi attribuitur vis legis; iis, qui hanc legem servaverint, promittitur benedictio.
2. De aequitate erga debitores ante remissionis annum v. 7-11 :

pars *legalis* v. 7-10[a] : egentibus liberaliter commodandum; imprimis nefas est, appropinquante anno remissionis illis commodum denegare, quod eo anno non liceat debitum repetere;

pars *moralis* v. 10[b] sq. : id observaturis promittitur benedictio; egestas etiam ideo a Iahve permittitur, ut praestet occasionem exercendae liberalitatis.

3. De servis hebraeis anno remissionis manumittendis v. 12-18 :

a. pars *legalis* v. 12-14 : servus hebraeus dimittendus cum viatico;

pars *moralis* v. 15 : explicationi tribuitur vis legis; quae lex religiose servanda est grato animo ob effectam a Deo liberationem Israelis ex Aegypto.

b. pars *legalis* v. 15-17 : servus, qui manumitti recusaverit, recipiatur in servum perpetuum;

pars *moralis* v. 18 : volenter manumittatur servus, quod labor, quem sexennio praestiterit hero, pretiosior sit labore mercenarii; adscribitur benedictio.

Primum igitur v. 1 brevi formula lex explicanda in memoriam revocatur : « Septimo anno facies remissionem ». Subnectuntur explicationes tres, quae symmetrice singulae primum tradunt regulam agendi, dein regulae servandae motiva quaedam suggerunt. Explicationibus v. 5.15 tribuitur auctoritas legis. Utrum has explicationes repererit collector in unum collectas, an ipse primus collegerit, non liquet. Secunda explicatio utique est veluti prioris explicationis novella : utraque est de debitoribus et creditoribus, altera praecludit effugium aliquod, quo creditor avarus prioris explicationis onus evadat. Tertia vero explicatio est de re omnino diversa, manumissione servorum.

Cap. XV v. 1 « *Septimo anno facies remissionem* ». Expressio מקץ שבע שנים explicatur 31,10, ut sit idem atque « tempore anni remissionis »; ergo recte *Vulg. septimo anno* : « *finis* igitur annorum septem septimus significatur annus » (*Cai.*) ; expressio מקץ, uti aliae similes expressiones, sumi potest sensu vel exclusivo vel inclusivo. v. 2 « *Quae hoc ordine celebrabitur* ». *Hebr.* : *et hoc est verbum remissionis.* דבר non dicit *legem*, sed *rationem* : cf. 19,4; Ios. 5,4. Nomen שמטה solum habetur hoc capite et 31,10; sed verbum שמט evidenter nos revocat ad Ex. 23,11. Explicatur h. l. nomen per verbum, non tamen tota nominis vis, cum eius potissima significatio terrae incultae dimittendae h. l. tamquam nota praesupponatur, et sola accessoria quaedam significatio explicetur. Porro *Hebr.* hic habet, quod ignorat *Vulg.* : *ut remittat omnis creditor manum suam,* quod perperam *Targ.* vertere *debitum suum*, cum nusquam secus *manus* pro *debito* scribatur. Libere vertunt *LXX* : ἀφήσεις πᾶν χρέος ἴδιον. Ignorant vocem בעל; an forte illud ידו latitat in voce ἴδιον? Porro שמט 4 Reg. 9,33 significat *proiicere*; Ex. 23,11 *dimittere* terram, quod idem est atque illam *derelinquere* (נטש). Porro *dimittere* seu *remittere manum* non edicit condonationem debiti (*Bonfr.*), sed « quietem ab exactione » (*Cai.*). Ergo non dicitur anno septimo cessasse omnem debitoris obli-

gationem, sed eo anno vetitum esse creditorem quominus suum ius premeret. Non vetabatur is solutionem acceptare, si eam sponte eo anno offerret debitor; neque vetabatur octavo anno idem illud suum ius rursus vindicare : sed prohibebatur, quominus septimo anno debiti solutionem exigeret. Lex haec erat necessarium corollarium legis Ex. 23,10-12 : cum enim anno septimo lege prohiberetur debitor ex suis agris proventum facere, non habebat is unde eo anno debitum solveret, inique ad solvendum adigebatur. Lex haec non erat nova lex, sed legis antea datae aequa applicatio. Pergit porro *Hebr.* : *quod* (debitum) *dedit proximo suo*, i. e. Hebraeo; ad non Hebraeorum sc. debita non pertingere hanc legem, docet v. 3.

Aliter construit *Vat.* : remittat omnis patronus debiti manus suae, id quod mutuum dedit proximo suo. Sed nonne omnia debita sunt *debita manus*, manu data et accepta? Neque officit 2 Esdr. 10,31(32) : « dimittamus annum septimum et debitum omnis manus ». Quia sc. debita omnia manu sunt data et accepta, ideo etiam apte *omnia* debita exprimuntur vocibus « debitum *omnis manus* », i. e. omnis debitoris seu creditoris. Neque officit Lev. 6,2(5,21) תשׂוּמת יד : vox *positum*, תשׂוּמת necessario determinanda erat adscripto יד, cum non omne positum ponatur *in manum*; sed quidquid *mutuum datur*, datur in manum, ergo hic abundat יד, si vox eo sensu accipiatur, quem Vat. suggerit. Confirmat quam supra dabamus constructionem Ier. 17,4, si pro duro ובך corrigas cum *Dr.* ידך; eandem vero vix non exigit h. l. v. 3 תשׁמט ידך.

« *Cui debetur aliquid ab* [*amico vel*] *proximo ac fratre suo, repetere non* [*poterit*] ». *Hebr.* : *Non urgebit proximum suum et fratrem suum*. Urgere solum prohibetur. Ratio autem additur : « *quia annus remissionis* » *indictus* « *est Domini* », simili sane ratione atque Lev. 25,9 annus iubilaei; cf. Is. 61,1 sq.; Ier. 34,8 sq.; 36,9. v. 3 « *A peregrino* [*et advena*] *exiges, civem et propinquum repetendi non habebis* [*potestatem*] ». Pro copula videntur *LXX* legisse את, unde magis symmetrica evadit sententia : *peregrinum urgebis quoad illud quod tuum est; quoad fratrem tuum remittes manum tuam.* v. 4 « *Et omnino indigens* [*et mendicus*] *non erit inter vos, ut benedicat* », seu verius *quia benedicet*, « *tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem* ». *Hebr.* : *tamen non erit apud te pauper.* Quod incisum *Bonfr.* accipit ut *praeceptum* : « ne quem patiantur apud se egenum, quin ei mutuando vel aliter subveniant ». Illud « quin etc. » non est in textu. Durius videtur eiusmodi praeceptum, cum constet cum ex natura rei tum e v. 7 sqq. aliisque textibus, non defuturos pauperes. Quod sentiens *Vulg.* videtur restrinxisse pauperes ad solos *mendicos*. Melius *Cai.* incisum intelligit *promissionem*, non ut nulli pauperes promittantur futuri, sed intime iungen-

dum praecedentibus : remittas manum tuam, neque tamen erit pauper in te, non redigeris ad paupertatem ipse concessa pauperibus debitoribus anni sabbatici indulgentia; id ne fiat, Iahve sua providentia et benedictione efficiet (*Cai.*). Vel dicas, incisum contextu restringi ad annum septimum. Quo anno si omnes vixerint iis, quae aut e praecedentibus annis superfuerint, aut in agris forte colligantur, profecto non egebit quisquam; si qui vero eo anno adigerentur ad debita praeterea solvenda, hi sine dubio ad egestatem redigerentur.

v. 5 in memoriam revocat conditionem huius benedictionis acquirendae : « *Si tamen* » — i. e. *tantummodo* — « *audieris vocem Domini Dei tui et custodieris universa, quae iussit et quae ego hodie praecipio tibi* », profecto « *benedicet tibi* » *Dominus Deus tuus,* « *ut pollicitus est* » *tibi.* Ceterum *Hebr.* : *totum hoc mandatum, quod ego hodie praecipio tibi.* Non est generalis commendatio omnium mandatorum, sed huius tantum mandati. Explicatur autem v. 6 haec benedictio : dum Hebraei inter se misericordiam exercebunt, curabit Deus, ut ex aliis gentibus ditescant. v. 6 « *Foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum; dominaberis nationibus plurimis, et tui nemo dominabitur* ». עבט significatione *mutuum dare* solum h. l.; sed cf. עבוט, *pignus* 24, 10-12.

Praecendente lege v. 1-6 fieri potest ut aliqui inducantur, ut imminente iam anno septimo egenos nolint adiuvare. Quibus proposita hinc divina indignatione, illinc divina benedictione iniungitur, ut egenos tum liberaliter adiuvent. v. 7, uti v. 12 sq., orditur coniunctione כי. v. 7 « *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas* [*civitatis*] *tuae in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit* », — locutus erat orator v. 4 de paupertate quoad annum septimum, sc. providente Iahve observatam legem v. 2 sq. nemini fore occasionem indigentiae : loquitur iam de pauperibus ante illum annum. Ubi primum factum affirmat secundum naturales rationes probabiliter eventurum : *et erit apud te pauper unus e fratribus tuis ex una urbium tuarum in terra tua.* Veri absimile omnino est, ut in regione tam late patente, tot urbes urbiumque incolas habente, nullus reperiatur pauper — « *non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum* » *a fratre tuo paupere;* v. 8 « *sed aperies eam pauperi et dabis mutuum, quo eum indigere* [*perspexeris*] ». *Hebr.* : *sufficiens indigentiae, quam patitur.* Haec unica gratiae mensura.

v. 9 sq. idem monitum expressius repetitur. v. 9 « *Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos a paupere fratre*

tuo, nolens ei [quod postulat mutuum] commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum ». v. 10 « *Sed dabis ei, nec ages quidpiam callide [in eius necessitatibus] sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore et in cunctis ad quae manum miseris* ». *Hebr.* : *nam propter verbum hoc benedicet tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo* (agriculturae) *et in cunctis etc.*; eadem benedictione, quae v. 4 promittebatur. Non *omni tempore*, sed anno proxime sequenti amplas Iahve largietur segetes.

Rursum v. 11 orator affirmat factum, non iam tamquam e naturalibus rationibus probabiliter eventurum, sed tamquam Deo praenuntiante certo futurum. v. 11 « *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae : idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, [qui tecum versatur] in terra* » *tua*. Ne credant Hebraei hoc praeceptum esse onus, quo aliquando se valeant expedire : sed norint, hanc beneficentiae legem a Deo perenniter sibi imponi, ideoque benevolentiae spiritum ipsi induant.

Moniti v. 12-18 adscribendi duplex erat occasio : prima, quod illud respiceret *annum sabbaticum*; altera, quod respiceret homines ob *paupertatem* in servitutem delapsos. Lex primum est de servis maribus, adscribitur vox *serva*, quae Ex. 21,2 non habetur. Qua voce non revocatur illud Ex. 21,7 sqq. de filia vendita in matrimonium et de serva ad matrimonium assumpta; sed lex Ex. 21,2-6 explicite statuitur respicere etiam mulieres hebraeas illas, quae sine matrimonii exspectatione essent servae : virgines in servitute natas, viduas egenas (14,29) quae se in servitutem divendissent, ancillas quae ob deformitatem vel infirmitatem corporis a nemine ad nuptias expeterentur etc. Cum hominum natura prona sit ad avaritiam, fuere sine dubio, qui privilegium Ex. 21,2-6 servis hebraeis concessum denegarent ancillis hebraeis illis, quae non iam fruerentur privilegio ib. v. 7-11 ancillis concesso : ad has item pertingere privilegium Ex. 21,2-6 nostra haec lex definit. Exinde porro, quod h. l. non statuatur auris perforatio facienda esse *coram iudicibus*, immerito infert *Dillm.* illam iam privatim fieri permitti. Erat tamen opus publico aliquo documento, quo quis demonstraretur factus esse servus perpetuus. In textu Ex. 21,6 habetur bis והגישו; quare in illo textu, si ex eo supponatur noster textus fluxisse, facillime excidere potuit illud de *iudicibus* membrum.

Ceterum textus Deut. 15,12-18 et Ex. 21,2-6 valde sunt affines inter se. Deut. 15,12 substantialiter idem est cum Ex. 21,2, et Deut. 15,17 cum Ex. 21,6. Porro amplificatur illud *dimittes liberum* (Deut. 15,12 et Ex. 21,2), ut Ex. 21,3 sq. iubeatur ille servus dimitti non iniquiore conditione ea, qua servitutem iniit, Deut. 15,13-15 iubeatur etiam viatico instrui. Deut. 15,16 idem est cum Ex. 21,5,

nisi quod Ex. 21,5 affirmetur servus agi potissimum amore familiae propriae, de qua v. 4, Deut. 15,16 amore heri eiusque domus. Deut. 15,18 alterum motivum addit amplificationi v. 13-15. Ergo non istud solum discutiendum est, uter textus sit antiquior. Potuere ambo esse duae recensiones valde affines ac veluti coaetaneae inter se unius eiusdemque alicuius textus, qui brevior fuerit et pressior.

v. 12 « *Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebraeus, aut hebraea* », — hanc vocem ignorat Ex. 21,2 — « *et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum* »; v. 13 « *et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris* », v. 14 « *sed dabis viaticum de gregibus et de area et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi* ». *Hebr.* : *impones ei,* humeris veluti gravem molem. v. 15 « *Memento, quod et ipse servieris in terra Aegypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus; et idcirco ego nunc praecipio tibi* » *hoc verbum*. v. 16 « *Sin autem dixerit : Nolo egredi, eo quod diligat te et domum tuam, et bene sibi apud te esse* [*sentiat*] », v. 17 «*assumes subulam et perforabis aurem eius in ianua domus tuae, et serviet tibi usque in aeternum. Ancillae quoque similiter facies* ». Ultimum incisum ignorat rursum Ex. 21, 6. Alia porro adscribitur ratio, cur heri non debeant illud iniquum aestimare, dimittendos sibi liberaliter esse servos, v. 18 : « *Non avertas* [*ab eis*] *oculos tuos, quando dimiseris eos liberos* ». *Hebr.* : *non sit grave in oculis tuis dimittere eum liberum.* Certe *eum* (*Sam. Chald. Syr.*) praeferendum est plurali *eos* (*LXX*). « *Quoniam iuxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi* ». משנה omittit *Vulg.*, dum *Aq. Targ. Syr.* vertunt *duplum*. Secundum quam versionem primum statuit textus factum, dominos tum e servis duplum eius laboris extorsisse, quem mercenarius praestaret; secundo hoc factum tacite approbat. Id vero omnino dissonat a legum Deut. 15 indole mansueta, et repugnat Lev. 25,53, secundum quem textum eiusdem valoris reputabatur labor servi et labor mercenarii. *LXX* ἐπέτειον (ἐφέτιον, ἐπέτιον), *annuus,* vocem derivant a מן et שנה, ergo : *ab anno* (sc. primo) *mercede mercenarii servivit tibi sex annis*. An forte pro משנה legebatur בשנה vel שנה בשנה? Argumenti igitur vis non est in eo, quod *duplum* laborem persolverit servus, sed quod sex *continuis* annis serviverit, dum mercenarii non tanto tempore hero adstringebantur. Aequum erat, ut pro hoc etiam commodo aliquid solveret herus servum manumittens. Tandem affirmat Deus, sua benedictione se effecturum, ut nihil detrimenti capiant heri, qui hanc legem observaverint : « *ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quae agis* ».

6. *Lex de primogenitis animalium sacrificalium Deut.* 15,19-23.

Arg. — Animalium sacrificalium primogenita mascula, nullo defectu legali vitiata, nulli usui profano adhibeantur, sed apud sanctuarium ritu pacificorum comedantur a possessore eiusque domo. Quae vero defectu aliquo laborant, comedantur domi ritu non sacro, a quibuslibet, sanguine tamen, quod in omnibus domi mactationibus servabatur (12,16. 23 sq.), in terram effuso.

Non tota h. l. proponitur materia de primogenitis, non agitur de primogenitis filiis, sed de solis animalibus iisque sacrificalibus: bove, ove, capra. Attingebantur haec Ex. 13,2. 12; 34,19; Lev. 27,26; Num. 3,13; 8,17 et imprimis Ex. 22,29 sq., ubi illa animalia iubebantur relinqui saltem septiduum apud matres (cf. Lev. 22,27, et CEL p. 236), et Num. 18,17 sq., ubi primogenita attribuebantur sacerdotibus, non populo. Illud h. l. v. 19 ita determinatur, ut primogenita non ultra annum domi retineantur, sed nulli profano ibi usui adhibeantur. Quamdiu populus in deserto a sanctuario proximus abesset, crediderim haec animalia paucis, postquam nata essent, diebus produci consuevisse; at in terra sancta non erant adigendi homines ad frequentiores ad sanctuarium peregrinationes, neque tenella prorsus animalia ad longinqua subeunda itinera : quare legitimus obtinuit mos eorum *intra annum* adducendorum, i. e. quando pro solemnitate aliqua petebatur sanctuarium. Verum non tantum determinatur, sed plurimum mutatur antiquior lex, cum h. l. carnes primogenitorum non iam sacerdotibus reserventur, sed populo concedantur. Quod suggerit *Bonfr.*, agi h. l. de primogenitis feminis, aut *Malv.*, v. 20 sqq. esse apostrophen ad sacerdotes, gratuito plane adstruuntur : uti alias primitiae et decimae, ita h. l. primogenita toti iam populo permittuntur comedenda. Cuius rei rationes suggerebamus p. 334 sqq.

Primogenita illa apud sanctuarium immolata esse *ritu pacificorum*, et per se patet et ex narratione 1 Reg. 2,13; quae ob defectum aliquem domi mactarentur, mactata esse ritu non sacro, item patet per se et explicite praecipitur Deut. 17,1 (cf., quae ib. dicturi sumus). Quae habentur v. 20 de loco a Iahve electo et de epulo sacro ib. faciendo, v. 22 de mactationibus domi faciendis et v. 23 de sanguine effundendo (verbotenus uti 12,16; cf. 12,23 sq.) demonstrant huius legis *affinitatem* cum legibus 12 sq.; 14,22-29.

v. 19 « *De primogenitis, quae nascuntur in armentis et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo* ». Non novum aliquid sancitur, sed antiquior lex legitime explicatur : primus sc. sanctificationis effectus est, ut subtrahantur usui profano

et, cum vetentur boves aratro adhiberi et oves tonderi, patet agi de animalibus plus octiduo natis : « *Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium* ». Alter effectus est, ut adducenda sint ad sanctuarium ibique ritu pacificorum immolanda : v. 20 « *In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus* », — *LXX Syr.* addunt *Deus tuus* : eiusmodi facile adscribebantur — « *tu et domus tua* ». An vetabantur invitari amici, pauperes Levitae, egeni? Etiam in lege Ex. 12 *domus* est latioris acceptionis. v. 21 « *Sin autem habuerit maculam* » animal illud primogenitum (cf. Lev. 22, 21 sqq.), « *vel claudum fuerit vel caecum, aut in aliqua parte deforme* [*vel debile*], *non immolabitur Domino Deo tuo* », v. 22 « *sed intra portas urbis tuae comedes illud : tam mundus quam immundus similiter vescentur eis* », cum tamen immundi a pacificorum communione excluderentur, « *quasi caprea et cervo* » (cf. 12,15. 22), quae nunquam usui sacro adhibebantur. v. 23 « *Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam* ». Prudenter venia mactandi domi (12,15. 21 sqq.) explicite extenditur ad primogenita haec maculam habentia.

7. *Lex de solemnitatibus apud sanctuarium celebrandis* *Deut.* 16,1-17.

Arg. — Statuta de tribus solemnitatibus adaptantur necessitatibus aevi iudicum, quo accessus ad sanctuarium ob continuas fere rei publicae vicissitudines erat impeditior. Severe praecipitur, ut solemnitates apud sanctuarium maximum celebrentur. Verum, secundum principium Num. 9,10 sq. enuntiatum, extenditur aliquantum tempus lege Lev. 23 statutum pro quaque solemnitate. Pro Phase praeter ovem et capram victima admittitur bos. Generatim sancitur in oblationibus sacris praestandum esse cuique tantum, quantum pro temporum iniquitate praestare valeat, et non plus.

Haec lex merito adscribitur iis, quae *locum cultus* directe vel indirecte attingunt : agit enim de solemnitatibus apud sanctuarium maximum celebrandis. Illam ea, qua hic legitur forma, esse affinem legum 12,8-32; 14,22-29; 15,19-23 idemque atque has aevum respicere, confirmabunt ea, quae dicturi sumus, et produnt sequentes expressiones : « locus, quem elegerit Iahve » (v. 2. 6 sq. 11. 15 sq.); Phase v. 5 non celebrandum domi (cf. 12,15-18. 21. 26); commendatio Levitae v. 11. 14. Paragraphi v. 1. 9. 13. 16 ordiuntur forma absoluta, v. 1 solemni שָׁמוֹר. Cum pentateuchi leges plurimae non

completum alicuius materiae tractatum proponant, sed statuta sanciant temporum necessitatibus opportuna, immerito exspectaveris, quaecunque priores leges de hisce solemnitatibus statuerint, hac lege repeti. Affinitates huius legis cum aliis de tribus solemnitatibus legibus infra indicaturi, quaedam nunc haud exigui momenti examinabimus, in quibus haec lex ab illis dissonat.

1. *Tempora festorum hebeti veluti manu describuntur.* Pro Phase assignatur *mensis Abib,* sed tacetur *dies mensis,* idque admirationem habet tanto maiorem, quod *hora diei,* qua Phase immolari oporteat, v. 6 adscribatur. Festi Pentecostes computandi Lev. 23,15 sq. accurata tradebatur methodus, dum noster v. 9 festum celebrari praescribat « septem hebdomadas post missam in segetem falcem ». Num uno omnes die falcem in segetem mittebant, imprimis temporibus illis perturbatissimis, quibus ob hostium timorem segetes essent raptim colligendae? Incertius item v. 13 tempus festi Tabernaculorum celebrandi indicitur, « post completam messem et vindemiam ». Dices, auctorem his distinctius repetendis supersedere, quod lectoribus nota esse supponat. Verum, eratne tantus labor mensi Abib adscribere diem 14^{am}, aut pro « post completam messem et vindemiam » scribere mensis 7ⁱ diem 15^{am}?

Aliam suggerimus solutionem. Num. 9,10 sq. statuebatur principium iis, qui legitime fuissent impediti, quominus statuto die Phase celebrarent, omissionem alio tempore esse supplendam. Ille dies non erat plane immobilis. Lex mosaica non erat litera tantum, sed litera et spiritus, eius principia pro temporum necessitatibus crescebant, evolvebantur. Non erat profecto, cur illud quod dicebamus principium non extenderetur aliquando etiam ad solemnitates Pentecostes et Tabernaculorum; non erat, cur, quo tempore impedimenta adeundi certis diebus sanctuarii plura essent et graviora, idem principium non nancisceretur applicationem multo latiorem; non erat, cur, quod principium primum enuntiatum esset in favorem pauculorum hominum legalem immunditiam passorum, illud idem non iam fieret ad tempus lex in favorem totius populi gravissimis difficultatibus oppressi. Eiusmodi tempus erat iudicum aevum hostium timoribus et incursionibus agitatissimum, quo si omnes adigerentur statutis quibusdam diebus ad sanctuarium accedere, vel pii saepe homines officia implere minime valerent. Cuius rei duplex praesto erat remedium : primum, ut adigerentur statutos lege dies religiose servare, permitterentur solemnitates celebrare domi; alterum, ut adigerentur ad sanctuarium accedere, sed extenderetur tempus. Hoc alterum remedium, quod certe magis consonat indoli legis mosaicae, nostra lex sancit.

2. *Victima Phase* v. 2 *permittitur seligi aut ovis aut capra aut bos*; praeter agnum paschalem habetur etiam bos paschalis. Quae res interpretum animos haud parum torsit. Coniecerit aliquis, v. 2 ובקר in textum irrepsisse, corruptione fortasse sequentis ויבחר. Solutionem facilem, commodam, sed quae omni destituatur momento critico. *Bovem* illum in suo textu unanimes legebant *Hebr. Sam. LXX Vulg. Chald.*, ad unum omnes. Cum *Bonfr.* sensere plures, agi v. 2 de victimis non solius diei 14^{ae} Nisan, sed totius octidui. Verum *facere Phase* est terminus technicus pro immolatione diei 14^{ae}, atque ad eandem evidenter refertur descriptio temporis v. 6 (cf. v. 4). Manet ergo in textu monstrum illud, bos paschalis.

Nobis igitur illud est explicandum, qui fieri potuerit ut, dum Ex. 12,3 victimam paschalem praescribat שה seu צאן, h. l. optio concedatur inter צאן et בקר, pecudem minorem aut maiorem. Qua in re, quae tota pertinet ad V. T., peto a te, lector benevole, ne nimis te moveri patiaris cogitatis christianis. Victima paschalis tibi illico in mentem revocat antitypum Christum, pigetque te agnum paschalem mutare in bovem paschalem. Verum, num eam typicam rationem norant Hebraei aevi iudicum? si norant, num satis attendebant? Quid piis de typis et antitypis meditationibus inter continuas Philisthaeorum, Madianitarum aliorumve direptiones? Memento, secundum Ex. 12,3 fuisse tandem victimam paschalem non *agnum* simpliciter, sed *aut agnum aut capram*. Si *capram paschalem* concedere cogaris atque concedas, cur *bovem paschalem* perhorrescas? Qui vero factum est, ut is admitteretur victima paschalis? Victima Ex. 12,3 statuitur שה ob rationem non typicam tantum, sed imprimis practicam : agebatur de epulo sacro domi a familiis celebrando, cui animal minus, agnus aut capra, melius congruebat quam animal maioris molis, bos. Neque tamen familia presse sumebatur, poterant admitti vicini, augeri numerus convivarum (CEL p. 116 sq.). Abigebant igitur greges iudicum aevo haud raro Hebraeorum hostes; numerus ovium et caprarum quandoque ita minuebatur, ut, si victimae paschales omnes immolarentur oves aut caprae, exterminaretur fere hoc utile pecudum genus. Quid iam agendum? Aut solae oves et caprae victimae admittebantur, Hebraei plures sine victimis, sine epulis a sanctuario recedebant, nunquam fortasse redituri, epula boum domi celebraturi; aut admisso pro victima bove, his etiam satisfiebat, sanctuarii religio sarta tecta servabatur : hoc alterum remedium praetulere canonistae hebraei. Tune in illos lapidem coniicias? Sc. secuti sunt illi hac in re principium quod textus v. 17 habet, rerum inexorabilem necessitatem : « Offerat unusquisque secundum benedictionem, quam

dedit ei Iahve ». Quae benedictio aevo iudicum erat haud raro tenuissima. Ad id vero, quod impossibile esset, nemo censebatur lege esse adigendus.

Intelligamus tandem, *legem mosaicam debuisse habere quamdam elasticitatem,* qua necessitatibus ac vicissitudinibus temporum accommodaretur. Necessario haec adsit oportet in omni lege viva, quae populi alicuius per plura saecula vitae moderetur. Quae ubi defuerit, rigescet lex, tabescet populus effectu non tam peccatorum suorum quam legis suae. Eiusmodi elasticitate praeditam fuisse legem, quando a Moyse promulgabatur, in dubium vocabit nemo : qualis et quanta ea fuerit, discat oportet non tam e rebus christianis, quae aliae prorsus sunt et altiores, non e placitis posteriorum Iudaeorum mentham decimantium, sed potissimum ex ipso V. T., imprimis e Deut.

a. Solemnitas Phase Deut. 16,1-8.

De tribus solemnitatibus agitur Ex. 23,14-18; 34,23; Lev. 23; Num. 28 sq. De Phase cf. item Ex. 12,1-27. 43-49; 13,3-10. Agit h. l. v. 1 sq. de victima paschali, v. 3 sq. de azymis, v. 5-7 insistit ut Phase apud sanctuarium celebretur, v. 8 agit de requie et festo populari. *Cap. XVI* v. 1 « *Observa mensem novarum frugum [et verni primum temporis]* », — *Hebr.* : *mensem Abib* = Nisan, cf. CEL p. 113 sqq. Orditur autem lex eodem verbo, atque 5,12 mandatum de sabbato observando — « *ut facias Phase Domino Deo tuo* : *quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte* ». Cf. Ex. 12,31. 42. (עשה פסח cf. Ex. 12,47 sq.; Num. 9,2-6. 10-14; Ios. 5,10; 4 Reg. 23,21. 22. 23; 2 Par. 30,1-3. 5; 35,1. 16-19; 1 Esdr. 6,19. Eadem significatione עשה scribitur de aliis festis h. l. v. 10. 13; Ex. 34,22; 3 Reg. 8,65; 1 Esdr. 3,4 etc. et de sabbato Deut. 5,15; Ex. 31,16. Cf. *Dr.* v. 2 « *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi* ». Facere Phase *prope sanctuarium* iubentur Hebraei item Ex. 23,17; 34,23 : hic idem exprimitur, sed expressione propria legum Deut. 12-16. Advertit *Dr.*, Ex. 12,21-27 celebrationem fuisse domesticam potius quam publicam : id verissimum est, sed tum neque exsistebat sanctuarium Iahve proprium, epulum simul erat sacrificium et viaticum. Primum Phase habuisse quaedam diversa ab iis, quae sequentibus Phase observabantur, monebamus CEL p. 119. Adverte scribi *oves* et *boves :* oves vel hic efferuntur ut victimae ordinariae; alias boves semper anteponuntur ovibus. v. 3 « *Non comedes in eo panem fermentatum* ». Sensus obvius est *cum eo,* עליו. Victima paschalis erat sacrificiorum omnium augustissimum :

ergo sicut secus panis fermentatus excludebatur ab ipsis sacrificiis (Lev. 2,11; 6,17 [10]), ita hic excluditur ab epulo sacrificali. Id nondum explicite habetur Ex. 12,15 (CEL p. 121), neque v. 18 iniungit panem azymum una cum ipso agno paschali esse manducandum. Sed idem *cum eo* mox ad sequens septiduum extenditur. Qui agnum paschalem aliquo mensis Nisan die immolasset, non immolabat alios agnos paschales sequenti septiduo. Ergo illud עליו, *cum eo* intellige non de simultaneitate temporis, sed de concomitantia rei : *iunctim* cum victima paschali, sive in ipso die Paschatis sive intra eius octavam, quae et ipsa ad solemnitatem paschalem pertinet, ne manducetur fermentatum. Qui sensus praepositioni omnino congruus ei item tribuendus est Ex. 23, 18, ubi de sacrificiis universis dicitur : Non sacrificabis iunctim cum fermento sanguinem victimae tuae. Victimae imponebatur non panis aut massa, sed simila : non autem fermentare consuevit simila seu farina, sed panis. Ergo Ex. 23,18 agitur de pane, qui cum carnibus victimae antea sacrificio oblatae sacro epulo comedebatur. Igitur h. l. dicitur *cum* victima paschali comedi, quidquid vel in ipso epulo paschali, vel reliquo die Paschatis, vel per octavam Paschatis comeditur. Solius *Vulg.* auctoritas non est sufficiens ad delendum alterum עליו, cum *Vulg.* haud raro vocem omittat, quam e praecedentibus facile suppleri existimet. « *Septem diebus* » *cum eo* « *comedes absque fermento afflictionis panem* », hoc nomine appellatum ob afflictionem Ex. 3,7 (cf. 1,12), « monumentum afflictionis, quam pertulistis in Aegypto » (*Vat.*), imprimis in ipsa exodo aegyptiaca, « *quoniam in pavore* » — *Hebr. festine,* cf. Ex. 12, 11 — « *egressus es de Aegypto, ut memineris diei egressionis tuae de Aegypto omnibus diebus vitae tuae* ». למען תזכרו etiam Num. 15,40. v. 4 « *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis* » (Ex. 13, 7; cf. 12,15) « *septem diebus, et non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo, usque mane* ». Ex. 12,10. v. 5 « *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi* ». v. 6 « *Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi, immolabis Phase vespere ad solis occasum* », — his explanatur expressio « inter duas vesperas » Ex. 12,6; Lev. 23,5; Num. 9,3. 5. 11 — « *quando egressus es de Aegypto* ». Pro *quando Hebr.* מועד, *tempus fixum,* cf. Ex. 9,5. Sc. exodus initium sumpsit ab epulo viatico paschali. v. 7 « *Et coques et comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in tabernacula tua* ». Habetur hic rursum necessaria mutatio legis Ex. 12 : quando epulum paschale comedendum fuit prope sanctuarium, non poterat iam comedi intra domos,

sanguine liniebantur non iam postes domus sed, uti posteriores Iudaei fecere, per sacerdotes cornua altaris. *Tabernacula Cai.* aliique intelligunt domos. Unde inductus est *Bonfr.*, ut *mane* interpretaretur diem post absolutam octavam : at sensus obvius est, intelligi mane ipsius Paschatis, praecedens septiduum v. 8. *Calm.* censet illud edici, integrum fuisse hominibus, ipso mane Paschatis profectionis initium facere, sed vix non omnes pluribus diebus substitisse : eritne igitur concedendum textum permisisse, imo suggessisse Hebraeis, ut itineris non ita brevis initium facerent ipso Paschatis die? Adverte hic scribi *tabernacula,* v. 5 *portas* seu urbes. Circa sanctuarium figebant tentoria Hebraei tempore solemnitatum, epulum paschale celebrabant prope tabernaculum *nocte* (v. 1), sequenti *mane*, qui erat dies Paschatis, se recipiebant ad tabernacula, expleta octava ad propria redibant. Ergo illa *tabernacula* nequaquam (*Dr.*) nos revocant ad illud tempus, quando Hebraei nomadum instar in tabernaculis vivebant fixisque domibus carebant. v. 8 « *Sex diebus comedes azyma et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus* ».

עצרת, *collecta*, i. e. probabilius festum non tam sacrum quam populare : cf. CEL p. 518; CN p. 337. — Notabamus CEL p. 514 discrimen inter מלאכה, strictam requiem sabbatinam (Lev. 23,3.31), et מלאכת עבדה, requiem a solis laboribus agrestibus. Quando viri, procul suis laribus, festa peragebant, non erat cur non etiam in octava Paschae ab omni labore vacarent : quare hic non scribitur עבדה.

b. Solemnitas Pentecostes Deut. 16,9-12.

Quod hic et Ex. 34,22; 2 Par. 8,13 vocatur *festum hebdomadarum,* idem Ex. 23,16 solemnitas messis, Num. 28,26 dies primitiarum audit. De eodem agebatur Lev. 23,15-20; Num. 28,26-31. v. 9 agit de tempore festi (v. s.), v. 10 de oblatione facienda, v. 11 de epulo sacro habendo. Cui magis quam oblationi insistit scriptor, quod magis ad sanctuarium pellecturum esset homines. Eo ut conveniant, scriptor ante omnia efficere nititur. Oblatio a singulis offerenda Lev. 23,10 indicebatur manipulus frumenti : urget autem scriptor, ut ad sanctuarium accedant, etiamsi ob temporum iniquitatem hanc tenuem oblationem nullatenus aut aegre valeant proferre. Quare afferri iubet *sufficientiam* (מסה, ἅπαξ λεγόμενον) *oblationis spontaneae iuxta benedictionem,* quam illis Iahve concessit. Afferant, quod ipsis *sufficiens* videbitur; afferant *spontanee,* non quasi lege ad determinatum aliquod donum proferendum adigantur; afferant, prout messis (*benedictio*) fuerit magis minusve abundans. Qui parum habet, parum offerat; qui nihil, afferat nihil. Sed accedant omnes. Vides, quam arcte haec lex connectatur cum reliquis de loco cultus.

v. 9 « *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem* [*miseris*] ». *Hebr.* : *septem hebdomadas numerabis tibi; ab initio falcis in segetem* mittendae *numerabis septem hebdomadas.* v. 10 « *Et celebrabis* [*diem*] *festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuae, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui* ». Iubentur porro hic uti v. 14 accedere ad sanctuarium filii et filiae, servi et ancillae, advenae, pupilli, viduae, Levitae vagi, ergo omnes praeter uxorem, quae etiam 12,12. 18 non recensebatur, iidem qui 12,7; 14,26 dicuntur *tu et domus tua.* Verum nonne sic tota regio habitatoribus nudabatur? nonne v. 16 soli mares ascendere iubentur? Primum patet hac in re legitimas excusationes esse admissas, eos omnes permissos esse domi remanere, qui essent necessarii, ut fines et bona in tuto ponerentur. Praeterea adverte, e v. 16 solos mares fuisse, ut ascenderent, *obligatos.* Praeter hoc autem *cupit* scriptor et commendat, ut quantum fieri possit, integrae familiae accedant : festa quippe, quae segetem respiciunt, natura sua sunt festa familiarum. Dum priores leges illud potissimum urgebant, ut suam Iahve nancisceretur oblationem, nostro scriptori ea maxime cordi sunt, quae unionem familiarum atque inde tribuum et populi, promovent et Hebraeos ab extraneis segregant. v. 11 « *Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, et Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus et vidua, qui morantur vobiscum, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi* ». v. 12 « *Et recordaberis, quoniam servus fueris in Aegypto, custodiesque ac facies, quae praecepta sunt* ». Cum versus idem edicat atque 15,15, ibique *verbum hoc* respiciat illud ipsum mandatum v. 12-14 vel v. 1-14, ergo etiam h. l. *statuta illa* (*Hebr.*) accipias de mandato v. 9-11 vel v. 1-11.

c. Solemnitas Tabernaculorum Deut. 16,13-15.

De solemnitate tabernaculorum agunt item Ex. 23,16; 34,22; Lev. 23,33-43; Num. 29,12-18. Vocatur ea Ex. 23,16; 34,22 solemnitas extremae messis; sed nomen a tabernaculis petitum (Lev. 23,34) postmodum utique evasit communius : 2 Par. 8,13; 1 Esdr. 3,4; Zach. 14,16. 18. 19. Quandoque simpliciter audit « festum » : 3 Reg. 8, 2. 65; 2 Par. 5,3; 7,8; 2 Esdr. 8,14; Ez. 45,25. v. 13 « *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies; quando collegeris de area et torculari* [*fruges*] *tuas* ». v. 14 « *Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus et filia, servus tuus et ancilla, Levites quoque et advena, pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt* ». v. 15 « *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem*

elegerit Dominus; benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis et in omni opere manuum tuarum, erisque » *profecto* « *in laetitia* ». Dummodo Iahve fideliter adhaereas, cuius rei argumentum potissimum est accessus ad sanctuarium temporibus statutis, erit hoc festum utique laetissimum, *quoniam benedicet tibi etc.*, abundantissimasque ante festum colliges segetes. Tamen cum v. 1.12 voce כי adscribatur ratio festi cuiusque, fortasse etiam v. 15 eadem voce adscribitur ratio festi tabernaculorum, quod post completam messem celebrabatur : *festum celebrabis, quia benedixit tibi Iahve.* Facile כי ברכך mutari potuit in כי יברכך.

d. Legis summarium Deut. 16,16 sq.

Prior v. 16 pars verbotenus consonat cum Ex. 23,17, extrema cum Ex. 23,15 et 34,20; inter quas partes inseruntur trium solemnitatum nomina. v. 16 « *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus* ». Sed illud *vacuus* nunc pro temporum iniquitate explicatur v. 17 : « *Sed offeret unusquisque, secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei* ». Statuitur idem quod v. 10 : certis oblationibus non adstringuntur : *unusquisque ita donum manus suae, sicut benedictio etc.* Ipse videat, quid sapienter offerre queat : qui exiguam aut nullam accepit segetum benedictionem, det parum aut nihil.

II. LEGES DE MAGISTRATIBUS DEUT. 16,18-20,20.

8. *Lex de iudicibus Deut.* 16,18-17,13.

Arg. — Iudices cum scribis per omnes urbes constituantur. Qui iudicent secundum strictam iustitiam. Quoad sacra autem tribus rebus in sua quique urbe invigilent : ne patiantur perticas plantari prope altare aliquod Iahve aut cippos erigi, quae licet in se superstitione carerent, superstitionum tamen chananaearum erant valde affinia; ne patiantur Iahvae apud se immolari victimas habentes maculam aliquam legalem; Hebraeum testimonio duorum vel trium testium cultus deorum alienorum convictum lapidari curent, testibus primos in eum lapides coniicientibus. Quando tandem in causa non facti sed iuris iudices urbani dissenserint, transferatur causa ad sanctuarium, ibique a sacerdotibus et, si qui tum ibi fuerit, iudice totius

populi dirimatur. Qui ei decisioni stare recusaverit, morte plectatur.

Cum etiam alias (12,8 etc.) scriptor Moyse posterior loquatur nomine Moysis, expressiones 16,18.20 non efficiunt legem esse Moysis auctoris. Ceterum 16,18-20, vix non verbotenus habentur in praecedentibus libris. 16,21-17,13 spiritu sunt omnino mosaica : tamen Moysen compertum non habemus praedixisse (17,9) futuros praeter iudices minores etiam iudices maiores, quales fuere ii, quorum acta liber Iud. recenset; Moyses, quantum novimus, sistebat in Iosue sibi successore constituendo. Praeterea 16,21-17,7, pro conditionibus aevi iudicum, videntur esse inserta huic legi de iudicibus. Vel Moyse superstite erant appellationes a simplicibus iudicibus ad altiorem auctoritatem (Ex. 18,26) : sed lex ea forma, qua habetur Deut. 17,8-13, utique spectat aevum iudicum. Cf. iudicem maiorem v. 9; item v. 2 « una urbium tuarum etc. », v. 8 locus electus a Iahve, v. 9 « sacerdotes Levitae ». Ergo lex 16,18-17,13, si tota perpendatur, et non solum aliqua eius pars, aevo iudicum tribuenda erit.

Iudices et *scribae* antiquitus erant apud Hebraeos. Erant scribae Ex. 5.6.10.14.15.19, qui pro Aegyptiis rationem habebant angariarum ab Hebraeis exactarum. Num. 11,16 habentur seniores, qui iidem sunt scribae, non tamen iudices constituuntur sed prophetae. Recensentur scribae post *seniores* Num. 11,16; Deut. 29,10 (9); 31,28; Ios. 8,33; 23,2; 24,1; post *iudices* Ios. 23,2; 24,1. Admirationem facit eos Ios. 8,33 recenseri *ante* iudices, qui tamen illis digniores erant; sed non semper stricto ordine dignitatis procedant eiusmodi enumerationes, necesse est. Deut. 1,15 docemur, Moysen iudicibus a se Ex. 18 institutis attribuisse scribas. Cum idem iudicum institutum Num. 2 effectum sit institutum militare, ut iidem iudices essent qui praefecti militum (cf. CN p. 24), reperimus eorum adiutores scribas tempore bellorum proclamationes edentes ad populum : Deut. 20,5.8.9; Ios. 1,10; 3,2. Posterioribus item temporibus videntur fuisse subordinati ministri militares vel iudiciales : 1 Par. 23,4; 26,29; 27,1; 2 Par. 19,11; 26,11; 34,13. Cf. *Dr*. Verum, ubi populus in Chanaanitide sedes fixit, oportuit illud iudicum et scribarum institutum mutationem aliquam subire et militarem exuere indolem : non iam erant iudices iidem etiam chiliarchae etc. Facile autem, dum eiusmodi mutationem subit institutum aliquod, relaxatur illud aut perturbatur. Effecitne eam mutationem ipse Iosue, an tribubus et urbibus singulis efficiendam permisit? Potuit sane fieri et fortasse factum est, ut demortuo Iosue pluribus locis nulla certa lege viveretur, non esset ad quem infirmiores pro tuendis suis iuribus recurrerent, unusquisque quod sibi rectum videretur faceret; erant certe inter iudices

illos minores plures, qui perticas, cippos, imo idololatriam tolerarent : neque enim superstitiones hae invalescere potuere tantum, quantum invaluisse liber Iudicum testatur, nisi iudices illi per urbes constituti segnes essent in illis reprimendis. Plurima igitur aevo iudicum erat ratio, cur haec de iudicibus lex aut primum ederetur aut, si quoad substantiam Moysis supponatur esse auctoris, instanter inculcaretur. Adverte porro praecipi, non solum ut *iudices*, sed ut *iudices et scribae* constituantur : crediderim, uti ad voti consecrationis nazaraeorum validitatem requirebatur (CN p. 54), ut illud esset labiis coram testibus pronuntiatum, ita ad sententiae iudicis validitatem esse requisitum, ut scripto ea a scriba consignaretur, neque antea fuisse appellationi 17,8 sqq. locum. Modus instituendorum iudicum h. l. non describitur, sed notus supponitur : credendus est ille fuisse simplicissimus, communi consensu capita quaedam familiarum, viri aetate et prudentia conspicui instituebantur.

In re gravissima (cf. etiam 16,3-5) plura traduntur praecepta formae *negativae*. 16,19 tria habet לא, singula habent 16,21 sq.; 17,1. Idem iustitiae praeceptum v. 18.20 enuntiatur forma positiva, v. 19 forma negativa.

v. 18 « *Iudices et magistros* » — *Hebr. scribas* — « *constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut* » — seu verius *et* — « *iudicent populum iusto iudicio* ». Id porro per partes explicat v. 19, cuius etiam primum verbum contra *LXX Vulg*. scribendum est numero singulari : « *nec* [*in alteram partem*] *declinent* », — *Hebr.* : *non deflectes iudicium* ab ea parte, ad quam e causae natura propendet : cf. Ex. 23,6; Deut. 24,17; 27,19; 1 Reg. 8,3; Is. 10,2; Am. 6,13(12) — « *non accipies personam* », — Ex. 23,3; Lev. 19,15; cf. ad Deut. 1,17 — « *nec* » *sumes* « *munera : quia munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba iustorum* ». Verbotenus fere uti Ex. 23,8. Emphatice tandem ultimum v. 18 incisum inculcat v. 20 : « *Iuste, quod iustum est, persequeris* ». *Hebr.* : *iustitiam, iustitiam sectaberis*, « iustitiam in omnibus » (*Bonfr.*) : « *ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi* ». Ergo iniquo iudici minatur Iahve vitam brevem, posteritatis defectum, bonorum ruinam. Vel dicas verba v. 19 sq. itemque illas minas dirigi ad totum populum, qui normam v. 19 sq. propositam utique *per* iudices suos observare debet et, si iudices iniquos toleret, ipse poenam feret.

16,18-20 agebat de iudicibus per urbes constituendis; 17,8-13, ad tractatum de iudicibus rediens, agit de appellatione a iudice ad sacerdotum collegium. Interce-

dunt leges tres 16,21 sq. de non plantandis perticis neque erigendis cippis, 17,1 de non immolandis victimis maculatis, 17,2-7 de lapidandis alienorum deorum cultoribus hebraeis. Fieri potuit, ut forte et sine certo ordine hae leges omnes in unum sint congestae. Videtur tamen sequens nexus posse defendi. Orator, postquam iudices per urbes instituendos commendavit, illico gravissimas quasdam demonstrat materias, quae illorum subsint *iurisdictioni*, et ab illis componi possint et debeant. Non exigit, ut ipsi cives ad adeundum sanctuarium compellant, et similia, quae certe non erant iurisdictionis iudicum urbanorum. Postulat, ut pessimis quibusdam abusibus domi medeantur : ne patiantur perticas plantari, cippos erigi, victimas maculatas immolari, diis alienis in illis urbium altaribus cultum reddi.

Tria igitur 16,21-17,7 in medium profert scriptor, in quibus iudices urbanos iubet esse severos. Respiciunt ea autem res sacras. v. 21 « *Non plantabis lucum et omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui* ». Sed *Hebr.* : *perticam* (cf. p. 250) *cuiuslibet arboris* : neque licebat perticam plantare ex aliis arboribus factam, quam iis, quas Chananaei plantare consueverant, sed perticae penitus prohibebantur. Dividunt quidem *LXX* : πᾶν ξύλον... οὐ ποιήσεις σεαυτῷ; quod verbum *Vulg.* (*nec facies tibi*) trahit ad sequentem versum. Sed neutrum patitur textus. Verba אשר תעשה לך (*Hebr. Sam. Chald. Syr.*) unicam admittunt versionem : *iuxta altare Iahve Dei tui, quod facturus es tibi*. Non agitur de altari sanctuarii, quod dudum *factum* erat. Verba respiciunt praxin 12,8, singulos sibi licitum existimasse, ubi libuisset altare erigere. Hanc praxin auctor hic, uti cap. 12, nequaquam condemnat. Pedetentim procedit in reformandis populi moribus. Sicut non condemnat decimarum epula, sed solum urget ut omnia haec religionis officia ad unicum sanctuarium transferantur, ibi, quando tempus tulerit, reformanda : ita h. l. non reprobat altaria a privatis erecta, sed prohibet ut prope illa perticae et cippi instituantur. v. 22 « *Nec facies tibi neque constitues statuam* », cippum (Ex. 23,24; Deut. 7,5; 12,3), « *quae odit Dominus Deus tuus* ».

Cap. XVII v. 1 « *Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem* », — sed reliqui anteponunt bovem ovi; et nota שה etiam designare capram; habentur ergo omnia animalia sacrificalia — « *in quo est macula* [*aut*] *quippiam vitii* : *quia abominatio est Domino Deo tuo* ». Ad תועבה cf. 14,3. Sicut 15,21 synonyma sunt כל מום רע et מום, ita h. l. כל דבר רע et מום. Cum hae leges obiter quandoque tantum attingant priores leges, haec lex, quod brevior sit altera Lev. 22,17-25, non inde demonstratur esse antiquior. Quin potius haec lex, notum supponens quid nomine maculae veniat, ut victimae nonnisi immaculatae offerantur exigit. Iudicum urbanorum non erat curare, ne victimae maculam habentes ad sanctuarium maximum producerentur : id erat sacerdotum ib. litantium. Sed cum lex 16,21 sq. expli-

cite referatur ad altaria privata Iahve, et lex 17,2-7 ad cultum idololatrum, qui item fiebat in altaribus privatis, etiam lex 17,1 censenda est referri ad altaria privata, et quidem ad altaria privata Iahve, cuius nomine lex inscribitur. Ut autem in altaribus privatis Iahve offerrentur victimae integrae, id exigebat sana ratio : Iahve etenim lege Lev. 22,17-25 manifestaverat, quae victimae unae sibi essent acceptae. Ei rei invigilare poterant iudices urbani, et ipsi soli. Licet igitur fingi possint Chananaei quandoque victimas non integras obtulisse diis suis, tamen immerito suggerit *Dillm.*, legem nostram latam esse ad Hebraeos a pessimo hac in re Chananaeorum exemplo retrahendos. Etiam sine tali malo exemplo potuit haec lex esse perquam opportuna.

Aequum erat cultum idololatriae eadem saltem poena puniri (*Dr.*), atque 13,9 seductionem ad idololatriam. v. 2 « *Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum* » urbium « *tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius* », — quodnam genus *mali* h. l. intelligatur, explicat v. 3 — v. 3 « *ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam et omnem militiam coeli* », — *Hebr. aut lunam aut etc.* — « *quae non praecepi* », i. e. prohibui, — eundem litoten habes Ier. 7,31; 19,5; 32,35 (cf. 7,22). Loquitur hic orator in persona Dei, quo perspiciat auditor agi de lege vere divina — v. 4 « *et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel* »; v. 5 « *educes virum* » *istum* « *et* », seu verius *aut*, « *mulierem* » *istam*, « *qui* » *hanc* « *rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuae* », *virum aut mulierem* (sed cf. LXX Syr.), nulla sexus admissa differentia, « *et lapidibus obruentur* ». Cf. 22,24. v. 6 « *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium* ». Teste *Ios.* Ant. IV. 8.15 a testimonio excludebantur mulieres et servi; testes autem requirit tales, « quorum testimonium verax esse efficiat eorum vita anteacta ». Monet porro *Bonfr.*, potuisse eosdem et accusatores esse et testes : cf. Dan. 13,36 sqq. Si duo essent testes, poterat, si tres, debebat iudex condemnare. Accurate describuntur conditiones condemnandi unius alicuius hominis, qui casus futurus erat frequentior, quam condemnandae 13,14 integrae urbis, ubi non sufficiebant tres testes, sed debuit esse factum notorium. Cf. Deut. 19,15; Matth. 18, 16. v. 7 « *Manus testium prima interficiet eum* » (cf. 13,9), quod non ita facile facturus erat testis falsus, « *et manus reliqui populi extrema mittetur; ut auferas malum de medio tui* ».

Subiectum sequentium sunt Hebraei universim : iudicum urbanorum in re gravi dissensio evidens erat, cum causa ageretur publice in foribus; tum res transferebatur ad altius tribunal, communi consensu iudicum, rei et populi. v. 8 « *Si difficile* [*et ambiguum*] *apud te* », i. e. si difficilius quam ut tu dirimere possis, « *iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum intra portas tuas videris verba variari* » : — Hanc eandem legem inculcat Iosaphat 2 Par. 19, ubi v. 10 haec habet : Omnis contentio, quae deferetur ad vos, ut pronuntietis iudicium Iahve, a fratribus vestris qui habitant in urbibus, inter sanguinem et sanguinem (et universim) inter thoram et inter mandatum vel statutum vel iudicium etc. Poterant etiam leges Ex.-Num. locum dare dubiis iuris; oriebatur autem tale dubium tanto facilius, si quis aliquam collectanei legem appellaret, quae leges certe non in omnibus evidenter consonabant legibus Ex.-Num., in quibusdam discrepabant. Et licet collectaneum editum esset potissimum, ut necessitatibus aevi iudicum consuleret, neque omnia eius statuta essent perpetuo valitura (altaria privata, bos paschalis etc.), tamen collectaneum etiam regum aevo habitum esse sacrum vel inde patet, quod ut scriptum sacrum fuerit praeservatum et a Iosia confidenter receptum.

Agitur v. 8 de quaestionibus iuris, non facti (*Grotius* in : Critici Sacri). Quando unius legis sensus obscurior esse, aut variae leges inter se pugnare viderentur, res erat deferenda ad tribunal supremum. Porro noster textus eas materias dubias effert, quae tum temporis frequentius recurrerent, essentque ad tribunal supremum deferendae : *inter sanguinem et sanguinem*, quando sc. dubitabatur, utrum caedis cuiusdam circumstantiae cum iis potius concordarent, quae 19,4 sq., an cum iis, quae 19,11 sq. describerentur, factane esset caedes fortuito an de industria (cf. *Calm.*); *inter causam et causam,* quae expressio videtur potissimum iura proprietatis respicere; *inter plagam et plagam,* quae fortasse non solas percussiones sed omne genus iniuriarum attingunt. *Plaga* autem h. l. certe non est *lepra,* de qua ad solos sacerdotes, non vero ad iudices spectabat iudicium.

v. 9 « *Veniesque ad sacerdotes levitici generis* », — כהנים הלוים, *sacerdotes Levitas,* e Levi oriundos. De qua expressione dicemus ad cap. 18. Perperam *Syr.* : *ad sacerdotem aut levitam aut iudicem.* Cf. 19,17, textum huius textus similem — « *et ad iudicem, qui fuerit in illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem* ». Quod iudicium 2 Par. 19,10 vocatur « iudicium Iahve », quia erat irrevocabile et Iahve illud ratum habere censebatur. *Iudex* h. l. non

est pontifex neque rex, qui sane suorum officiorum titulis exprimerentur, neque supremus iudex tribus Levi, qui erat ipse pontifex; sed *iudex, qui fuerit in diebus illis*, ὃς ἂν γένηται, designat iudicem aliquem, qui non omnibus continuo temporibus necessario habeatur, quem Deus suis temporibus suscitet, iudicem quales in libro Iud. describuntur, praefueruntque omnibus aut certe aliquibus tribubus. *Sc. nostra haec lex aevo iudicum aut nata aut certe in praesentem formam redacta est.* Merito *Cai.* : « In hoc manifestatur intentio legis, ut pontifex et iudex simul regant populum ». Imo manifestant desiderium nostri oratoris, et sine dubio universi item ordinis sacerdotum, ut iudex prope sanctuarium adesset, saltem tempore trium quotannis solemnitatum. Legem hanc postmodum ita applicavit Iosaphat, ut tribunal supremum Hierosolymis constaret levitis, sacerdotibus et capitibus patroeciarum Israelis, cui in causis sacris praesideret pontifex, in causis civilibus princeps domus Iuda. Erant igitur virtualiter duo tribunalia, ecclesiasticum unum, civile alterum. Fortasse in his Iosaphat adhaerebat mori antiquitus tradito. Iudicum aevo causas audiebant et dirimebant iudices etiam aliis, quam apud sanctuarium locis : 1 Reg. 7,15 sqq.; idque fere consequebatur « iudicis » nomen et officium. Fortasse « iudicium Iahve », sententia plane irrevocabilis, pronuntiari non poterat nisi apud sanctuarium, praesertim cum quandoque videretur consulendum oraculum Urim et Thummim (cf. Num. 27,21 sec. Hebr.). Diximus nostram legem hac forma concinnatam videri aevo iudicum. Non tempore Heli, quando idem erat et iudex et pontifex, neque v. 9 efferendus esset iudex *tacito* pontifice. Neque tempore Samuelis, quando in omnium animis esset *regis* desiderium. Ergo ante Heli.

v. 10 « *Et facies quodcunque dixerint, qui* [*praesunt*] *loco, quem elegerit Dominus, et* » *observabis et facies omnia, quae* « *docuerint te* », *Hebr.* : *quod significaverint tibi de loco, quem etc.* : specialis virtus inest iis, quae ex illo loco proficiscuntur. *Hebr.* יורוך, unde תורה, quod v. 11 scribitur. הורה *dirigere* (Ex. 4,12. 15), hinc תורה *directio;* sunt termini technici pro directione, quam pro sua auctoritate sacerdotes impertiuntur laicis quoad leges ceremoniales, v. g. 24,8; 33,10; Lev. 10,11; 11,46; 13,59; 14,54; 15,32; Num. 5,29; 6, 21 etc.; praeterea significant legem generatim. Cf. *Dr.* et v. s. p. 66 sq. Prima v. 11 verba *Vulg.* trahit ad praecedentia : « *iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum* ». Sed *Hebr.* : *secundum directionem, qua dirigent te, et secundum iudicium, quod dicent tibi, facies.* « *Nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram* ». v. 12 « *Qui autem superbierit* », insolenter egerit, « *nolens obedire sacerdotis* [*imperio*],

qui eo tempore », seu verius *ibi,* « *ministrat Domino Deo tuo, et* [*decreto*] *iudicis, morietur homo ille et auferes malum de Israel* ». Mortis genus non describitur. *Hebr. LXX Chald. Syr. aut iudici,* contra *Sam. Vulg. et iudici.* Si prior lectio esset certa, liceret fortasse inferre, sententiam prope sanctuarium exquirendam fuisse non a sacerdote et iudice, sed ab alterutro. v. 13 « *Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia* », insolenter agat.

9. *Lex de rege Deut.* 17,14-20.

Arg. — Quando Israelitae regnum condent, regem instituant Israelitam illum, quem Iahve designaverit, cui in regno succedant filii. Qui abstinebit a multiplicandis equis, uxoribus, divitiis et a populo in Aegyptum reducendo. Initio regni solemniter Iahvae obsequium profitebitur, constanter eius legem meditabitur eique fideliter adhaerebit.

Recole Iosuen (Ios. 11,6. 9) et Davidem (2 Reg. 8,4) subnervasse *equos* inimicorum. Tamen David l. c. sibi centum currus reservavit. Currus et equitatum apud Hebraeos invexisse dicendus est Salomo, qui haec, uti etiam uxores et divitias, plurimum auxit. Equos ipse comparabat ex Aegypto, sed item ex universis regnis Hethaeorum et Syrorum (3 Reg. 10,28 sq.; 2 Par. 1,16). Certe inde a Moyse et Iosue Hebraei dimicaverant pedites; saepe tamen (Ios. 17,16; Iud. 1,19; 4,3; 1 Reg. 13,5 sq.) experti erant, quam iniquo loco dimicarent cum hostibus currus et equites habentibus. Erant ergo necessario apud Hebraeos aevo iudicum duae hac in re opiniones. Alii censebant standum esse paternis moribus, equos et currus diminuturos esse genuinam in Iahven fiduciam (Ex. 15,1; Deut. 11,4; Ps. 19,8; 146, 10); alii urgebant humana media ad salutem non esse negligenda.

Duplex igitur se offert opinio, quo tempore haec nostra lex nata sit. Sicut 12,10 etc. auctor Moyse posterior loquitur nomine Moysis, ita h. l. se fingat institutione regni priorem, cum tamen sit aequalis Salomonis vel eo posterior reprehendatque, quem ob oculos habeat, fastum regum Iuda. Vel vixerit auctor revera ante regni institutionem. Hanc alteram opinionem defendimus. Verba v. 14 suminus obvio sensu tamquam trans Iordanem, ergo ab ipso *Moyse* prolata. Neque nos movet analogia 12,8 sqq., ubi auctor Moyse recentior loquitur in persona Moysis, cum Deut. 12-26 non sit una narratio uno calamo continuo descripta, sed sit collectaneum legum, cumque nulla prorsus sit ratio legis nostrae eidem tribuendae no-

vellario, qui 12,8 sqq. concinnaverit. Erat profecto regnum res tam gravis, fueratque ea a Iahve Ex. 19,6 tam solemniter praemonstrata, ut oportuerit Moysen ipsum de ea aliquam in antecessum ferre legem. Ipse unus scribere potuit verba v. 16 de populo in Aegyptum non reducendo. Licet vero hanc legem quoad substantiam Moysi tribuimus, concedimus quoad expressiones conformatam esse aevo iudicum: cf. v. 18 « sacerdotes Levitas ».

His omnino concordant facta Iosue, iudicum, Davidis supra laudata. Licet Moyses non equorum usum proscripserit sed solum, ne in infinitum multiplicarentur, vetuerit, Hebraei sub Iosue et iudicibus ab eorum usu pie abstinuere, David se curribus non plane interdici perspexit, Salomo uxorum et divitiarum multiplicator multiplicavit etiam equos. Explicatur instans, quod aevo iudicum homines obtinebat, regni instituendi desiderium. Cf. formulam Iud. 18,1. 31 : « In diebus illis non erat rex in Israel », eandemque distinctiorem Iud. 17,6; 21,24 : « In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod rectum erat in oculis suis, hoc faciebat ». Cf CI p. 5; item Deut. 12,8. Agebantur hi non mere speculativa aliqua opinione, regnum esse gubernii formam perfectiorem, sed regnum a Iahve promissum, a Moyse praenuntiatum expetebant malorum suorum remedium. Experiebantur quotidie, quam misere haberet gens uno communi rectore destituta, qui auctoritatem filio transmitteret.

Non *praecipitur* regis institutio, sed certe futura supponitur, perfecta quippe Semitarum iudicio res publica regno constabat. Nequaquam illa divinae voluntati (*Bonfr.*) obversabatur. Ex. 19,6 (cf. CEL p. 190) promiserat Deus Israeli « regnum sacerdotum » seu « regale sacerdotium »; dein in poenam superstitionis Ex. 32 a novo quidem sacerdotio instituendo non destitit, regnum vero instituendum postposuit sine die. Cur vero Deus aegre tulerit modum, quo 1 Reg. 8 expostulabatur regnum, dicebamus CR p. 98 sqq. v. 14 « *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa et dixeris : Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes* », v. 15 « *eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum* ». *Hebr.* emphatice : *fratrem tuum constitues super te regem.* Idemque negative enuntiatur : « *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus* », seu *quia non est frater tuus* (*LXX*). Primum regem (Saul, David) designaturus erat Deus, filii v. 20 iure haereditatis successuri erant (*Cai.*).

Porro v. 16 praefixo רַק, *tantummodo* aliquas conditiones introducit; et primum quidem voce לֹא negativas quatuor, dein v. 18 sqq.

positivam unam. Cum conditionibus illis negativis cf. *praxin* (משפט, eadem vox atque Deut. 18,3), quam 1 Reg. 8,11 sqq. describit Samuel futuram esse regum eorum, qui hanc legem neglecturi sint. v. 16 « [*Cumque fuerit constitutus*], *non multiplicabit sibi equos* ». Non prohibentur currus et equitatus ad regni defensionem necessarii (*Bonfr.*), sicut neque prohibentur v. 17 uxores, sed excessus et fastus prohibentur. Longius progressus *Ps. Ion.* regi duos tantum equos concedit. Non prohibentur equi ideo solum (*Cai*)., ne commercium cum Aegypto haberetur, cum equi ex aliis item regionibus compararentur (v. s.). Verius ait *Calm.*, hac lege retrahi regem a longinquis expeditionibus, quae legum studio obessent. « *Nec reducet populum in Aegyptum* ». Non agitur de prohibendis mercatoribus, ne Aegyptum petant ad coemendos equos (*Cai.*) : mercatores non sunt *populus*, neque alium sensum verba admittunt praeter hunc, non esse reducendum in Aegyptum populum, quem Moyses inde eduxerit. Porro haec prohibitio scribi non potuit post institutum regnum. Regum nullus cogitavit neque cogitare potuit de palatiis, fundis, auctoritate abdicanda; neque populus tale quid desiderabat, pugnabant pro aris et focis. Neque iudicum aevo desiderium Aegypti repetendae animos occupabat. Cuius rei nullum penitus in sacris historiis habetur vestigium. Aevo iudicum familiae singulae suam nactae erant *possessionem*, neque tam facile consuevere nationes integrae suam abdicare possessionem, etiamsi in illa multis premantur miseriis, sed retenta possessione media requirunt eius efficacius protegendae. Optime vero intelligitur ea prohibitio ex ore Moysis esse profecta. Quo duce iterato populus professus erat repetendae Aegypti voluntatem : praeter Exodi textus cf. Num. 11,5; 14,3 sq. Erat igitur prorsus e re, ut Moyses supremum solemniter contestaretur populum regemque futurum, ne repetendae Aegypti consilium inirent.

Inculcatur porro prohibitio non repetendae Aegypti appellato divino effato : « *equitatus numero sublevatus,* [*praesertim*] *cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini* ». Ne redirent in Aegyptum, non dixit quidem totidem verbis Deus, in iis certe divinis effatis, quae ad nos pervenerunt : at nonne id dicebat, quoties illis Chanaanitiden attribuebat haereditatem perpetuam etc.? v. 17 « *Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animum eius, neque argenti et auri immensa pondera* ». *Hebr.* : *ne declinet cor eius,* « ne efficiatur mollior et effeminatior, ob idque ad res gerendas minus aptus » (*Bonfr.*); dein ubi uxores plures, ibi sane etiam alienigenae et periculum superstitionis.

Igitur v. 16 sq. proferuntur quatuor concinnae prohibitiones : non

multiplicet sibi equos; non reducat populum in Aegyptum; non multiplicet sibi uxores; non accumulet divitias. Secundae prohibitioni adscribitur divinum effatum, primum quod ea sit maioris momenti ceteris, dein quod de ceteris non habeatur divinum effatum. Tertiae prohibitioni adscribitur brevis ratio *ne declinet cor eius* : agitur quippe de iure polygamiae limitando, de coercendo affectu erga mulieres, qui vehementior esse solet quam affectus ad equos vel divitias; quare orator insistit periculo rei.

Sed difficultatem faciunt verba v. 16 secundae prohibitioni adscripta למען הרבות סוס, *ad multiplicandos equos*. Quomodo ad eum finem reduxerit rex aliquis populum in Aegyptum? Neque alium sensum praecedens incisum induere potest nisi *Nec reducat populum in Aegyptum*. Aequo nimium inculcatur una haec prohibitio de non multiplicandis equis. Minus congruo illud *ad multiplicandos equos* legitur inter prohibitionem repetendae Aegypti huiusque prohibitionis e divinis effatis confirmationem. Crediderim illa verba, quae nunc in omnibus leguntur textibus, esse perantiquam aliquam glossam. Scribae cuidam absonum videbatur, ut rex quisquam crederetur maturaturus fuisse populi reditum in Aegyptum : adscripsit verba, quibus ille reditus ad mercatorum itinera, non sine violentia, restringeretur.

v. 18 « *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine,* [*accipiens exemplar*] *a sacerdotibus leviticae tribus* ». Describet non necessario « manu propria » (*Philo* : De creatione principis), sed per se vel per alios (*Ps. Ion.* seniores). Ambigo, num Saul artem scribendi ipse calluerit. Similiter v. 19 verbo *leget* omnino satisfiebat *prae*lectione (cf. 2 Par. 34,18 sq.). משנה cum *Syro* omnino vertendum est *apographum*; *Vulg*. *de*scribet. Quem eundem sensum exprimere videtur *Chald.* פתשגן, « id quod secundum dignitatis locum obtinet ». Certe non est « sectio » (*Ps. Ion.*) neque « legum compendium » (*Philo*); a quo et qua auctoritate concinnandum erat eiusmodi compendium? Quaeritur porro, quidnam intelligatur nomine *legis huius*. Deuteronomium certe cogitabant *LXX* : Δευτερονόμιον τοῦτο. *Vulg*. videtur idem sentire, licet verba *Deuteronomium legis huius* non sint plane perspicua. Interpretes aliqui, qui « apographum thorae », quod Iosue Ios. 8,32 lapidibus inscripsit, autumant esse totum Deut., ex eadem h. l. adhibita expressione inferunt, regi item totum Deut. describendum fuisse. Audacior conclusio. Etenim vox *thora* nunquam exstitit nomen proprium *totius* Deut., erit ergo e mente illorum interpretum h. l. et Ios. 8,32 accipienda indeterminata significatione *lex*. Quod autem *aliquam* legem narretur descripsisse Iosue, et *aliquam* legem iubeatur describere rex, reapse inferre nefas est, utrobi-

que *eandem* designari legem. Neque ideo h. l. intelligere oportet Deut., quod Rabbini posteriores Deut. appellaverint משנה התורה : haec enim appellatio recentior est, ad summum exprimens Rabbinorum opinionem, h. l. et Ios. 8,32 illis vocibus designari Deut. Utique *Ps. Ion.* non intellexit h. l. totum demonstrari Deut., scribens « sectionem legis huius ». Neque, si aliis Deut. locis (1,5; 4,8; 27,3. 8. 26. [= Ios. 8,32]; 28,58. 61; 29,29 [28]) expressionibus *lex haec* et (29,20 [21]; 30,10; 31,26; Ios. 1,8) *hic liber legis,* quod non concedimus, affirmetur intelligi Deut., illico sequitur h. l. eundem esse expressionis sensum. Etenim collectaneum recentius est reliquo Deut., legesque e diversis fontibus profectas complectitur : eadem igitur expressio 17,18 sq. non necessario idem scriptum designat atque 1,5 etc. Res ex ipsa lege 17,14-20 definiatur oportet.

Ubi expressionem *thora haec* vel *hic liber thorae* gratuito asseruerit aliquis designare solum collectaneum, quod non *thora* appellatur, sed 1 Reg. 10,25 *iudicium* : aut solam legem 17,14-20, quae item *thora* neque inscribitur neque subscribitur; aut totum Deut., cum nequeat demonstrari, soli aliquando Deut. a praecedentibus quatuor libris praeciso nomen fuisse thora. Neque thorae nomine 17,18 sq. intelligi potest una e thoris minoribus Lev. Num., v. g. thora munditici : non erant hae seorsim sumptae tanti momenti, ut a futuro rege ceteris praetermissis unae constanter essent perpendendae. Quibus exclusis nihil restat nisi thora illa κατ' ἐξοχήν eo nomine appellata, quae 4,44 thora inscribitur, 1,6-4,40 speciali paraenesi inculcatur, scriptum omnium sacrorum librorum maximè sacrum, et restituti foederis augustissimum instrumentum, duabus constans partibus potissimis, pentalogo et maledictionibus. Quam ipse Moyses a se scriptam ad latus arcae reposuit, populoque annis sabbaticis praelegendam mandavit, quam Iosuen iussit duobus aliquando lapidibus insculpere. Quae impiis regibus ideo etiam facta est perquam odiosa, quod ipso regni initio illis obtruderetur. An vero regi praeter pentalogum et maledictiones etiam describenda fuerit paraenesis 7,12-11, 32, non ausim definire. Nego vero describendum fuisse collectaneum, eo quod legem 17,14-20 quoad substantiam tribuam Moysi auctori, et antiquiorem esse defendam collectaneo. Describendum erat regi documentum non valde prolixum, perpetuo valiturum, quod potissimum cultum Iahve inculcaret : cuiusmodi documentum erat pentalogus cum maledictionibus.

Thoram h. l. non intelligi prolixum aliquod documentum, quale est pentateuchus, confirmatur etiam perpensa indole praecepti 17,18 sq. Describebat igitur rex, vel rege praesente eius vice alius aliquis,

על ספר, in libro, illud apographum מלפני הכהנים, non *accipiens exemplar* a sacerdotibus, neque simpliciter *coram* illis (*LXX*, quod esset לפני) sed, quem vocis puto esse sensum, illis *dictantibus*. Agitur de actu maxime solemni, de publica professione fidei per acceptationem thorae mosaicae, ipso regni initio a singulis regibus facienda. Quod potissimum quaerebatur, non erat scriptorum Moysis apographum, sed illa fidei professio. Putasne, illam solemnitatem tamdiu fuisse protrahendam, quoad rex totum pentateuchum vel totum Deut. descripsisset? Haud mirum, reges plures a sacerdotibus mox esse alienatos animis, qui tam grave a se pensum in ipsis regni laetis primordiis exegissent. Ergo verba accipiantur oportet sensu obvio, ut significent thoram Moysis, restituti foederis instrumentum.

v. 19 « *Et habebit secum legetque illud omnibus diebus vitae suae* », sed non necessario unoquoque die (cf. Ios. 1,8), « *ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et ceremonias eius, [quae in] lege [praecepta sunt]* ». *Hebr.* : *verba thorae huius et statuta ista.* Etiam in inscriptione 4,44 sq. idem documentum vocatur et *thora* et *statuta* : vocatur idem statuta 5,1 et 6,1. Ergo utroque nomine h. l. unum idemque documentum designatur.

v. 20 « *Nec elevetur cor eius [in superbiam] super fratres suos* », eos despiciat, quasi nativo iure illis praestet, cum id a sola Iahve gratuita electione habeat; hinc, « ne tyrannico dominatu subditos suos vexet et opprimat » (*Bonfr.*) ; — hoc incisum retulerim non ad solum v. 18 sq., sed potissimum ad v. 16 sq. Rex, qui multiplicat equos, uxores, divitias atque ita fastum sectatur, suapte natura extollitur *super fratres suos*, subditos despicit — « *neque declinet in partem dexteram vel sinistram* » (cf. v. 11). Et adscribitur pii regis praemium : « *ut longo tempore regnet ipse et filii eius super Israel* ». Sicut civibus promittitur vita longa et posteritas, ita regi longum regnum sui et posterorum.

10. *Lex de sacerdotibus Deut.* 18,1-8.

Arg. — Sacerdotibus Levitis apud sanctuarium degentibus pendantur determinatae victimarum portiones, quae tamen non adamussim eaedem h. l. recensentur atque prioribus libris, et primitiae frumenti, vini, olei et lanae. Sacerdotes Levitae aliunde ad sanctuarium adventantes eadem accipiant; nequaquam vero de his participabunt falsorum deorum sacerdotes.

Lex generalis v. 1 sq., licet totidem verbis in prioribus libris non legatur, habet tamen plures expressiones et ideas mosaicas, Moysis

cogitata Num. 18 potissimum expressa ad brevissimam veluti formulam revocat. Quod hic affirmatur bis, Levitas non habere haereditatem in Israel, id Num. 18,20. 23 sq.; 26,62 dicebatur quinquies, et de sacerdotibus quidem aeque ac levitis; Iahve esse eorumdem haereditatem habes Num. 18,20. Recte igitur noster v. 1 haec praedicat de *tota tribu Levi*. Sed a prioribus legibus dissonat eo, quod et universis tribus Levi hominibus sacerdotalem tribuat dignitatem, eosque omnes affirmet manducare portiones victimarum et primitias : haec quippe Moyses solis Aaronitis reservaverat. v. 2 vix non verbotenus consonat cum iis, quae Deut. 10,9 referuntur, Moysis verbis; ne incisum quidem *sicut locutus est illis* ibi desideratur; unde nefas sit dubitare, quin noster scriptor Deut. 10,9 in mente habuerit. Habes igitur v. 1 sq., similiter atque 12,2-7; 15,1; 16,18-20, antiquiorem aliquam, non utique pure mosaicam, legem pro themate sequentibus statutis v. 3-8 praefixam. Haec statuta tota quanta sunt postmosaica, et describunt *praxin* (v. 3) aevi iudicum. Portiones victimarum non plane easdem Moyses sacerdotibus concesserat; praeter portiones et primitias alia plura; non confuderat ipse Aaronitas cum simplicibus levitis; de Levitis idololatriae aut magiae reis ipse durius scripsisset, quam scribitur v. 8.

v. 1 sq. quae sit Levitarum possessio generaliter explicatur, primum negative, dein etiam positive. *Cap. XVIII* v. 1 « *Non habebunt sacerdotes* [*et*] *Levitae* [*et*] *omnes, qui de eadem tribu sunt, partem et haereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini et oblationes eius comedent* ». Copulam (*Vulg. Syr.*) dele post *sacerdotes* itemque (*Vulg.*) post *Levitae*. Haec sacerdotum appellatio ante Deut. non habebatur : vocantur *sacerdotes Levitae*, i. e. e tribu Levi oriundi, ut distinguantur a sacerdotibus non Levitis, qui sacra faciebant apud altària privata : hi quippe certe non erant omnes Levitae (cf. Iud. 6,26 etc.). Sed adscripta appositione *tota tribus Levi* affirmantur Levitae omnes tum sacrificia Iahve comedisse, simplices tum levitae, qui Aarone non essent geniti, sacerdotum privilegia usurpasse. *Combustiones Iahve* Lev. 1,9; 2,3; 3,3; 7,5 appellantur holocausta, minchae, pacifica hostiaeque pro delicto : nomen h. l. censendum est non includere holocausta, sed eas victimas omnes, quarum aliqua pars cederet sacerdotibus. Cf. Num. 18,9. Quid vero נַחֲלָתוֹ, *haereditas eius* seu *possessio eius* (*Vulg. oblationes*)? Si vocem interpreteris secundum Num. 18,11-19, exprimet illa quae ibi recensentur, primitias, vota, primogenita, omnem omnino therumam, imo secundum Num. 18,21 ipsas decimas. Verum explicatio v. 4 solas primitias effert; collector decimas et alia concedebat toti populo sacris epulis absu-

menda. Ergo collector textum v. 1 credendus est esse interpretatus de solis primitiis; quid vero intellexerit ille, qui forte ante collectorem textum v. 1 sq. concinnaverit, qualis nunc legitur, non liquet. v. 2 « *Et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum : Dominus enim ipse est haereditas eorum, sicut locutus est illis* ».

v. 3 distinctius explicat, quid de *combustionibus* cedat sacerdotibus, v. 4 quid v. 1 nomine *haereditatis* veniat. v. 3 « *Hoc erit iudicium sacerdotum a populo* », non universo, sed — supprime « [*et*] » — « *ab his, qui offerunt victimas : sive bovem sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum* » *duasque maxillas* « *ac ventriculum* ». Nota, temporibus iudicum perturbatissimis plures ab accessu ad sanctuarium legitime fuisse praepeditos, de victimis uti de aliis valuisse principium 16,17 : « offeret unusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei », victimarum pro peccato nullam haberi mentionem, ut fere in desuetudinem abiisse videantur : et intelliges portiones, quae aevo iudicum sacerdotibus cesserint, fuisse multo angustiores, quam quas percepissent in florenti religionis mosaicae conditione.

Lev. 7,32 sqq. (CEL p. 295) praecipiebatur שוק, i. e. *crus posterius* : h. l. זרעה, *crus anterius*, longe minus habens carnis. Ib. praecipiebatur חזה, *pectusculum*, ea pectoris pars quae armo proxime adhaeret : hic קבה, ἅπαξ λεγόμενον, secundum etymon : id quod concavum vel convexum est, LXX ἔνυστρον seu verius ἤνυστρον (*Ios.* Ant. IV. 4.4), quartus stomachus in quo ruminantium digestio absolvitur, *echinus*, cibus utique minus lectus quam pectusculum. Sed his duobus adscribitur h. l. tertium לחיים (*Sam.* לחם!), *duae maxillae*, quae sunt lectior cibus in vitulis, sat tenuis in ovibus et capris. — Porro haec quod dissonent a Lev. 7,31 sqq., *Ios.* (l. c.) aliique censuere agi de iis, quae sacerdotibus aaronicis concedenda essent non de victimis pacificorum, sed de mactationibus domesticis. Verum hae mactationes 12,15 sq. permittebantur privatis, nulla adiecta conditione, v. 4 primitiae ostendunt agi v. 4 de sacrificiis ad sanctuarium oblatis, primitiae quippe ad sanctuarium deferebantur. Alia igitur exquirenda est via horum cum Lev. 7 componendorum.

Ubi perpendas, quaeso, v. 3 scribi non תורה, sed משפט. Iamvero eadem vox in contextu prorsus analogo (ומשפט הכהנים את העם) legitur 1 Reg. 2,13, quo loco monebamus CR p. 47 describi praxin, quae tempore Heli in sacrificiis observabatur, non legitimam ad normam legum mosaicarum exactam, sed eam quae de facto viguerit apud filios Heli et forte iam ante illos, et in quibusdam haud levis momenti rebus ab illis legibus plurimum discrepaverit. Ergo משפט h. l., uti 1 Reg. 2,13 verte *praxin*, ipsaque vox suggerit scriptorem Deut. 18 non ignorasse, sui aevi apud sanctuarium praxin non fuisse

legi scriptae plane conformem. Clare praeterea confirmat 1 Reg. 2,13 illud, quod Deut. 18,3 pluresque alii inde a Deut. 12 textus habent, in rebus sacris administrandis Hebraeos aevi iudicum in pluribus a Moysis statutis deviasse.

Noster orator novas leges non condit, sed cultum, qualis tum reapse apud sanctuarium vigebat, commendat. Ubi sacerdotum sors inde a Moysis tempore versa erat in peius : pro crure posteriore pendebatur crus anterius, pro pectusculo echinus, quibus tamen dubiae compensationis ergo addebantur maxillae (non caput — *Cai.*, neque lingua — *Calm.*). Igitur orator noster non in eo est, ut cultum reformet qui apud sanctuarium tum vigebat, sed ut homines ad adeundum sanctuarium compellat; pedetentim procedit, minore bono primum contentus, ne forte, si omnia simul reformare nitatur, nihil omnino efficiat. v. 4 « *Primitias frumenti vini et olei, et lanarum partem* », pro qua voce *Hebr.* rursum *primitias*, « *ex ovium* [*tonsione*] ». Ex. 22,29 (28) exigebantur primitiae universim. Num. 18,12 efferebantur frumentum, mustum et oleum recens (cf. 2 Par. 31,5), quae eadem pro *decimis* efferuntur Deut. 12,17; 14.23; sed nota ib. « primitias eorum » commode accipi pro primitiis universis, non illarum trium rerum tantum. Merito legem primitiarum ita interpretabantur sacerdotes, ut etiam primitiae lanae sibi penderentur, quibus vestirentur. E textu vero fere illud colligitur, eo tempore sacerdotum res versas esse in peius populi quidem negligentia et incuria, non vero mala voluntate. Plebs ab inimicis continuo oppressa et spoliata avarius quidem agebat quoad victimarum portiones sacerdotibus permittendas, tamen necessaria ad vestitum illis praebere non recusabat. v. 5 « *Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet* » *coram Domino Deo tuo* (*Sam.*; cf. *LXX*), « *et ministret nomini Domini* », — pro quo *Sam. LXX* : *et ministret, et benedicat in nomine eius* — « *ipse et filii eius in sempiternum* ». Ideo eius sustentationi Iahve attribuit ea, quae v. 3 sq. habet. De עמד et שרת cf. ad 10,8.

Therumam ad 12,6. 11.17 cum Vulg. iudicabamus designare potissimum primitias, quae ibi populo permittebantur apud sanctuarium comedendae. Hic eaedem iubentur pendi sacerdotibus. Porro tam novella 12,8-19 quam lex 18,1-8 describit conditionem rerum aevo iudicum : num ergo eius aevi duas veluti epochas distinguemus, unam antiquiorem, qua primitiae adhuc penderentur sacerdotibus (18,4), alteram recentiorem, qua eaedem populo cederent? Ubi illud tibi erit definiendum, quid tandem collector suo aevo censuerit esse observandum, qui duas diversarum epocharum discrepantes leges collectaneo inseruerit. Praeplacet alia et, ut nobis videtur, planior et ex

ipso texto nata solutio. v. 3 sq. agitur de iis, quae sacerdotibus pendenda essent *a populo*, quae vox illico affirmatur h. l. eos tantummodo designare, *qui immolaverint victimam pacificam*. Hoc solum victimarum genus intelligi, patet cum e voce זבח (cf. 12,6 etc.), tum inde quod agatur de victimis, quarum certae partes cederent sacerdotibus, ergo non de holocaustis. Igitur v. 4 explicat et limitat statutum 12,11 sq. 17 sq. traditum. Ibi permittebantur laici apud sanctuarium comedere primitias suas; hic illi laici, qui essent victimas pacificas oblaturi et ex illis sacrum convivium paraturi suis, iubentur simul cum statutis partibus victimae sacerdotibus tradere suas primitias. Privatis autem hominibus vix alia sacrificia pacifica praecepta erant praeter sacrificia primogenitorum animalium. Qui ex voto vel voluntaria donatione proferebant victimam pacificam, ii ut plurimum erant opulentiores. Etiamsi opulentiores non essent, non erant tandem grave onus illae primitiae, v. g. unus manipulus tritici. Qui manipulus, quando res domesticae essent tenuiores, potuit et ipse afferri valde tenuis, secundum axioma 16,17, unicuique offerendum esse tantum, quantum commode praestare posset.

A Levitis (sive Aaronitis sive aliis) ad sanctuarium residentibus transit oratio ad eos, qui per urbes sparsi habitantes aliquando ad sanctuarium accedebant. הלוי v. 6 eundem sensum habeat oportet atque הלוים v. 7, cum Levitae v. 6 per omnia aequiparentur Levitis v. 7; hi autem iidem sunt atque Levitae v. 1-5 : ergo uti v. 1, ita etiam v. 6 sq. Levitae appellantur posteri Levi quilibet, nulla facta distinctione inter Aaronitas et simplices levitas. Sed intelliguntur etiam v. 6 iidem Levitae, qui 12,12 etc. narrabantur per *urbes* sparsi habitare, quique 14,29; 16,11. 14; 26,12 sq. copulantur *advenis*. v. 6 « *Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat* », — *Hebr.* : *in qua advena est*. Adscribitur *ex omni Israel* : periculum erat, ne apud sanctuarium liberalius exciperentur Levitae illi, qui e finibus tribus, penes quam tum versaretur sanctuarium, vel finitimarum tribuum adventarent — « *et* [*voluerit*] *venire*, *desiderans locum quem elegerit Dominus* », — eadem expressio *in omni desiderio animae suae* legitur 12,15, ubi ea commode verti potest : ex seria voluntate animae tuae mactabis. Sc. concedebatur ibi venia mactandorum domi animalium ex sola ratione cibi vera, non fucata. Similiter h. l. ad sacerdotum portiones admitti iubetur Levita ille, qui ad sanctuarium accedit « non ex cupiditate, sed ex integra devotione » (*Cai.*), non ut epulis intersit et amicos conveniat, sed ut plenum Iahve cultum exhibeat. Quae sincera intentio eo manifestabitur, quod *stet, ministret* : Levita quis-

que, qui apud sanctuarium sacerdotalia officia implet, sacerdotum portionibus participet — v. 7 « *ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Levitae, qui stabunt eo tempore coram Domino* ». v. 8 « *Partem ciborum eandem accipiet* [*quam et ceteri*], *excepto eo, quod* [*in urbe sua*] *ex paterna ei successione debetur* ». Verte : *exceptis sacerdotibus iniquitatis et magis.*

Pro יאכלו (*Hebr. Chald. Syr.*) legendum cum *Sam. LXX Vulg.* יאכל : cf. v. 6 sq. — לבד ממכריו על האבות (*Sam.* ממכרו), *exceptis venditis eius super patres.* Eundem textum legebant *LXX* : Πλὴν τῆς πράσεως τῆς κατὰ πατριάν; *Aq.* : χωρὶς τῶν πράσεων αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς πατέρας; *Symm.* : τῆς κτήσεως ἕκαστος τῆς κατὰ πατριάς; *Syr.* : *excepta venditione patrum.* Textus ipse, versiones, interpretum tentamina indubium sunt argumentum corrupti textus. Cui corrigendo viam sternit *Chald.* pro מכריו scribens מטרתא, *custodiam,* vocem exprimentem aliquod officium sacrum; cuiusmodi vox hebraea, duabus tantummodo consonantibus transpositis, est כמריו a כמר, quod 4 Reg. 23,5; Os. 10,15; Soph. 1,4 *sacerdotem idolorum* sonat. Ergo pro לבד ממכריו על האבות corrige לבד מכמרי עולה ואובות, *exceptis sacerdotibus iniquitatis* (cf. בני עולה 2 Reg. 3,34) *et magis.* Contextus est omnino perspicuus : v. 6-8 agitur de aliunde ad sanctuarium advectis, quorum quidam v. 6-8[a] admittendi, alii v. 8[b] excludendi. Illi porro sacerdotes idolorum intelliguntur ne esse *Levitae*, annon? Si supponantur non fuisse Levitae, ergo ex universo ordine quorumlibet sacerdotum soli sacerdotes idolorum excluduntur a portionibus sacris apud sanctuarium Iahve : non excluduntur illi variarum tribuum Israelitae, qui in altaribus privatis Iahvae sacrificabant. Atqui hi certissime non admittebantur ad communionem *haereditatis* soli Levi concessae. Ergo verbis v. 8 excluduntur sacerdotes illi idolorum, qui origine erant Levitae. Tota pericope v. 1-8 agit de *solis Levitis* : Levitae omnes ad sacra admittuntur; excluduntur perditi illi Levitae, qui vel paupertate pressi vel lucri cupiditate illecti aut idololatriae aut magiae rei fuerint. Ili excludendi, imo morte plectendi.

Pius aliquis postmodum Iudaeus indignum reputans, ut Levitae concederentur aliquando tantae impietatis exstitisse rei, scriptione defectiva in locum plenae suffecta, literarum ordine parumper mutato, textum obscuraverit. Quod habet *Steuernagel* לבד מכמרים על האבות, « exceptis iis, qui simul essent idolorum sacerdotes et mortuos evocarent », utique (*Bertholet*) durius est.

Tandem nobis dicendum est de conditione tribus Levi aevo iudicum. *Pontificem* habes 26,3. Recole, inter iudices maiores unum recenseri pontificem Heli, eumque virum inertem, cuius antecessores

item fuerint mediocres, privilegiorum et officiorum sui ordinis parum tenaces : neque miraberis cum recentioribus quibusdam, pontificum vix ullam haberi mentionem aevo iudicum. Concedendum autem omnino est, *Deut. ignorare distinctionem inter sacerdotes aaronitas et simplices levitas*. Quod non consequitur quidem ex appellatione *sacerdotes Levitae* v. 1 etc., quae potius distinguit sacerdotes e Levi oriundos ab aliarum tribuum sacerdotibus, qui ad altaria privata litabant; indubie autem stabilitur eo, quod hi *sacerdotes Levitae* v. 1 vocentur *tota tribus Levi,* omnesque participent de portionibus sacris et primitiis, quae Num. 18,9 sq. et alibi solis Aaronitis reservabantur; item quod his *sacerdotibus Levitis,* prorsus aequiparentur *Levitae* illi 12,12. 18 sq.; 14,27. 29; 16,11. 14; 26,12 sq., passim in urbibus habitantes (cf. 27,14; 31,25). Hi quippe certe non erant omnes Aaronitae, fortasse plerique erant non Aaronitae, Aaronitis sc. potius apud sanctuarium maximum habitantibus. Praeterea compertum habemus, decimas, quae Num. 18 sustentationi simplicium levitarum attribuebantur (praeter decimarum decimas sacerdotibus pendendas), hominibus levitis iam pendi desiisse; sacerdotes item caruisse primogenitis, votis aliisque donis. Redditibus tanta ex parte subtractis imminuebatur generis levitici auctoritas, cultus solemnitas, religionis aestimatio. Recole, quae ad 14,22-29 dicebamus de causis, ob quas Levitae tum ad paupertatem redacti, iura plura obscurata sunt. Aaronitarum fortasse plerique apud sanctuarium perseverabant; simplicium levitarum pars longe maior per totam regionem sparsi pauperem vitam agebant. In civitatibus, ubi lege assignatas sedes nacti erant, habebant domos sine agris, pascua sine gregibus, alibi vix non ad mendicitatem redigebantur et, qui haereditate Iahve fuissent sustentandi, illud iam pro favore habebant, ut a decimarum conviviis non excluderentur. Offerebantur passim per regionem sacrificia Iahve in altaribus privatis, a sacerdotibus iis qui Aaronitae, Levitae non essent; neque erat cur simplices levitae eiusmodi sacerdotia non ambirent. Et haec quidem superstitione erant vacua. Alii longius progressi non sunt veriti in idolorum altaribus sacerdotiis fungi, atque e magia foedum lucrum quaerere. Aliter interea, neque tamen felicius, apud sanctuarium maximum res agebantur. Unde viverent simplices levitae suis privati decimis? Iuvandi fuere ab Aaronitis, ne aut fame perirent aut dilaberentur omnes; communionem portionum sacrarum nacti sunt primum tamquam favorem, postmodum tamquam ius suum extorserunt; tandem iura omnia cum illis habuere communia. Ita obliterabatur discrimen a Moyse inter sacerdotes simplicesque levitas invectum.

11. *Lex de prophetis Deut.* 18,9-22.

Arg. — Primum v. 9-12 superstitionis ministri proscribuntur; dein v. 13 sqq. genuina et perfecta prophetia demonstratur populo iam in monte Horeb permanenter promissa. Poena indicitur v. 19 sq. in eum, qui prophetam non audierit, et in prophetam, qui suo charismate abusus fuerit. v. 21 sq. traditur criterium ad discernendum verum et falsum prophetam.

Hanc legem *Moysi* tribuimus auctori. Is certe verborum v. 15 *sicut me* (cf. v. 18) obvius est sensus, a quo recedendi nulla prorsus apparet ratio. Erat gravissima ratio, cur Moyses extremum hac de re ad populum ederet eloquium. Fuerat ipse magnus propheta : edocendi erant, se neque in posterum carituros fore prophetis. Septuaginta prophetarum, quos Moyses Num. 11 importunis precibus a Iahve veluti extorserat, sine dubio aliqui in magna Cadesae apostasia ab obsequio Moysis et Iahve defecerant : monendi erant Hebraei, ut sibi a prophetis discolis caverent. Retrahendi erant ab omni genere superstitionis. Habet praeterea v. 15-18 authenticam declarationem divini ad Moysen eloquii Deut. 5,28 sq. (cf. Ex. 20,20), cuius is affirmatur fuisse sensus, ut perpetuum propheticum institutum Hebraeis promitteretur. Quem eloquii ad se facti sensum credendus est Moyses plene perspexisse : quomodo ipsum latuerit id, quod vel Balaam Num. 23, 23 praenoscebat? Est igitur illa authentica declaratio aliud argumentum legis Deut. 18,9-22, certe quoad substantiam, Moysi auctori attribuendae.

v. 9 « *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari* [*velis*] *abominationes illarum gentium* ». *Hebr.* : *non disces facere secundum etc.* Etenim artes illae superstitiosae operose *discendae* erant a magistro aliquo praestigiatore. v. 10 « *Nec inveniatur in te, qui* [*lustret*] *filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus* », v. 11 « *nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem* ». Moyses vult omnem superstitionis formam, quocunque nomine ea veniat, proscribere omnemque superstitionis excusationem praescindere : ideo iam copiosius loquitur, synonyma congerit. Ne igitur mireris, si v. 10 sq. res una vel fere eadem duabus vel pluribus expressionibus exprimatur. Eorum, quae afferuntur, aliqua sunt e natura sua mala, uti comburere liberos; alia primitus potuere superstitione carere, quod de קסם demonstrabamus CN p. 268; merito tamen ita severe reproban-

tur, primum quod mox plurimam admixtam habuerint superstitionem, et praeterea quod, cum Iahve Hebraeis concesserit « meliorem prophetiam » (Num. 23,23), merito eos interdixerit ab his gentilium artibus. v. 12 « *Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo* ». תועבה, cf. 14,3; 17,1.

Transire facere liberos per ignem : cf. 4 Reg. 16,3;17,17;21,6;23,10; Ez. 20,31; et omisso *per ignem* Ier. 32,35; Ez. 16,21;23,37. De Lev. 18,21;20,2.3.5 cf. quae dicebamus CEL p. 484. 497. Adscribitur dativus *Moloch* 4 Reg. 23,10; 2 Par. 28,3; Ier. 32,35. Sed habentur expressiones synonymae : effundere sanguinem, immolare Ps. 105(106),38; dare sanguinem Ez. 16,36; sacrificare escam diis Ez. 16,20; transire facere cibum diis Ez. 23,37; igne comburere Deut. 12,31; Ier. 7,31;19,5; mactare Is. 57,5; Ez. 16,21;23,39. Cf. factum 4 Reg. 3,27. Ergo agitur de veris sacrificiis humanis, non de mera traductione per ignem. Cf. *P. Scholz* : Goetzendienst u. Zauberwesen etc., Regensburg 1877, p. 185 sqq. Ceterum adverte v. 10 non adscribi nomen *Moloch*, neque v. 10 sq. agi de peccatis idololatriae sed superstitionis tantum. Unde probabile fit, quandoque etiam in altaribus privatis immolatos esse liberos *Iahve*, quo efficacius aut bonum aliquod obtineretur aut malum averteretur. Quod profecto erat peccatum superstitionis. Hoc vero admisso facilius intelligitur, quomodo potuerit Iephte in mentem venire, ut filiam immolaret. — *Ariolos sciscitare* : de קסם dicebamus CN p. 264 sq. 268. — מעונן, quod *Vulg.* vertit *observare somnia*, sed de somniis non agi fere docet Ier. 27,9. *LXX* : κληδονιζόμενοι, ergo fere augurantes e sonis quibusdam. Sed ad v. 10 sq. versiones meras exprimunt coniecturas, quibus haud magis quam Rabbinorum commentis ad sensum assequendum manuducimur. Ier. 27,9 עננים (cf. Is. 2,6; מעננים Mich. 5,11) futura praenuntiant, uti קסמים et כשפים. — מנחש, *qui observat auguria*, quae videntur primitus caruisse superstitione : cf. CN p. 264 sqq. — מכשף, *maleficus*. Hi somnia explicant Gen. 41,8, futura praedicunt Ier. 27,9. Reapse intelligi *magos* inferas e poena mortis illis Ex. 22,18 (17) indicta. — חבר חבר, *incantator*. Cum Is. 47,13 חברי שמים sint *astrologi*, crediderim eosdem h. l. intelligi. — שאל אוב וידעני, *consulentes pythones et divinos*. Illa duo nomina item copulantur Lev. 19,31;20,6.27; 1 Reg. 28,3.9; 4 Reg. 21,6;23,24; 1 Par. 10,13; 2 Par. 33,6; Is. 8,19;19,3. Videntur illa igitur res valde affines designare. Quibus artibus mulier in Endor decepit Saulem. Sed אוב et ידעני non sunt extra hominem, sed ab illo *habentur*, ex illo loquuntur voce veluti de solo assurgente (Is. 29,4) : sunt ergo fere spiritus quidam familiares. — Clarum est דרש אל מתים, *consulens mortuos*. Cf. *Scholz* p. 69 sqq.

Explicatis v. 9-12 iis, quibus Hebraeos oporteat abstinere, iam explicat orator, quae illis in re oraculorum praestanda sint. v. 13 « *Perfectus eris* [*et absque macula*] *cum Domino Deo tuo* ». Perfectio utique in eo est, ut, quando oracula requisierint, supradictis superstitionibus abstineant (*Bonfr.*). v. 14 « *Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt : tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es* ». Scribitur iam nobile nomen נביא, *propheta*, quod gentilium nulli conceditur (CN p. 263), etiamsi is verum

oraculum edat. Merito huic prophetiae accenset *Ps. Ion.* Urim et Thummim, quod reapse erat oraculum « perfectum » (v. 13) in eodem genere, in quo auguria etc. ob additam superstitionem erant imperfecta. Sed potissimum intelliguntur ipsi prophetae. Sicut autem neque apud gentes semper et de omnibus habebantur oracula, ita neque apud Hebraeos (cf. 1 Reg. 28,6), sed tantum « temporibus suis » (Num. 23,23). v. 15 « *Prophetam de gente tua [et] de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies* ». Reliqui *audietis. Hebr. Chald. Syr.* : *de medio tui,* et sine copula appositionem adscribunt *de fratribus tuis. Sam. LXX,* uti v. 18 *de medio fratrum tuorum.* Magistri (v. 9) superstitionum erant sane plerique alienigenae, eorum artes erant certe extraneae, non in medio Israele natae. *Sicut me,* i. e. sicut Moysen : sed comparatio fit tantummodo quoad prophetiam superstitione carentem. Non promittitur propheta, qualis usque ad tempus conscripti textus Deut. 34,10 non surrexerat, qui nosset Iahve facie ad faciem : sed neque affirmatur talis propheta non esse surrecturus, quod neque scriptor 34,10 pro futuro tempore negat. Fieri potest, ut 34,10 lateat aliqua ad nostrum textum allusio. Cuius versus scriptor non sine dolore fateatur, usque ad sua tempora prophetam Moysis aequalem non surrexisse. Affirmatur porro una aliqua ratio, non unica, cur eum prophetam concedat Iahve : sc. conforme id est petitis populi ad montem Horeb, quae Iahve ante rata habuit : *sicut omnia quae petisti etc.* Affirmatur ille propheta plene praestaturus esse omne id, quod tum populus in votis habuerat : neque tamen negatur unquam assurrecturus esse ad altiorem etiam gradum eo, quem ad montem Horeb Hebraei imaginabantur : v. 16 « *ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est* » (9,10; 10,4; in magna theophania Ex. 19 sq.), « *atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar* ». v. 17 « *Et ait Dominus mihi* : *Bene omnia sunt locuti* ». Eadem habes 5,24-28. Sed a 5,31 aliquantum differt noster v. 18 : « *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi* ». Ubi conferas etiam verba Ex. 4,15, quibus Aaron Moysi attribuebatur propheta (Ex. 7,1) : Et loqueris ei, ponesque (ושמת) verba in ore eius, et ego ero in ore tuo et in ore eius, et docebo vos quid facere debeatis. Igitur 5,31 de sola Moysis prophetica dignitate explicite sermo erat; hic pronuntiatur, ib. simul permanens prophetarum institutum a Deo stabilitum esse.

Duplex adiicitur sanctio : altera v. 19 in Israelitam, qui verum

prophetam audire recusaverit; altera v. 20 in prophetam, qui suo charismate abutatur. Similis utrobique constructio : והיה האיש אשר, et אך הנביא אשר. v. 21 sq. voce וכי subiicitur notula, criterium discernendi veri et falsi prophetae. v. 19 « *Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam* ». *Hebr.* : *ego requiram ab eo.* Non committitur poena magistratibus, qui aliquando vero prophetae infensi esse poterunt v. 20 « *Propheta autem, qui arrogantia [depravatus] voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur* ». Hoc alterum sat facile comprobatur. Sed quomodo definiat quis, locutusne sit propheta mandante aut non mandante Iahve? Criterium tradit v. 21 : « *Quodsi tacita cogitatione* » — *Hebr. in corde tuo* — « *responderis : Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* » v. 22 « *hoc habebis signum* : *Quod in nomine Domini propheta ille [prae]dixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem [animi sui] propheta confinxit, et idcirco non timebis eum* », sed audacter interfice (v. 20; *Calm.*). *Hebr.* : *et non fuit res et non evenit* : videtur agi primum de re dissita vel abscondita, quae deprehendatur aliter habuisse, atque propheta edixerat; secundo de re futura, quam ille falso praenuntiavit.

Ad textum v. 18 primum provocat Nathanael Io. 1,45, exprimens fidem suam et Iudaeorum sui aequalium : « Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph, a Nazareth ». Eumque respicere non tam Gen. 3,15; 49,10; Num. 24,17, quin potius Deut. 18,15, suggerit Io. 1,21 vox ὁ προφήτης, ille propheta quem omnes tum Iudaei opperiebantur. Hanc communem fidem rursum appellat S. Stephanus Act. 7,37 : « Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam etc. ». Sed imprimis S. Petrus Act. 3,22 textum Deut. 18,15 de Christo interpretatus est : « Moyses quidem dixit : Quoniam prophetam etc. ». Ergo nomine *prophetae* Christum includi, omnino certum est.

Apologetae christiani, uti patet, nostrum textum appellavere, ut Christum messiam et prophetam demonstrarent : *Or.* (*M.* 11,728 sq.; 12,385; 13,268 sq. 1517; 14,213), *Tert.* (*M.* 2,414), *Cypr.* (*M.* 4,688), *Ps. Iustin.* (*M.* 6,1345), *Novatianus* (*M.* 3,901), *Archelaus* (*M.* 10, 1446.1501), *Method.* (*M.* 18,376), *Euseb. Caes.* (*M.* 22,168.688), *Philastrius* (*M.* 12,1242), *Lactant.* (*M.* 6,500), *Athan.* (*M.* 26,125), *Cyrill. Hier.* (*M.* 33,744 sq.), *Titus Bostrens.* (*M.* 18,1225), *Epiphan.* (*M.* 41,744 sq. 966; 42,259), *Greg. Nyss.* (*M.* 46,204), *Gaudentius Brix.* (*M.* 20,909), *Aug.* (*M.* 42,324 sqq.), *Chrys.* (*M.* 48,803; 61,446.

oraculum edat. Merito huic prophetiae accenset *Ps. Ion.* Urim et Thummim, quod reapse erat oraculum « perfectum » (v. 13) in eodem genere, in quo auguria etc. ob additam superstitionem erant imperfecta. Sed potissimum intelliguntur ipsi prophetae. Sicut autem neque apud gentes semper et de omnibus habebantur oracula, ita neque apud Hebraeos (cf. 1 Reg. 28,6), sed tantum « temporibus suis » (Num. 23,23). v. 15 « *Prophetam de gente tua [et] de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies* ». Reliqui *audietis. Hebr. Chald. Syr.* : *de medio tui,* et sine copula appositionem adscribunt *de fratribus tuis. Sam. LXX,* uti v. 18 *de medio fratrum tuorum.* Magistri (v. 9) superstitionum erant sane plerique alienigenae, eorum artes erant certe extraneae, non in medio Israele natae. *Sicut me,* i. e. sicut Moysen : sed comparatio fit tantummodo quoad prophetiam superstitione carentem. Non promittitur propheta, qualis usque ad tempus conscripti textus Deut. 34,10 non surrexerat, qui nosset Iahve facie ad faciem : sed neque affirmatur talis propheta non esse surrecturus, quod neque scriptor 34,10 pro futuro tempore negat. Fieri potest, ut 34,10 lateat aliqua ad nostrum textum allusio. Cuius versus scriptor non sine dolore fateatur, usque ad sua tempora prophetam Moysis aequalem non surrexisse. Affirmatur porro una aliqua ratio, non unica, cur eum prophetam concedat Iahve : sc. conforme id est petitis populi ad montem Horeb, quae Iahve ante rata habuit : *sicut omnia quae petisti etc.* Affirmatur ille propheta plene praestaturus esse omne id, quod tum populus in votis habuerat : neque tamen negatur unquam assurrecturus esse ad altiorem etiam gradum eo, quem ad montem Horeb Hebraei imaginabantur : v. 16 « *ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est* » (9,10; 10,4; in magna theophania Ex. 19 sq.), « *atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar* ». v. 17 « *Et ait Dominus mihi* : *Bene omnia sunt locuti* ». Eadem habes 5,24-28. Sed a 5,31 aliquantum differt noster v. 18 : « *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi* ». Ubi conferas etiam verba Ex. 4,15, quibus Aaron Moysi attribuebatur propheta (Ex. 7,1) : Et loqueris ei, ponesque (ושמת) verba in ore eius, et ego ero in ore tuo et in ore eius, et docebo vos quid facere debeatis. Igitur 5,31 de sola Moysis prophetica dignitate explicite sermo erat; hic pronuntiatur, ib. simul permanens prophetarum institutum a Deo stabilitum esse.

Duplex adiicitur sanctio : altera v. 19 in Israelitam, qui verum

prophetam audire recusaverit; altera v. 20 in prophetam, qui suo charismate abutatur. Similis utrobique constructio : והיה האיש אשר, et אך הנביא אשר. v. 21 sq. voce וכי subiicitur notula, criterium discernendi veri et falsi prophetae. v. 19 « *Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam* ». *Hebr.* : *ego requiram ab eo.* Non committitur poena magistratibus, qui aliquando vero prophetae infensi esse poterunt v. 20 « *Propheta autem, qui arrogantia [depravatus] voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur* ». Hoc alterum sat facile comprobatur. Sed quomodo definiat quis, locutusne sit propheta mandante aut non mandante Iahve? Criterium tradit v. 21 : « *Quodsi tacita cogitatione* » — *Hebr. in corde tuo* — « *responderis : Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* » v. 22 « *hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille [prae]dixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem [animi sui] propheta confinxit, et idcirco non timebis eum* », sed audacter interfice (v. 20; *Calm.*). *Hebr.* : *et non fuit res et non evenit* : videtur agi primum de re dissita vel abscondita, quae deprehendatur aliter habuisse, atque propheta edixerat; secundo de re futura, quam ille falso praenuntiavit.

Ad textum v. 18 primum provocat Nathanael Io. 1,45, exprimens fidem suam et Iudaeorum sui aequalium : « Quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph, a Nazareth ». Eumque respicere non tam Gen. 3,15; 49,10; Num. 24,17, quin potius Deut. 18,15, suggerit Io. 1,21 vox ὁ προφήτης, ille propheta quem omnes tum Iudaei opperiebantur. Hanc communem fidem rursum appellat S. Stephanus Act. 7,37 : « Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam etc. ». Sed imprimis S. Petrus Act. 3,22 textum Deut. 18,15 de Christo interpretatus est : « Moyses quidem dixit : Quoniam prophetam etc. ». Ergo nomine *prophetae* Christum includi, omnino certum est.

Apologetae christiani, uti patet, nostrum textum appellavere, ut Christum messiam et prophetam demonstrarent : *Or.* (*M.* 11,728 sq.; 12,385; 13,268 sq. 1517; 14,213), *Tert.* (*M.* 2,414), *Cypr.* (*M.* 4,688), *Ps. Iustin.* (*M.* 6,1345), *Novatianus* (*M.* 3,901), *Archelaus* (*M.* 10, 1446.1501), *Method.* (*M.* 18,376), *Euseb. Caes.* (*M.* 22,168.688), *Philastrius* (*M.* 12,1242), *Lactant.* (*M.* 6,500), *Athan.* (*M.* 26,125), *Cyrill. Hier.* (*M.* 33,744 sq.), *Titus Bostrens.* (*M.* 18,1225), *Epiphan.* (*M.* 41,744 sq. 966; 42,259), *Greg. Nyss.* (*M.* 46,204), *Gaudentius Brix.* (*M.* 20,909), *Aug.* (*M.* 42,324 sqq.), *Chrys.* (*M.* 48,803; 61,446.

645), *Cyrill. Alex.* (*M.* 68,213. 253; 70,33; 72,364; 73,184. 428. 760. 768.816.997; 74,105), *Theodoret.* (*M.* 81,545). Ex paucis in patrologiis, qui Deut. ex professo interpretati sunt, accedunt *Proc.*, *Rup.* Plura vide apud *L. Reinke* : Beiträge zur Erklärung des A. T. IV. 301 sqq., Münster 1855. Cf. *G. Meignan :* Les prophéties messianiques p. 619 sqq., Paris 1856. Supra laudati scriptores antiquiores omnes, uno fortasse excepto *Or.*, de *solo Christo* loquuntur, quaestionem an reliqui etiam includantur prophetae ne attenderunt quidem, plures ita loquuntur, ut solum exclusive Christum intendere videantur. Solum Christum designari, e recentioribus tenent *Cai.*, *Est.*, *Malv.*, *F. X. Patrizi* S. I. (De interpr. S. Scr. lib. II, q. 8, § 2, Romae 1844 p. 174).

At, ubi coeptus est textus v. 15 non iam ut merum argumentum apologeticum appellari, sed secundum contextum ponderari, praeplacuit sententia *Hier.* (in Is. 8,19; *M.* 24,122) *prophetam* interpretans *prophetas V. T. omnes incluso Christo,* quae sententia non tam est alia a Patrum opinione supra laudata, sed eandem complet et evolvit. Et Hier. quidem l. c., quod contra Iudaeos argumentetur, Christi non meminit, minime tamen censendus est Christum exclusisse. Cui assentiuntur praeter Rabbinos plures utique Christum ignorantes, *Tost.*, *Lyr.*, *Bonfr.*, *Lap.*, *Tir.*, *Gord.*, *Ians.*, *Calm.*, *Meignan, Reinke* aliique. Anceps haeret *Men.*

Vix operae pretium est recensere sententiam *Abenesra, prophetam* esse *Iosuen*; contra quem cf. *Isid. Pelus.* : Ep. III. 94; *M.* 78,797 sq. Quem simul ut typum Christi celebrant *Clem. Alex.* (Paedag. I. 7; *M.* 8,521 sqq.) et *Sa.*

Agi de prophetis universim sequentes efficiunt rationes (cf. *Reinke* p. 314 sqq.; *Cornely* II. 2 p. 276 sqq.).

1. *Singularem* נביא omnino designare posse prophetas universim, primum patet per se, dein e Dan. 9,24, ubi reapse eadem vox eundem sensum habet, tandem e contextu. Nam idem propheta, qui v. 15 promittitur, v. 18 iam ante in monte Horeb promissus esse affirmatur; et idem, de quo v. 15.18, propheta v. 19 sqq. discernitur in prophetam, qui in nomine Iahve vera, et eum qui in nomine Iahve falsa annuntiet : ergo non intelligitur una sed plures personae, certe non unicus messias. Ratio aliqua vocis נביא scribendae numero singulari haec esse potuit, quia propheta v. 15.18 opponitur praestigiatoribus v. 10 sq., qui omnes scribuntur numero singulari : quodsi ille scribebatur numero plurali, opponebantur veluti prophetae multi praestigiatoribus paucis, dum nunc vel ipso singulari indicatur quodammodo, vel in unico propheta plus esse praesidii quam in octo

praestigiatoribus. Igitur rotunde negandum, quod affirmat *Patrizi* p. 176, « eum, qui simpliciter caput illud legit, ne suspicari quidem plures potius, quam unicum et singularem prophetam a Moyse promitti ».

2. Idem efficit *contextus v. 15 cum praecedentibus v. 9-14*. Promittitur propheta, ut satis fiat Hebraeorum desiderio oraculorum divinitus obtinendorum : atqui ei desiderio minime satis fit solo concesso messia, cum ita annis plus mille omnes Hebraei omni oraculo sint carituri. — Promittitur propheta, quem adeuntes retrahantur Hebraei ab adeundis praestigiatoribus : « Ne defuturos vobis timeatis homines, quibus docentibus futura discatis. Defectum enim magorum, ariolorum, excantatorum et augurum supplebunt prophetae, quos e medio vestri Deus suscitabit, quibus praeceptoribus consilia eius doceamini. Nihil est igitur, cur illos vobis ab exteris gentibus procuretis, paratos enim habebitis e fratribus vestris » (*Calm.*). Verum ad hunc effectum plane inefficax fuisset solius messiae promissio : concedenda erat Israelitis series prophetarum plus minus continua, uti apud gentes reperiebantur praestigiatores continuo. — Promittitur Hebraeis v. 13 sq., in eadem re oraculorum obtinendorum, conditio *non eadem sed perfectior* ea, quae apud gentiles obtinebat, seu conditio *eadem demptis imperfectionibus* seu *abominationibus* : atqui ea conditio illud habitura erat, ut Hebraei usque possent adire prophetam in necessitatibus suis non solum publicis, sed etiam privatis.

3. Idem efficit *contextus cum sequentibus v. 16-18* : « quia dicit hic Moyses, quod dando istum prophetam satisfaciebat petitioni eorum » (*Tost.*). Porro id, quod Ex. 20,18 sqq. et Deut. 5,23 sqq. expetebant Hebraei, illud erat ut divina oracula, quae *tum* essent edenda ad *constitutionem* potissimum rei publicae Hebraeorum, non communicarentur immediate populo per ignem et tonitrua, sed mediate per prophetam, qui illa a Iahve accepta ad populum deferret. Ergo impletio divinae promissionis 5,31 initium sumpserit oportet ad ipsum montem Horeb, non vero pluribus saeculis post in mysterio incarnationis. Verum haec ipsa 5,31 promissio repetitur et, quoad potissimam suam partem explicatur 18,17 sq., quae verba, uti illa 5,31, tradunt divinum responsum ad unum idemque populi petitum Ex. 20,18; Deut. 5,25-27; 18,16; illa promissio impleri affirmatur concesso eo, qui 18,15 demonstratur « propheta ». Oportet igitur ille « propheta » vel in ipso monte Horeb officio fungi inceperit. Profecto, tam Ex. 20 quam Deut. 5 evidens est impletionis initium constitisse ipso Moysis prophetico ministerio : atqui, si ad impletionem

spectent cum Moyses tum Christus, spectat ad eandem prophetarum series Moysen inter et Christum. Neque cum *Cai.* dicas promitti prophetam *sicut me*, ergo prophetam *legislatorem* : id, quod evidenter promittitur Ex. 20 et Deut. 5, est propheta non legislator, sed *mediator*, qui divina oracula, sive ea leges essent sive alia, immediate a Deo acciperet et Hebraeis transmitteret. Neque illud *sicut me* dicit omnimodam aequalitatem, quae neque habetur inter Moysen et Christum, sed aequalitatem in genere prophetae mediatoris, divina oracula deferentis ad populum.

4. Idem efficit *contextus totius pericopae 16,18-18,22.* Quae agit de publicis magistratibus : primum de *iudicibus* communibus et de appellatione ab his ad supremum tribunal 16,18-17,13; secundo de *rege* constituendo 17,14-20; tertio de *sacerdotibus* 18,1-8; quarto de *prophetis.* Ubi primum proscribuntur pseudoprophetae 18,9-12, dein commendantur veri prophetae 18,13-22. Regnum supponitur brevi instituendum; iudices, sacerdotes, prophetae (*sicut me*) iam erant. Non agit profecto pericope de rebus nonnisi post plura saecula futuris, sed de rebus contemporaneis et practicis. Documentum de iudicibus habet 17,12 sq. adscriptam sanctionem in eum, qui contra supremum tribunal superbiat; documentum de rege 17,20 desinit in sanctionem latam in regem, qui contra populum Iahve superbiat; documentum de sacerdotibus 18,8 excludit sacerdotes indignos; similiter documentum de propheta clauditur 18,19 sq. sanctione lata in hominem contra prophetam, et in prophetam contra Iahven superbientem. Sunt haec omnia ita affinia inter se, ut nequeat v. 15 sqq. accipi ut mera prophetia eorum, quae in novissimis diebus eventura sint. Propheta consideratur uti institutum contemporaneum et permanens, sicut iudex, sacerdos, rex.

5. De facto fuere apud Israelitas post Moysen non solum iudices, sacerdotes, reges, sed etiam prophetae. Inculcatur in pentateucho reverentia erga iudices, sacerdotes, reges : nonne oportebat etiam inculcari reverentiam erga prophetas? Quod fit h. l.

6. Iudaei aequales Christi appellantes Deut. 18,15 *unicum* exspectabant prophetam messiam. Sc., quod tot iam praecessissent prophetae et tempora a Daniele praesignata exspirarent, unum supererat Iudaeis exspectandum, messias. Hoc unum illi *futurum* prospiciebant; non negabant, vi eiusdem promissionis patribus suis *temporibus ante actis* alios concessos esse prophetas.

Ergo textus demonstrat universum institutum prophetarum a Moyse ad ultimum prophetam, sicut 16,18 sqq. omnes demonstrat iudices, 17,15 sqq. reges a primo (v. 15) omnes (v. 20), 18,1 sqq.

sacerdotes omnes. Sed sicut iudicum particularia officia et sacerdotum portiones describit quales suo tempore erant, et de primo rege distinctius loquitur quam de eius successoribus, ita instituti etiam prophetarum non extremam describit in messia perfectionem, sed sui temporis conditionem, quando bonis discoli admixti reperiebantur. Prophetarum seriem clausum iri uno aliquo propheta ceteris omnibus excellentiore, seu messiam fore prophetarum nobilissimum, ex solo textu seorsim a prioribus vaticiniis considerato non efficitur. Sed cum e Gen. 3,15; 49,10; Num. 24,17 iam tum constaret, futurum aliquando magnum quemdam triumphatorem et principem, obvia erat conclusio eius tempore instituta omnia populo electo divinitus concessa in statu fore florentissimo : regnum, sacerdotium, prophetiam. Ergo messias propheta in nostro textu continetur, si is cum prioribus vaticiniis conferatur; multoque distinctius idem ib. deprehendebatur a Iudaeis posterioribus, qui a suis prophetis edocti fuerant messiam fore excellentissimum omnium principem, sacerdotem, prophetam. Textus hic procedente tempore a Iudaeis plenius intelligebatur, quam primum fuerat intellectus.

Demonstraverat Israeli Deus Ex. 19,6 « regnum sacerdotale », florentissimam rei publicae conditionem, qua idem futurus esset rex et sacerdos et, quod facile indidem consequitur, etiam propheta. Nonne quadamtenus prophetae exstitere vel ipsi pontifices aaronici Urim et Thummim gestantes? Populi Ex. 32 defectione huius divini consilii exsecutio differebatur, nonnisi per partes successive efficienda et ad suam tandem perfectionem deducenda. Concessum est primum *sacerdotium* aaronicum, quod usque ad Christum perduravit; postea *regnum* davidicum, sed quod inde ab exsilio babylonico defecit; *prophetia* inde a Moyse, nulli tribui adstricta, intermittens. Aspirabant Iudaei ad suae rei publicae perfectum statum, quando penes unum futura essent regnum, sacerdotium, prophetia. Hoc regnum sacerdotale et propheticum merito in novissimis diebus opperiebantur, in nostro etiam textu adumbratum contuebantur.

12. *Lex de civitatibus refugii cisiordanicis Deut.* 19,1-13.

Arg. — Pericope est explicatio legis Num. 35,10 sqq. : sc. v. 4-6 et v. 11-13 exemplis definit, quis censendus sit occisor innocens, quis nocens. Praemittitur v. 1-3 prologus oratorius; inseritur v. 7-10 monitum post dilatatos Hebraeorum fines etiam duplicandum esse earum civitatum numerum.

Explicationes illae sine dubio re eaedem sunt cum explicationibus

spectent cum Moyses tum Christus, spectat ad eandem prophetarum series Moysen inter et Christum. Neque cum *Cai.* dicas promitti prophetam *sicut me*, ergo prophetam *legislatorem* : id, quod evidenter promittitur Ex. 20 et Deut. 5, est propheta non legislator, sed *mediator*, qui divina oracula, sive ea leges essent sive alia, immediate a Deo acciperet et Hebraeis transmitteret. Neque illud *sicut me* dicit omnimodam aequalitatem, quae neque habetur inter Moysen et Christum, sed aequalitatem in genere prophetae mediatoris, divina oracula deferentis ad populum.

4. Idem efficit *contextus totius pericopae 16,18-18,22*. Quae agit de publicis magistratibus : primum de *iudicibus* communibus et de appellatione ab his ad supremum tribunal 16,18-17,13; secundo de *rege* constituendo 17,14-20; tertio de *sacerdotibus* 18,1-8; quarto de *prophetis*. Ubi primum proscribuntur pseudoprophetae 18,9-12, dein commendantur veri prophetae 18,13-22. Regnum supponitur brevi instituendum; iudices, sacerdotes, prophetae (*sicut me*) iam erant. Non agit profecto pericope de rebus nonnisi post plura saecula futuris, sed de rebus contemporaneis et practicis. Documentum de iudicibus habet 17,12 sq. adscriptam sanctionem in eum, qui contra supremum tribunal superbiat; documentum de rege 17,20 desinit in sanctionem latam in regem, qui contra populum Iahve superbiat; documentum de sacerdotibus 18,8 excludit sacerdotes indignos; similiter documentum de propheta clauditur 18,19 sq. sanctione lata in hominem contra prophetam, et in prophetam contra Iahven superbientem. Sunt haec omnia ita affinia inter se, ut nequeat v. 15 sqq. accipi ut mera prophetia eorum, quae in novissimis diebus eventura sint. Propheta consideratur uti institutum contemporaneum et permanens, sicut iudex, sacerdos, rex.

5. De facto fuere apud Israelitas post Moysen non solum iudices, sacerdotes, reges, sed etiam prophetae. Inculcatur in pentateucho reverentia erga iudices, sacerdotes, reges : nonne oportebat etiam inculcari reverentiam erga prophetas? Quod fit h. l.

6. Iudaei aequales Christi appellantes Deut. 18,15 *unicum* exspectabant prophetam messiam. Sc., quod tot iam praecessissent prophetae et tempora a Daniele praesignata exspirarent, unum supererat Iudaeis exspectandum, messias. Hoc unum illi *futurum* prospiciebant; non negabant, vi eiusdem promissionis patribus suis *temporibus ante actis* alios concessos esse prophetas.

Ergo textus demonstrat universum institutum prophetarum a Moyse ad ultimum prophetam, sicut 16,18 sqq. omnes demonstrat iudices, 17,15 sqq. reges a primo (v. 15) omnes (v. 20), 18,1 sqq.

sacerdotes omnes. Sed sicut iudicum particularia officia et sacerdotum portiones describit quales suo tempore erant, et de primo rege distinctius loquitur quam de eius successoribus, ita instituti etiam prophetarum non extremam describit in messia perfectionem, sed sui temporis conditionem, quando bonis discoli admixti reperiebantur. Prophetarum seriem clausum iri uno aliquo propheta ceteris omnibus excellentiore, seu messiam fore prophetarum nobilissimum, ex solo textu seorsim a prioribus vaticiniis considerato non efficitur. Sed cum e Gen. 3,15; 49,10; Num. 24,17 iam tum constaret, futurum aliquando magnum quemdam triumphatorem et principem, obvia erat conclusio eius tempore instituta omnia populo electo divinitus concessa in statu fore florentissimo : regnum, sacerdotium, prophetiam. Ergo messias propheta in nostro textu continetur, si is cum prioribus vaticiniis conferatur; multoque distinctius idem ib. deprehendebatur a Iudaeis posterioribus, qui a suis prophetis edocti fuerant messiam fore excellentissimum omnium principem, sacerdotem, prophetam. Textus hic procedente tempore a Iudaeis plenius intelligebatur, quam primum fuerat intellectus.

Demonstraverat Israeli Deus Ex. 19,6 « regnum sacerdotale », florentissimam rei publicae conditionem, qua idem futurus esset rex et sacerdos et, quod facile indidem consequitur, etiam propheta. Nonne quadamtenus prophetae exstitere vel ipsi pontifices aaronici Urim et Thummim gestantes? Populi Ex. 32 defectione huius divini consilii exsecutio differebatur, nonnisi per partes successive efficienda et ad suam tandem perfectionem deducenda. Concessum est primum *sacerdotium* aaronicum, quod usque ad Christum perduravit; postea *regnum* davidicum, sed quod inde ab exsilio babylonico defecit; *prophetia* inde a Moyse, nulli tribui adstricta, intermittens. Aspirabant Iudaei ad suae rei publicae perfectum statum, quando penes unum futura essent regnum, sacerdotium, prophetia. Hoc regnum sacerdotale et propheticum merito in novissimis diebus opperiebantur, in nostro etiam textu adumbratum contuebantur.

12. *Lex de civitatibus refugii cisiordanicis Deut.* 19,1-13.

Arg. — Pericope est explicatio legis Num. 35,10 sqq. : sc. v. 4-6 et v. 11-13 exemplis definit, quis censendus sit occisor innocens, quis nocens. Praemittitur v. 1-3 prologus oratorius; inseritur v. 7-10 monitum post dilatatos Hebraeorum fines etiam duplicandum esse earum civitatum numerum.

Explicationes illae sine dubio re eaedem sunt cum explicationibus

Num. 35,16-23; praeambulum vero et monitum unius sunt auctoris Moyse recentioris, quod Moyses credi nequeat paucis interiectis diebus et numerum earum civitatum restrinxisse ad tres (Num. 35,14) rursumque extendisse ad sex (Deut. 19,9). Cf. quae dicebamus p. 28.

Num. 35,9-34 vera est lex, « statutum iudicii » (v. 29), materiam clare et complete definiens : recenset ea v. 16-21 varios casus, v. 12. 24 sq. iudicium describit, legem v. 15 ad advenas etiam pertingere pronuntiat, v. 26-32 prohibet excessum ex urbe refugii aut redemptionem. De civitatibus refugii trans Iordanem cf. Deut. 4,41-43. Deut. 19 de solis cisiordanicis agitur (cf. v. 1), quas Iosue designaverat Ios. 20. Hoc Iosue mandatum effectui esse mandatum, confirmat nostra lex. Neque enim, si civitates refugii non erant, danda fuit accuratior v. 4-6 et 11 sq. descriptio, quinam in illas essent admittendi, quive non. Sed, perturbatis iudicum temporibus fieri potuit, ut illa refugia non essent satis tuta, ut aliae quaedam urbes refugii privilegium sibi arrogarent, ut insolentes aliqui homines domi subsisterent et redemptorem sanguinis vi repellerent. Videntur (v. 9) sat multi ad asyla confugisse, plures etiam qui minime essent innoxii, quod e v. 4. sqq. infero, ubi tam accurate exemplo describitur, quis reputandus sit insons; ad asyla quandoque sontes admittebantur (v. 11 sqq.) ibique immeriti protegebantur; redemptores sanguinis vicissim (v. 6) videntur fuisse ad vindictam valde alacres, etiam ubi de fortuita caede ageretur. Erat sc. illud aevum durum, ferox, exlex. Nota Moysen statuisse, ut omnes refugii urbes essent eaedem etiam Levitarum urbes : Levitis prae ceteris incumbebat cura, ut sancte servarentur, quae de asylis sancita erant. At Levitae plures aevo iudicum ad mendicitatem fere erant redacti. Negligebantur cum ipsis asyla. Erat profecto ratio, cur eorum sanctitatem noster scriptor commendaret.

Deut. 19,1-13 non inscribitur *lex,* sed *sermo,* דבר (v. 4), quod apte transtuleris legis *explicationem.* Et, uti 15,5. 15 *explicatio* (v. 2 דבר) de anno remissionis verbis « Ego mando tibi explicationem hanc hodie » vera esse lex pronuntiatur, ita h. l. v. 7 *explicatio* de civitatibus refugii iisdem propemodum verbis ad dignitatem legis evehitur; cf. tamen, quae dicemus ad v. 7. Sed ipsi explicationi praemittitur prologus v. 1-3. Ubi v. 2 scriptor sermonis thema annuntiat : « Tres civitates separabis tibi ». Alias etiam consuevit legem aliquam mosaicam aut totam aut compendio referre, cui suas dein appendat applicationes et explicationes : v. s. p. 279 sqq.

Cap. XIX v. 1 « *Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam habitave-*

risque in urbibus eius » et « *in aedibus* », v. 2 « *tres civitates separabis tibi in medio terrae, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem* », v. 3 « *sternens* [*diligenter*] *viam, et in tres* [*aequaliter*] *partes* [*totam*] *terrae tuae provinciam divides* », *quam possidendam tibi dabit Dominus Deus tuus*, « *ut* [*habeat e vicino, qui*] *propter homicidium* [*profugus est*], *quo possit evadere* ». Non agitur de construenda via, quod non faciebant Hebraei, sed de impedimentis removendis, « ne impedita sit et fugam retardet » (*Men.*). Et nota, illas tres urbes Ios. 20,7 Cedes, Sichem et Hebron reapse omnes fuisse in montibus sitas, quae facile a plurium violentia defenderentur : sed debebant eaedem singulis accessu esse faciles. *Heb.* : *in tres partes divides terminos regionis tuae, ut confugiat eo omnis occisor*. Tres civitates refugii non omnes in eadem regionis parte assignentur, sed dividatur terra in tres partes fere aequales, et in earum unaquaque, fere in medio, commoda aliqua civitas designetur. Reapse a Sichem fere tantum distabat Cedes, quantum Hebron. Sed quorsum haec omnia? nonne tres civitates iam designaverat Iosue? Scriptor noster Moyse posterior, sed in Moysis persona loquens, se fingit loquentem ante illas urbes a Iosue designatas, eas designari iubet, simul aequalibus innuens quam apte per regionem dispositas illas urbes selegerit Iosue. Profecto nunquam in Hebraeorum fastis actum est de viis sternendis profugorum gratia, aut de locorum distantiis decempeda dimetiendis; securiores profugi incedebant viis non stratis, quam stratis. Habemus in his metaphoram similem eius Ex. 13,9, quam amplificat orator Deut. 6,7-9; 11,18-20, mandatum dilectionis inscribi oportere postibus domus etc.

v. 4 « *Haec erit lex* » (דבר) « *homicidae fugientis, cuius vita servanda est* », quia homicidii voluntarii non est reus. « *Qui percusserit proximum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse* [*comprobatur*] », ergo nullum odium recens; v. 5 « *sed abiisse cum eo* [*simpliciter*] *in silvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet et vivet* ». v. 4 sq. non sunt duo exempla (*Cai.*), sed unum (*Tost.*); sc. eum *nescientem* egisse duplici argumento efficitur, ut defuerint anteriores inimicitiae, et ut ipsa percussio speciem habeat fortuiti eventus. v. 6 « *Ne forsitan proximus eius, cuius effusus est sanguis, dolore stimulatus persequatur et apprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiat animam eius, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum,* [*qui occisus est,*] *odium prius habuisse* [*monstratur*] » *ab heri et nudiustertius*.

Prima explicatione v. 4-6 absoluta, v. 7 declarat collector hanc *explicationem* (v. 4) habendam esse pro *mandato* (מצוה), pro lege, quam iudices sequantur in diiudicandis causis occisorum. v. 7 « *Idcirco praecipio tibi* » *dicens*, « *ut tres civitates* [*aequalis inter se spatii*] *dividas* ». Ubi nota illud *dicens*. Citantur sc. verbotenus ipsa quatuor legis verba, quae habebantur initio v. 2, cum tamen ad mandati dignitatem evehatur non solus v. 2, sed tota lex v. 1-6. Quod patet vel e voce *idcirco*, quae multo magis respicit v. 6 quam v. 2 : lege illud potissimum cavendum est, ne occisor innocens interimatur, non ut civitates refugii sint tres saltem et tantum. Nos igitur, vulgarem nostrum citandi modum secuti, extremo v. 7 adscriberemus *etc.* Evehitur igitur ad dignitatem legis totus sermo v. 2-6, tam praeceptum v. 2 iam antea Num. 35 a Moyse editum, quam explicatio v. 4-6 adscripta. Cum porro explicatio v. 11 sq. non sit nisi ipsa explicatio v. 4-6 adaptata causae occisoris nocentis, ideo verbis v. 7 explicationi etiam v. 11 sq. vis legis tribuitur, licet id v. 13 non explicite statuatur. Generatim formulae, qualis est 19,7, passim legibus collectanei intersparguntur, ut toti omnino collectaneo legis auctoritatem vindicent. Ceterum recole, illas duas v. 4-6 et v. 11 sq. explicationes, non iisdem quidem verbis, prolatas esse ab ipso Moyse Num. 35,22 sq. 16-21; dum autem hic distinctius explicaverat, quis esset occisor nocens, et obiter potius indicaverat, quis esset innocens, collector vice versa huic alteri rei potissimum insistit. Quo confirmatur illud, quod supra suggerebamus, aevo iudicum et redemptores sanguinis fuisse proniores ad occisores etiam innocentes interimendos, et urbium refugii cives ad occisores etiam sontes defendendos. Hanc existimamus fuisse collectori rationem, ut tam severe sua etiam auctoritate inculcaret statuta, quae quoad substantiam fuerant ante a Moyse sancita, simulque accuratius explicaret, quis esset occisor innocens.

Formulae v. 7 adscribit collector monitum v. 8-10. *Dilatatio* v. 8 non intelligitur promissa illa usque ad Euphraten (*Bonfr.*), nunquam quippe neque David neque Salomo ullam ultra Chanaanitidis fines civitatem refugii instituere, neque illae gentes hebraeae erant neque hebraeis legibus vivebant, sed suis; sed intelligitur plena Chanaanitidis possessio, quae iudicum aevo nondum erat completa (Ex. 23,29 sq.; Deut. 7,22; *Cai.*). Praeterea eadem atque v. 8 expressio 12,20 utique solam Chanaanitiden respiciebat (cf. 14,24). v. 8 « *Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iuravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est* », v. 9 « *si tamen custodieris mandata eius, et feceris quae hodie praecipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius*

omni tempore », — haec conditio dilatationis finium assequendae — « *addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium* [*numerum duplicabis*] », v. 10 « *ut non effundatur sanguis innoxius in medio terrae, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus* ».

Ceterum nullo textu comprobatur, in Chanaanitide cisiordanica postmodum tres alias civitates refugii esse institutas; prophetarum nullus de hac omissione conqueritur. Textus 1 Par. 6,57. 67. 72 (42. 52. 57) corrigendus secundum Ios. 21,13. 21. 32; cf. item Ios. 21, 27. 36 sq. cum 1 Par. 6,71. 78. 80 (56. 63. 65). Sed potuere verba v. 8 sqq. intelligi *conditionata* : si id necessarium videretur ad finem propositum assequendum, vel nisi aliter provideretur. Crediderim reapse aevo regum occisores plures ad civitates refugii non confugisse. Quandocunque regis indignatio timeretur, tutius videbatur finibus regni excedere : quodsi rex postmodum placaretur, iam non erat exspectanda pontificis mors, sed illico patebat reditus.

Describitur porro exemplo, qui occisor a civitate refugii sit excludendus. v. 11 « *Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit* [*vitae*] *eius, surgensque percusserit illum et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de praedictis urbibus* », v. 12 « *mittent seniores civitatis illius* » — *Hebr.* : *civitatis eius,* quam *Cai.* interpretatur « occisi » : melius *Malv.* « occisoris », cuius sc. necessarii ita efficiunt, ne ipsi sint sanguinis rei, et a necessariis occisi invadantur — « *et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi,* [*cuius*] *sanguis* [*effusus est*], *et morietur* ». v. 13 « *Non misereberis eius, et auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi* ».

13. *Lex de terminis Deut.* 19,14.

Arg. — Termini tempore ingressus terrae sanctae statuti ne deinceps moveantur.

v. 14 « *Non* [*assumes et*] *transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam* ». Bene *LXX* οἱ πατέρες σου, dummodo hoc pronomen intelligas generaliter : maiores populi. Explicatur vox Prov. 22,28 : terminus aeviternus, quem fecere patres tui. Cf. Prov. 23,10; Iob 24,2; Os. 5,10; Deut. 27,17. Maiores illi fuere aequales Iosue, quo tempore termini figebantur auctoritate non privata sed publica, imo etiam mediate vel immediate divina. Haec lex, albo legum *civilium* adlecta, non solum proscribit fraudulentam terminorum mutationem, sed potissimum mutationes faciendas

auctoritate publica seu e consensu privatorum : possessiones quippe familiarum eaedem perseverent oportet, quae Iosue aevo definiebantur. Terminos esse sacros habendos, uno ore profitebantur antiqui omnes, nulla tamen facta distinctione terminorum a *prioribus* et ab aequalibus factorum : illa *priorum* appellatio evincit legem Deut. 19,14 esse postmosaicam.

14. *Lex de testibus Deut.* 19,15-21.

Arg. — Ad cuiusvis delicti probationem requiruntur testes ad minimum duo vel tres. Falsus testis adducatur ad tribunal supremum : ubi calumniae convictus eandem poenam ferat, quam falsa accusatione alteri intentaverat.

v. 15 « *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit; sed* » *in omni peccato, quo peccaverit quis,* « *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* ». Rursum v. 15 praemittitur *thema,* i. e. lex mosaica Num. 35,30 (cf. Deut. 17,6); sed thema hoc distinctius enuntiatur hic, quam Num. 35,30. Principium sc., quod ibi quoad homicidium statuebatur, iam ad omnes materias extenditur. סרה a סור, *declinare* secus (13,5[6]; Is. 1,5; 31,6; Ier. 28,16; 29,32) scribitur de delictis in Deum commissis, h. l. autem de omni genere gravis delicti, quod patet e diversis v. 21 poenis.

Praemisso themati v. 16 voce כי adscribitur *novella* : aequum profecto est, ut iudicio adhibeantur testes : sed quid faciendum, si inter testes deprehendatur testis falsus? Sequentia etiam complent regulas Ex. 23,1-9 et Lev. 19,15 sq. traditas de obligationibus iudicum et testium. Tribunal supremum v. 17 idem est, atque illud 17,9, nosque remittit ad aevum iudicum. v. 16 « *Si steterit testis* » *iniquus*, ideoque « *mendax, contra hominem accusans eum praevaricationis* », v. 17 « *stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum, in conspectu* » — *Hebr.* eandem vocem iterat : *ante* — « *sacerdotum et iudicum, qui fuerint in diebus illis* ». *LXX Syr.* : *et ante sacerdotes.* Sed omittenda est haec copula. Appositione *ante sacerdotes etc.* magis, licet non plene, declaratur illud *ante Iahven.* Sistendi sunt ad sanctuarium Iahve, et quidem ad sanctuarium maximum, non enim apud sanctuaria Iahve privata (*Kn.*) reperiebantur sacerdotes levitici, licet unus alterve fortasse ibi sacris praeesset. Causa igitur coram Iahve agitur, iudices sunt sacerdotes et iudices maiores. Hic legunt quidem omnes pluralem *iudices.* Sed 17,9 in eadem formula legitur singularis *iudex*, et agitur de iudice maiore, qui toti populo aut certe quibusdam tribubus aut uni tribui praesit. Non est, cur

sacerdotibus aut iudicibus minoribus adscribantur verba *qui fuerint in diebus illis*, cum nullis non diebus habeantur sacerdotes et iudices minores. Sed merito adscribuntur voci *iudices*, si ea uti 17,9 intelligatur de iudicibus maioribus, qui non continuo sibi succedebant. Ergo de his intelligenda h. l. vox *iudices*. Fortasse primitus legebatur *iudicem* uti 17,9 et cf. *Ios*. IV. 8. 14 « pontifex et *propheta* et senatus »; ergo etiam Ioš. unum aliquod individuum scribit. Cum tamen iudices maiores plerique non omnibus praefuerint tribubus, et aliqui eorum probabilius fuerint contemporanei inter se (cf. CJ p. 10 sq.), poterit pluralis *iudices* retineri simulque de iudicibus maioribus accipi : si v. g. simul ad sanctuarium adessent Samson et Iephte, uterque supremo illi tribunali accensebatur. v. 18 « *Cumque diligentissime perscrutantes* » *iudices* « *invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium* », v. 19 « *reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui* » (v. s. p. 121 n. 14). Quae poena salutarem habebit effectum : v. 20 « *ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere* » *in medio tui*. Causa falsi in alterum testimonii semper erat causa *civilis* : cum igitur ad 17,9 monuerimus, eam postmodum apud supremum tribunal viguisse praxin, ut in causis sacris praesideret pontifex, in causis civilibus magistratus, fortasse de consilio causae inquisitio v. 18 solis *iudicibus* attribuitur, non sacerdotibus. Explicatur porro accuratius illa poenae aequalitas, quam v. 19 statuit : v. 21 « *Non misereberis eius* » (cf. v. 13), « *sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges* », secundum legem talionis Ex. 21,24; Lev. 24,18. 20.

15. *Lex de bello Deut.* 20.

Lex discutit casus tres, quos v. 1.10.19 voce כי introducit : quid observandum in exitu ad bellum v. 1-9? quid in accessu ad urbem inimicam, v. 10-18? quid in urbis inimicae obsidione, v. 19 sq.? — Adverte, v. 2 praesentem quidem adesse *sacerdotem*, sed nihil dici de *arca*. Non videtur fuisse moris arcam in castra adducere, saltem quando non totus Israel in castris aderat (1 Reg. 14,18) : narratio 1 Reg. 4,3 evincit, allatam tum esse arcam tamquam remedium omnino extraordinarium. Quare ne mireris, in bellis iudicum desiderari arcae mentionem.

Arg. — Ad bellum prodeant Hebraei fisi auxilio Iahve. Cuius eos commonefaciet sacerdos coram acie consistens. Scribae ad repetendam domum invitabunt eos omnes, qui vel ob legitimum affectum vel ob ignaviam ad pugnam se senserint esse minus alacres. Dein duces aciem instruent.

v. 1 « *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus* » — non *equum et equitem* (*LXX*), ergo tandem solum equitatum : equitum turmae tum non erant; sed *equum et currum,* currus cum suis equis, quorum timore opprimebantur Hebraei — « *et maiorem, quam tu habeas,* [*adversarii exercitus*] *multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti* ». v. 2 « *Appropinquante autem iam proelio, stabit sacerdos* » ad id deputatus « [*ante aciem*] *et sic loquetur ad populum* » : v. 3 « *Audi Israel* : *vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis* : *non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere* », — *Hebr. perturbari* — « *nec formidetis eos* », v. 4 « *quia Dominus Deus vester* [*in medio*] *vestri est* », — *Hebr. incedit* tamquam dux : non edicitur semper adfutura arca (cf. Num. 14,44), sed idem edicitur quod v. 1 : *tecum est* — « *et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo* ».

Post sacerdotem prodeunt *scribae,* ita enim שטר vertendum est (cf. Ex. 5,6 sqq.; Num. 11,16; Deut. 29,10[9]; 31,28; Ios. 1,10; 3,2; 8,33; 23,2; 24,1), neque ratio est h. l. aliter vertendi, praesertim cum v. 9 duces militares voce שרים exprimantur : sc. scribae erat mandata publica recitare. v. 5 « *Duces* », seu verius *scribae,* « *quoque* [*per singulas turmas*] *audiente exercitu proclamabunt : Quis est homo, qui aedificavit domum novam et non dedicavit eam?* » חנך Num. 7,10 sq. 84.88 scribebatur de dedicatione novi sanctuarii : ergo praeter meram « habitationem » (*Vat.*) dicit festivam cum amicis inaugurationem (*Tost.*). « *Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam* ». Sicut 24,5 neonuptus integro anno a militia eximebatur, ita *Ios.* IV. 8.41 integer postmodum annus incolendae novae domui concedebatur. v. 6 « *Quis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem,* [*de qua vesci omnibus liceat*]? » *Hebr. Chald.* : *profanavit eam.* Alluditur ad Lev. 19,23-25 : primorum trium annorum fructus non attingebantur, quarto anno vinea *profanabatur,* fructibus omnibus Iahve consecratis, quinto tandem anno fructus usui communi cedebant. An ergo toto quinquennio an solum quinto anno a militia eximebatur vineae plantator? Id non satis clare exprimit textus. Certe pro quinto anno (*Cai.*) plantatorem a militia eximit, donec uvas expresserit prima vice (*Syr.*), illis exhilaratus fuerit (*LXX*). « *Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo eius fungatur officio* », i. e. *eam profanet.* v. 7 « *Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam? Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam* ». v. 8 « *His*

dictis » scribae « *addent* [*reliqua*] *et loquentur ad populum* » : — verte : *his dictis iterum loquentur ad populum*. Sunt sc. duae partes proclamationis : prior v. 5-7 certos homines, ut domum abeant, vere invitat; altera non tam intendit segniores domum dimittere, quam potissimum illis pudorem addere et animum. Vel dicas, postquam Iud. 7,3 ipse Deus formidolosos iussit domum secedere, eum aliquamdiu apud Hebraeos obtinuisse morem, ut ante proelium invitarentur formidolosi secedere, atque ita perpetuaretur memoria divini auxilii Gedeoni in proelio praestiti — « *Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est* ». Haec omnino consonant divino eloquio Iud. 7,3 : tamen ante exsilium habita esse pro vera lege, nullo argumento demonstratur (cf. quae dicebamus ad 19,9); post exsilium utique, quando collectaneum aequalem apud omnes cum antiquioribus legibus nactum est auctoritatem, monitum etiam v. 5-8 religiose observabatur.

Postquam hortantibus scribis aliqui domum se recepere, superest ut *duces militares* milites numerent et « aciem instruant » (*Vat.*) : v. 9 « *Cumque siluerint duces exercitus* », seu verius *scribae*, « *et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos praeparabit* ». *Hebr.* : *numerabunt praefecti turmarum populum per capita*.

Arg. — Si urbem extra Chanaanitidis fines aggrediantur, primum ad deditionem invitent, qua recusata interemptis viris reliqua reservent. Urbis vero intra Chanaanitidis fines sitae reservent omnino nihil, sed eam pro anathemate exstirpent. — Non succidendae circa urbem, quam obsideant, arbores pomiferae.

v. 10 « *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei* [*primum*] *pacem* ». v. 11 « *Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo* », ad angariam. Quod observabat iam Iosue Ios. 9, ratus Gabaonitas procul habitare. v. 12 « *Sin autem foedus inire noluerit, et coeperit contra te bellum, oppugnabis eam* ». v. 13 « *Cumque tradiderit Dominus Deus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii* », v. 14 « *absque mulieribus et infantibus, iumentis et ceteris, quae in civitate sunt. Omnem praedam exercitui divides* », — *Hebr.* : *tibi accipies* — « *et comedes de spoliis hostium tuorum, quae Dominus Deus tuus dederit tibi* ».

v. 15 « *Sic facies cunctis civitatibus, quae a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es* ». Referuntur verba ad v. 10-14 : urbs intra Chanaanitidis fines non erat

v. 1 « *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus* » — non *equum et equitem* (*LXX*), ergo tandem solum equitatum : equitum turmae tum non erant; sed *equum et currum*, currus cum suis equis, quorum timore opprimebantur Hebraei — « *et maiorem, quam tu habeas,* [*adversarii exercitus*] *multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti* ». v. 2 « *Appropinquante autem iam proelio, stabit sacerdos* » ad id deputatus « [*ante aciem*] *et sic loquetur ad populum* » : v. 3 « *Audi Israel* : *vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis* : *non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere* », — *Hebr. perturbari* — « *nec formidetis eos* », v. 4 « *quia Dominus Deus vester* [*in medio*] *vestri est* », — *Hebr. incedit* tamquam dux : non edicitur semper adfutura arca (cf. Num. 14,44), sed idem edicitur quod v. 1 : *tecum est* — « *et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo* ».

Post sacerdotem prodeunt *scribae*, ita enim שטר vertendum est (cf. Ex. 5,6 sqq.; Num. 11,16; Deut. 29,10[9]; 31,28; Ios. 1,10; 3,2; 8,33; 23,2; 24,1), neque ratio est h. l. aliter vertendi, praesertim cum v. 9 duces militares voce שרים exprimantur : sc. scribae erat mandata publica recitare. v. 5 « *Duces* », seu verius *scribae*, « *quoque* [*per singulas turmas*] *audiente exercitu proclamabunt : Quis est homo, qui aedificavit domum novam et non dedicavit eam?* » חנך Num. 7,10 sq. 84.88 scribebatur de dedicatione novi sanctuarii : ergo praeter meram « habitationem » (*Vat.*) dicit festivam cum amicis inaugurationem (*Tost.*). « *Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam* ». Sicut 24,5 neonuptus integro anno a militia eximebatur, ita *Ios.* IV. 8.41 integer postmodum annus incolendae novae domui concedebatur. v. 6 « *Quis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem,* [*de qua vesci omnibus liceat*]? » *Hebr. Chald.* : *profanavit eam*. Alluditur ad Lev. 19,23-25 : primorum trium annorum fructus non attingebantur, quarto anno vinea *profanabatur,* fructibus omnibus Iahve consecratis, quinto tandem anno fructus usui communi cedebant. An ergo toto quinquennio an solum quinto anno a militia eximebatur vineae plantator? Id non satis clare exprimit textus. Certe pro quinto anno (*Cai.*) plantatorem a militia eximit, donec uvas expresserit prima vice (*Syr.*), illis exhilaratus fuerit (*LXX*). « *Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo eius fungatur officio* », i. e. *eam profanet*. v. 7 « *Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam? Vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius homo accipiat eam* ». v. 8 « *His*

dictis » scribae « *addent [reliqua] et loquentur ad populum* » : — verte : *his dictis iterum loquentur ad populum.* Sunt sc. duae partes proclamationis : prior v. 5-7 certos homines, ut domum abeant, vere invitat; altera non tam intendit segniores domum dimittere, quam potissimum illis pudorem addere et animum. Vel dicas, postquam Iud. 7,3 ipse Deus formidolosos iussit domum secedere, eum aliquamdiu apud Hebraeos obtinuisse morem, ut ante proelium invitarentur formidolosi secedere, atque ita perpetuaretur memoria divini auxilii Gedeoni in proelio praestiti — « *Quis est homo formidolosus et corde pavido? Vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est* ». Haec omnino consonant divino eloquio Iud. 7,3 : tamen ante exsilium habita esse pro vera lege, nullo argumento demonstratur (cf. quae dicebamus ad 19,9); post exsilium utique, quando collectaneum aequalem apud omnes cum antiquioribus legibus nactum est auctoritatem, monitum etiam v. 5-8 religiose observabatur.

Postquam hortantibus scribis aliqui domum se recepere, superest ut *duces militares* milites numerent et « aciem instruant » (*Vat.*) : v. 9 « *Cumque siluerint duces exercitus* », seu verius *scribae,* « *et finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos praeparabit* ». *Hebr.* : *numerabunt praefecti turmarum populum per capita.*

Arg. — Si urbem extra Chanaanitidis fines aggrediantur, primum ad deditionem invitent, qua recusata interemptis viris reliqua reservent. Urbis vero intra Chanaanitidis fines sitae reservent omnino nihil, sed eam pro anathemate exstirpent. — Non succidendae circa urbem, quam obsideant, arbores pomiferae.

v. 10 « *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei [primum] pacem* ». v. 11 « *Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo* », ad angariam. Quod observabat iam Iosue Ios. 9, ratus Gabaonitas procul habitare. v. 12 « *Sin autem foedus inire noluerit, et coeperit contra te bellum, oppugnabis eam* ». v. 13 « *Cumque tradiderit Dominus Deus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii* », v. 14 « *absque mulieribus et infantibus, iumentis et ceteris, quae in civitate sunt. Omnem praedam exercitui divides* », — *Hebr.* : *tibi accipies* — « *et comedes de spoliis hostium tuorum, quae Dominus Deus tuus dederit tibi* ».

v. 15 « *Sic facies cunctis civitatibus, quae a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es* ». Referuntur verba ad v. 10-14 : urbs intra Chanaanitidis fines non erat

ad foedus seu pacem invitanda. Quod Iosue quidem iuramento concessit Gabaonitis, ratus illos non prope, sed procul habitare. v. 16 « *De his autem civitatibus, quae dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere* ». v. 17 « *Sed interficies [in ore gladii], Hethaeum [videlicet] et Amorrhaeum et Chananaeum, Pherezaeum et Hevaeum et Iebusaeum* », — *Sam. LXX : et Gergesaeum* — « *sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus* ». *Hebr*. v. 16 : *nullum vivens vivere sines* : id de solis hominibus esse intelligendum, evincit Ios. 8,26 sq.; 11, 11.14; hocque eodem sensu intelligendum *anathema* h. l. Cf. *Cai*. Sed praeter hoc anathema, severiori anathemati addicebantur hostes ii, in quos severius animadvertere statuerat Iahve : urbs Iericho Ios. 6,21, Amalecitae 1 Reg. 15,3. Cum vero lex nostra praecipiat anathema, et anathema illud minus severum sit tamen verum anathema, hoc solum nostra lege universim praecipi censendum est. v. 18 « *Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum* ».

Voce כי (cf. v. 10) aliud subnectitur v. 19 argumentum, quod v. 20 voce רק (cf. v. 16) aliquo modo limitatur. v. 19 « *Quando obsederis civitatem multo tempore [et munitionibus circumdederis], ut expugnes eam, non succides arbores, [de quibus vesci potes,] nec securibus [per circuitum debes vastare regionem] : quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum* ». *Hebr*. : *non destrues arborem immissa in eam securi : sed comedes de ea, et non succides : numquid enim homo est arbor campi, ut a te se recipiat in munitionem?* Succiduntur eiusmodi arbores ex insolentia, vel ad perpetuum hosti damnum inferendum : sed orator ironice fingit, succisorem contra eas pugnam inire veluti contra milites, qui praepediendi sint, quominus in munitionem se recipiant et defensorum numerum augeant. v. 20 « *Si qua autem ligna non sunt pomifera, [sed agrestia et in ceteros apta usus,] succide et instrue machinas, donec capias civitatem, quae contra te dimicat* ».

III. LEGES DE DIVERSIS REBUS DEUT. 21,1-26,15.

16. *Lex de occisore ignoto Deut.* 21,1-9.

Arg. — Invento in agro cadavere hominis occisi, cuius occisor ignoretur, reatus imputabitur ei urbi, quae proxime absit a loco caedis. Quae hoc reatu sequenti ritu se expediet. Urbis seniores in valle deserta caedent vitulam et, coram sacerdotibus adstantibus,

lotis super vitulam in signum innocentiae manibus, nomine totius urbis suam protestabuntur innocentiam, atque ita insontes habebuntur.

Ritus hic sapit venerandam antiquitatem. Quocum haec comparat *Dr.* : « In Arabia, reperto cadavere, iurant loci incolae se non esse occisores (Smith, *Kinship,* p. 263). In libro *Kitāb al-Aghānī,* IX. 178, l. 25 sqq., reatus homicidii imputatur domui, quae proxime abest (*dār*). Ita sanxit 'Amr ben Hind, arbiter constitutus inter duas tribus atque impediturus, quominus inter Bakr et Taghlib rursum erumperet bellum ». Illa *vacca* non erat sacrificium, primum quod nihil de sacrificio textus habeat; dein quod sacrificii locus aptus non sit *vallis,* sed collis, certe non *vallis plane deserta et saxosa.* Ad eum quippe finem eiusmodi vallem censeo esse selectam, ut omnes oppido perspicerent *non* agi de sacrificio. Vaccae cadaver postmodum non in torrentem proiiciebatur (*Calm.*), secus enim totus torrens polluebatur, cadaver fortasse ab aquis in alienum agrum deferebatur : sed in illa valle deserta relinquebatur. Putrescebat sub divo vacca illa, dum occisus homo honeste sepeliebatur. Qui in vallem illam desertam dilaberetur, conspiciebat, ossa monumentum Iahve vindicis homicidii. Licet porro ipse ritus sit perantiquus et observatus sane etiam fuerit aevo mosaico, tamen lex adaptatur temporibus occupatae terrae sanctae expressionibus v. 1 *in terra etc.* et v. 5 *sacerdotes Levitae etc.* Expressio vero *sacerdotes Levitae* ad aevum iudicum nos revocat. Dicamus legem re esse mosaicam, imo praemosaicam, formae vero ultimam manum admotam esse aevo iudicum.

Cap. XXI v. 1 « *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur caedis reus* », v. 2 « *egredientur maiores natu et iudices tui* » civitatum finitimarum (*Ios.* IV. 8.16), « *et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum* ». Censet *Tost.* id ibi omissum esse, ubi de distantia locorum plane constaret. At, nonne id in casibus vix non omnibus evidens erat? Recole, illam mensionem adhibitam esse non ideo potissimum, quo nosceretur distantia, sed imprimis tamquam ceremoniam, qua omnium circum incolentium hominum excitarentur animi. v. 3 « *Et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quae non traxit iugum nec terram scidit vomere* » (cf. *Hebr.*). Quia ignoratur occisor, reatus devolvitur in eos, qui proxime absunt : non in dominum *agri,* iniuste quippe individuo homini affigeretur reatus, et quid, si possessor agri occisus reperiatur in agro suo? Sed in urbem proxime adiacentem. Animal vero, quod gravi urbis negotio

attribuatur, seligitur tale, quod nulli adhuc privato usui inservierit. Animal feminei sexus adhibetur etiam secus in ritibus, qui purificationem sapiunt : Lev. 4,28.32; 5,6; 14,10; Num. 6,14; 19,2. v. 4 « *Et ducent eam ad vallem* [*asperam atque*] *saxosam, quae nunquam arata est, nec sementem recepit; et caedent in ea cervices vitulae* »; quae expressio prodit non agi de sacrificio.

נחל איתן Am. 5,24 designat *rivum perennem.* Sed recole, נחל sonare tam *torrentem*, quam torrentis *vallem* : torrentes vero neque arantur neque seruntur. *Vulg. saxosam*, adscribens etiam versionem *LXX* τραχεῖαν, *asperam. Aq.* στερεόν, *duram*; *Chald. Syr. vacuam.* Rationem eiusmodi vallis seligendae v. s. Mich. 6,2 scribitur vox parallele ad « petram ». Item Num. 24,21, ubi vertebamus « permanens », sed commode vel commodius verti potest « rupes ». נוה איתן Ier. 49,19;50,44 est habitaculum, caverna in rupe : non enim consuevere leones a Iordane *ascendere* ad quasdem aquas superiores, sed ad sua cubilia, quae saepe sunt in cavernis. Quare non iudico h. l. esse recedendum a versione LXX Aq. Vulg.

v. 5 « *Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei et benedicant in nomine eius, et ad verbum eorum omne negotium* » — ריב, *disceptatio,* cf. 19,17 — « *et quidquid* [*mundum vel*] *immundum est,* [*iudicetur*] ». נגע ne vertas *maculam* seu *immundum,* sed *percussionem.* Adsciscuntur sacerdotes Levitae, non alii quidam sacerdotes, *quia eos* elegit Iahve et ad eos spectat summa omnis disceptationis, tamquam ad tribunal supremum (17,9; 19,17), et speciatim materia percussionis (cf. Num. 35,25. 28). Non tamen accedunt ad sententiam ferendam, cum nulla feratur sententia, sed ad contestationem audiendam. Non agitur de sacerdotibus a sanctuario maximo arcessendis, sed de sacerdotibus prope locum homicidii in urbibus incolentibus. Orator in sacerdotes non Levitas non invehitur, sed sacerdotes Levitas illis omnino antefert, certasque causas illis reservare studet. v. 6 « *Et venient* » *omnes* « *maiores natu civitatis illius ad interfectum* », — sed verte : *qui sunt prope occisum,* quod idem est atque v. 3 civitas, quae proxime abest ab occiso. Dum diligenter (*Ios.*) in occisorem inquirebatur, distantia urbium definiebatur etc., cadaver fortasse iam fuerat sepulturae mandatum. Qui vero describitur ritus, in valle illa deserta, prope cadaver vaccae et torrentem peragebatur — « *lavabuntque manus suas* » nomine totius quam repraesentabant urbis, « *super vitulam, quae in valle percussa est* ». Ex his intimius disce huius ritus significationem. Lege talionis occisio luenda erat morte occisoris; at is ignorabatur; reatus porro in cives proximae urbis devolvitur; at hi sunt innocentes suamque innocentiam solemniter affirmant; ergo eis conceditur, ut

in locum sui vaccam sufficiant, haecque demum verum occisorem repraesentat.

v. 7 *Et respondebunt,* veluti ad accusationem, « *et dicent : Manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt* ». Et alloquuntur Iahven : v. 8 « *Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis* », v. 9 « *tu autem* », inquit orator ad Hebraeos universim, « *alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod praecepit Dominus* ». *Hebr.* : *quod rectum est in oculis Iahve* (cf. 6,18).

17. *Lex de captiva ducenda uxore Deut.* 21,10-14.

Arg. — Lex statuitur in favorem mulieris captivae, quam captor Hebraeus voluerit ducere uxorem. Concedatur ei mensis, quo suos lugeat et assuescat vitae in domo domini sui; dein consummetur matrimonium; si postea dominus noluerit eam retinere uxorem, amice dimittatur in libertatem.

Agitur v. 10 de bello contra hostes non chananaeos inito, cum nefas fuerit (7,3) chananaeas mulieres ducere. Non tamen solo verbo חצא (cf. Num. 10,9) efficitur, agi de non chananaeis. v. 10 « *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris* », v. 11 « *et videris in numero captivorum mulierem pulchram et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem* », v. 12 « *introduces eam in domum tuam. Quae radet caesariem, et circumcidet ungues* », v. 13 « *et deponet vestem, in qua capta est, sedensque in domo tua flebit patrem et matrem suam* », bello interemptos vel procul abactos, « *uno mense* ». Duo haec evidenter intendunt. Primum, ut captiva suaviter praeparetur ad uxoris in domo captoris conditionem : quare in domum introducta vestem captivitatis (Is. 3,24) exuit. Secundum, ut ad eam conditionem transeat cum mora aliqua, qua et ipsa suos sensus componat, et vir (*Philo* : De caritate) suum in eam probet affectum : hinc mulieri conceditur mensis ad lugendos ereptos parentes, tantum tempus quantum luctui hominum maxime insignium concedebatur; idemque videntur spectare praecisa coma et ungues (*Ios.* IV. 8. 23; *Bonfr.*). De unguium quidem praecisione nihil secus habemus compertum, sed coniicere fas est, eandem fuisse indolem praecidendarum unguium atque praecisae comae. Haec autem apud Hebraeos luctus indicium erat, praeter Nazaraeos, quando comam Deo consecratam deponebant. Aliae quae proferuntur explicationes speciosiores sunt quam

veriores; uti *Philonis* in his omnibus cernentis argumenta amoris viri erga mulierem; *Dr.* interpretantis ritum symbolice, mulierem non amplius esse destitutam, sed salvam esse sub tutela mariti, novam inire vitam cum populo electo. « *Et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua* ». v. 14 « *Si autem [postea] non sederit animo tuo* », — *Hebr.* : *non placuerit tibi* — « *dimittes eam liberam* », — *Hebr.* לְנַפְשָׁהּ (Ier. 34,16), *pro placito suo*, ut quocunque placuerit eo abeat — « *nec vendere poteris pecunia, nec opprimere [per potentiam], quia humiliasti eam* » illi concumbens.

לא תתעמר בה : expressionis sensus incertus. *LXX* ἀθετήσεις, *non invalidabis eam. Chald. Syr. non moechaberis cum ea* (a גור, non a תגר, mercaturam agere). Lexicon (cf. *Dr.*) maxime favet versioni *Vulg.* Nota extremo inciso non praefigi copulam (c. *Syr.*; *Vulg. nec*). Opponuntur inter se, interiecta copula, *dimittere liberam* et *vendere pro argento*; dein aliud sine copula subnectitur, externam dimissionis rationem describens : non est illa mulier aspere, inurbane tractanda, violenter et cum obloquio eiicienda, sed dimittenda amice, quod ad copulam coniugalem fuerit admissa.

18. *Lex de iure primogeniti Deut.* 21,15-17.

Arg. — Primogenitus non est iuribus primogeniturae privandus ideo, quod sit filius uxoris minus dilectae.

Haec lex, uti aliae quaedam in hac collectione, non totam materiam pertractat, sed complet tantum. Sententia iudicis excidebat filius iuribus primogeniturae, quoties ob admissum aliquod delictum condemnabatur ad mortem civilem (« peribit anima illa de populo suo »). Fueritne patri apud Hebraeos fas, etiam sine iudicis sententia illis iuribus privare filium ob aliquod delictum, uti Iacob privaverat Rubenum, ignoramus. Certe illud prohibet haec lex, ne primogeniti iura transferantur ob solam praedilectionem. Consonat ea omnino rectae rationi : non tamen hanc regulam secutus est Iacob, quando Iosephum, filium uxoris dilectae, omnibus modis praetulit fratribus. v. 15 « *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam* » (cf. Gen. 29,30 sq.; 1 Reg. 1,5), « *genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus* », v. 16 « *volueritque* » — *Hebr.* : *in die quo dividet* : statutum hunc unum actum respicit, simul tamen incitat maritos, ut aeque et non secundum solam praedilectionem cum uxoribus uxorumque filiis agant — « *substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae* », v. 17 « *sed filium odiosae agnoscet*

primogenitum, dabitque ei de his, quae habuerit, cuncta duplicia » (cf. Gen. 48,22); « *iste est enim principium liberorum eius* », — *Hebr.* : *roboris eius,* virtutis generativae (Gen. 49,3) — « [*et*] *huic debentur primogenita* ».

19. *Lex de filio contumaci Deut.* 21,18-21.

Arg. — Parentum ius vitae et mortis in filios ita limitatur, ut solum morte plectatur filius adultus ob contumacem helluationem post cassam parentum monitionem; sententia vero feratur non a parentibus, sed a iudicibus, effectui mandetur a populo.

Lex prima facie dura (*Cai.*) diligenter est explicanda. Igitur apud Hebraeos antiquitus ius vitae et mortis erat capiti familiae in familiares (Gen. 38,24), patri in filios. Quod ius hoc statuto non exstirpatur, sed sapienter circumscribitur. Agitur primum, quod per se patet, de filio adulto (*Calm.*) : filius aetate minor censebatur peccasse ex ignorantia. Agitur de filio adulto apud parentes degente. Plura eiusmodi filii delicta aliis legibus plectuntur, quae in filios aeque ac parentes feruntur : v. g. idololatria, adulterium. Fertur autem hoc statutum contra speciale aliquod filiorum delictum, non contra probra in parentes coniecta (*Ios.* Ant. IV. 8.24), de quibus nihil habet textus, eaque sufficienter puniuntur lege Lev. 20,9; non contra meram contumaciam v. 18, cum ex accusatione v. 20 pateat agi de contumacia in speciali materia, sc. habitualis excessus in cibo et potu, neque enim haec cum *Dr.* censemus afferri tantummodo ut contumaciae exempla. Sed neque his tota statuti ratio constat : etenim, cur non eadem poena puniatur helluatio a parente vel alio commissa, qua punitur helluatio filii?

Recole, quanti in re publica Hebraeorum momenti fuerit *familia* : tribus constabant familiis; familiae, uti tribus, ut semper florenti conditione permanerent, maxime erat in votis; itemque ut familiarum possessio intacta perseveraret. His omnibus plurimum obstabant helluatio et bonorum cum amicis profusio, quae et hominem a familia abstrahebat, et ad procreandam robustam prolem reddebat minus idoneum, et bona dissipabat. Bono autem familiae invigilare imprimis patris familias erat; ipsi oportebat praesto esse remedium aliquod, ne familiae bonum tam grave detrimentum caperet.

Dices, vel sic poenam videri duriorem. Verum perpende, filio semper integrum fuisse e paterna domo excedere, quod fecit filius prodigus in evangelio; filium supponi a parentibus iterato severe esse castigatum, i. e. monitum; non solum eorum monitis non esse

obsecutum, sed graviter contumacem se exhibuisse, fere etiam contumelias in eos effutiisse (Lev. 20,9). Adverte praeterea, haec ubi omnia obtinerent, nullum fuisse parentibus ius poenae suis manibus infligendae, sed tantum ius filii penes iudices denuntiandi, ius inquam, verba quippe v. 19 sq. non necessario sonant obligationem. Facienda autem ista denuntiatio ab *utroque* parente (*Theodoret.*), quo alterutrius invidia excluderetur, et haec etiam causa duorum testium testimonio definiretur. Sequebatur iuridica causae examinatio, in qua filius eos habens accusatores, quos natura sibi patronos et defensores designasset, iudices reperiebat proniores ad indulgentiam. Disquirebant illi sedulo, num parentes filium diligenter educassent (*Ios.*), ei exempla praebuissent vitae sobriae et bene moratae, eum satis saepe satisque instanter commonuissent. Quodsi in horum aliquo dubii subesset aliquid, crediderim iudices filium dimissuros fuisse prima vice severe admonitum, ut sibi in posterum caveret.

Videtur mihi profecto haec lex affinis esse legis Num. 5,11 sqq. de zelotypia. Uti illa videtur quidem in uxores esse statuta, revera tamen uxores ab iniquis maritorum suspicionibus defendit, ita nostra lex severissime quidem videtur in quosdam filios animadvertere, reapse tamen antiquum parentum in filios ius vitae et mortis sapientibus limitibus circumscribit. Iuverit etiam notare, hanc legem immediate scribi post illam, qua v. 15-17 cavetur, ne ob invidiam parentum filius primogenitura privetur. Poterant autem parentes iniqui, ut filium sive primogenitura sive sua haereditatis portione privarent, praetendere eum ob perditos mores esse excludendum. Cui parentum licentiae haec lex obsistit.

v. 18 סורר ומורה (cf. Ps. 77 [78], 8; Ier. 5,23) est ἓν διὰ δυοῖν. Prior vox scribitur de vacca Prov. 7,11; de meretrice Ps. 67 (68), 7.19 etc., de contumacia in Deum admissa. v. 18 « *Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit* », — i. e. monitus. יסר edicere castigationem corporalem (*Dr.*), non efficitur ex 8,5; Prov. 19,18; 29,17, neque infertur e Prov. 13,24; 22,15; 23,13 sq.; 29,15 — v. 19 « *apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis illius et ad portam iudicii* ». Quod praeter seniores h. l. 22,15; 25,7; Ruth 4,1 sq. 11 efferatur etiam *porta*, crediderim non omnia necessario iudicia habita esse in portis, sed illa utique, quae essent de causis *familias* potissimum attingentibus. Ubi causa agebatur magis *publice*. Item, quod textibus laudatis (etiam Ruth 4,1. 11) semper efferantur *seniores*, et nunquam *iudices*, infero in hisce causis *familias* spectantibus non iudices communes (16,18 sqq.) sed eos, qui *seniores* essent et no-

mine et re, familiarum capita, functos esse iudicum officio. v. 20 « *Dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat [et luxuriae] atque conviviis* ». Ergo contumacia limitatur ad effusionem in conviviis et compotationibus, adhibitis sane combibonibus. v. 21 « *Lapidibus eum obruet populus civitatis et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat* ». Cf. 13,11 (10); 17,5; 22,24.

20. *Lex de cadavere hominis extremum supplicium passi* *Deut.* 21,22 sq.

Arg. — Quando cadaver hominis, qui capitis poenam subiit, ad terrorem aliorum suspenditur, sepeliatur eadem die, ne diuturnior eius aspectus terram polluat.

Non iubentur eiusmodi cadavera suspendi, sed usus agnoscitur et implicite approbatur. Secundum *Ios.* IV. 8. 24 postmodum omnia illa cadavera suspendebantur. Cum *Hebr.* v. 22 habeat *et occisus fuerit* (cf. 1 Reg. 19,11), ergo non agitur de speciali quodam supplicio (*Tost.*), quo quis suspendio, impalatione, crucifixione necabatur; sed hominis, qui alio aliquo supplicio necatus fuerat, cadaver suspendebatur. Cf. *Ios.* IV. 8. 6 : « Qui autem Deo maledicere ausus fuerit, per diem lapidatus pendeat, ac sine honore et obscure sepeliatur ». Cf. *Calm.* : De suppliciis etc., in Dissertationum I. 320 sqq., Wirceburgi 1789. Cf. item Ios. 10,26 sq.; 2 Reg. 4,12. Eundem usum apud Aegyptios deprehendebamus Gen. 40,19, ubi cf. CG p. 543. An illum Hebraei a patriarchis an ab Aegyptiis transsumpserint, non liquet. Usus erat sapiens et quem ipsa fere natura suggerit : exponebatur sc. malefactoris cadaver loco sublimiore, quo omnes salutari percellerentur timore. De supplicio Persarum Est. 7,10 non est, cur h. l. dicamus.

v. 22 « *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adiudicatus morti* » — sed reliqui omnes *et occisus fuerit*; solus *Syr.* occisionem postponit suspensioni — « *appensus fuerit in patibulo* », עַל עֵץ, *in ligno* vel etiam *in arbore*, — v. 23 « *non permanebit* » — *Hebr. pernoctabit* — « *cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur* ». « Supplicio suo Deo et legi satisfecit : non privetur honore sepulturae » (*Calm.*). Foedum erat cadaver, foedius cadaver quod iam putresceret, foedius etiam illud, cuius putrefactio a volucribus rapacibus acceleraretur (Gen. 40,19). « In Dei quodammodo ignominiam cedit, quod homo ad Dei similitudinem factus tamquam luce hac indignus

tam atroci turpique supplicio fuerit afficiendus » (*Men.*). Tamen non has, sed aliam rationem appellat textus : « *quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno* ». *Hebr. Sam. Aq. Theod.* : *maledictio,* quam versionem item profitetur *Hier.* in Gal. 3,13; *M.* 26,360 sqq., ubi plura reperies. Utramque versionem coniungit S. Paulus Gal. 3,13 : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis, qui pendet in ligno ». Ceterum, qui *maledictio* est, idem est et *maledictus.* Cur autem maledictus dicitur praecise ille, qui pendet in ligno? Non quod suspensio sit « supplicium infame et exsecrabile » (*Bonfr.*), cum suspensio non tam sit supplicium, quam supplicii complementum. *Chald.* : *quia peccavit. Syr. Symm.* : *quia blasphemavit Deum.* Sed קלל nunquam dicit blasphemiam in Deum : cf. Gen. 8,21; Ex. 22,28 (27); Lev. 19,14; 1 Reg. 3,13; Is. 8,21; de sola agi blasphemia, negat v. 22; pro blasphemia potius adscribebatur יהוה, quam אלהים, quam vocem praepostere censet *Hier.* a Iudaeis in Christianorum infamiam esse adscriptam. Cum *Cai.* אלהים verte *iudices* (Ex. 22,28) : ille suspensus est *maledictum iudicum* a Deo constitutorum ideoque, etiam si fuerit uti Christus iniuste condemnatus, *legaliter maledictus.* Qui autem maledictus est, non potest tolerari in terra sancta : aut illa excedat (Gen. 4,11) aut, si cadaver est, infra illam sepeliatur. « *Et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem* ». Quando post supplicium cadaver non suspendebatur, continuo sane sepulturae dabatur : non erat, cur de his orator noster aliquid statueret. Aliter res habebat, quando cadaver suspendebatur ad intuentium terrorem : pronum erat illud diutius suspensum relinquere, avibus rapacibus discerpendum, quo salutaris ille terror augeretur. Verum id repugnaturum erat sanctitati terrae, ideoque ab oratore reprobatur.

21. *Lex de rebus deperditis restituendis Deut.* 22,1-3.

Arg. — Fratris hebraei bona, quae deperdita reperiuntur, ad dominum sunt reportanda; si procul is habitet, servanda quoad ea requirat.

Hoc statutum et illud, quod v. 4 habetur, omnino affinia sunt legis Ex. 23,4 sq., non tamen eadem, neque probari possunt ex illa nata esse. Illud agit de *inimico* hebraeo, hoc de *fratre,* quo nomine inimicus hebraeus utique etiam includitur. Hoc plura enumerat e fratris bonis, eadem quae Ex. 22,9 (8) in alio prorsus contextu habentur; perpendit casum habitantis procul.

Cap. XXII v. 1 « *Non videbis bovem fratris tui* », i. e. Hebraei, « *aut ovem errantem, et praeteribis* ». *Hebr.* : *absconderis ab eis*, te retrahes. « *Sed reduces fratri tuo* ». Porro v. 2 קרוב intellige de propinquitate loci, non de consanguineitate. Nomine *fratrum* v. 1 non venire solos consanguineos patet : sed generabat difficultatem distantia. Illud *nec nosti eum* facile interpretaberis *imo, si ignotus sit*. v. 2 « *Etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam et erunt apud te, quamdiu quaerat ea frater tuus et recipiat* ». v. 3 « *Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui quae perierit* : *si inveneris eam, ne negligas* [*quasi alienam*] ». *Hebr.* : *non poteris abscondi*; qui etiam singula expressius inculcat.

22. *Lex de adiuvando in via proximo Deut.* 22,4.

Arg. — Frater hebraeus iuvandus est in via, ubi necessarios non potest in auxilium advocare, primum in erigendo iumento, consequenter in aliis similibus difficultatibus.

v. 4, uti v. 1, incipit vocibus לא תראה : sc. post perditorum restitutionem agitur de auxilio praestando in via. « *Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo* ».

23. *Lex de non simulando altero sexu Deut.* 22,5.

Arg. — Abhorrenda aliarum Asiae gentium licentia, ut mulier vestem virilem, vir vestem muliebrem induat.

Dum alias vir mulieri, hic mulier viro anteponitur. Illius licentiae apud antiquos Aegyptios nihil deprehendimus, utique vero apud Asiae anterioris populos. Erat in Cypro (*Servius* in Aen. II. 632; cf. *Macrob.* Sat. III. 8) Veneris simulacrum « barbatum, corpore et veste muliebri, cum sceptro et natura virili, quod ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri et mulieres in veste virili sacrificant ». Similia agebantur in Veneris templo Aphacae in Coelesyria (*Eus.* Vita Constantini III. 55; *M.* 20,1120 sq.), in cultu Cybeles (*Apul.* Metamorph. VIII. 24 sqq.; *Lucian.* De dea syra 15. 26. 51; *Aug.* De civ. Dei VII. 26 ap. *M.* 41,215 sq.). כלי (cf. ad Num. 31,6) non solas vestes, sed omnem exteriorem ornatum designat. v. 5 « *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea : abominabilis enim apud Deum est, qui facit haec* ».

24. *Monitum quoad aves Deut.* 22,6 sq.

Arg. — **Mater avis dimittatur libera, quando pulli vel ova auferuntur; quae humanitas non carebit praemio.**

Haec sane etiam regula apud Hebraeos antiquitus observabatur : cf. CEL p. 20. Generatim affirmare possumus cum *Calm.*, commendari humanitatem in animalia, quo certius eadem servetur in homines. Cf. illud de hoedo non coquendo in adipe matris Ex. 23,19; 34,26; Deut. 14,21. Notat *Dillm.*, eandem h. l. adscribi benedictionem, quae 5,16 pietati erga parentes attribuatur. Perpende tamen, Hebraeos non esse veritos (Deut. 20,13 sq.) matres cum prole captivas ducere. Ergo haec regula non tam ortum duxit e motivo pietatis, quam ut avis mater alii proli generandae reservaretur (*Calm.*), neque eo tempore destrueretur, quo minus esset apta quae manducaretur. v. 6 « *Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis* », v. 7 « *sed abire patieris captos tenens filios : ut bene sit tibi, et longo vivas tempore* ».

25. *Monitum quoad aedificiorum tecta Deut.* 22,8.

Arg. — Tecta, quae plana erant, loricis cingenda propter periculum.

v. 8 « *Cum aedificaveris domum novam, facies murum tecti [per circuitum]* », — מעקה ab עקה, *detinuit*; στεφάνην — « *ne effundatur sanguis in domo tua, [et sis reus] labente alio [et in praeceps ruente]* ». Sed non iubentur antiquae domus cingi loricis, quod fortasse gravius futurum esset possessoribus. Cf. Ex. 21,33 sq. similem legem de puteo operiendo.

26. *Lex de disparatis Deut.* 22,9-11.

Arg. — Repetuntur, quibusdam additis, aliis omissis, statuta Lev. 19,19 de disparatis.

Statutum v. 9-11 re idem est cum illo Lev. 19,19. Quod ibi habetur de *iumentis* censebam CEL p. 491 corrigendum esse secundum nostrum v. 10. Illud de *vestibus* habes v. 11, sed distinctius. Illud tandem de *agris* h. l. v. 9 transfertur ad *vineas*, adscripta ratione. Licet porro duo statuta re sint eadem, textus tamen ita sunt diversi, ut crediderim non haberi duas eiusdem textus recensiones, sed statutum re unum in hominum mentibus et oribus diversas induisse for-

mas. Ad explicationem cf. quae CEL p. 491 dicebamus. v. 9 « *Non seres vineam tuam altero semine* ». Vites ipsae non seruntur, sed plantantur (20,6) : agitur ergo de alio semine inter vites serendo, quod altera versus pars evidenter confirmat. Cur autem h. l. statutum de solis *vineis* fertur et non, uti Lev. 19,19, de agris universim? Duas solutiones proponit *Dr.* : primam, usum agrorum duplici semine serendorum ita invaluisse oratoris tempore, ut hic ab eo omnino reprobando abstinuerit, statutum ad solas vineas limitaverit; alteram, ut h. l. lex Lev. 19,19 ab agris ad vineas extendatur. Verum Lev. 19,19 crediderim vineas includi in voce שדה : et cur h. l. sanctio pro solis vineis enuntiatur? Suggero igitur, oratoris aevo populum assuevisse agris unico semine serendis, neque fuisse cur id orator inculcaret; at inter vites intererat spatium, e quo avaritia lucrum sibi quaerebat. Qua de re sanctio adscribitur haec : « *ne et sementis quam sevisti, et quae nascuntur ex vinea pariter sanctificentur* », *Chald. polluantur* : sed non est ea verbi significatio. Melius *Calm.* : ne usui sanctuarii cedant tam messis illa quam vindemia. Ergo ea tum statuta erat poena in eos, qui legem v. 9 essent transgressi, ut quidquid eo anno in vinea nasceretur, tam uvae quam fruges, totum cederet sanctuario. v. 10 « *Non arabis in bove simul et asino* ». v. 11 « *Non indueris vestimento quod ex lana linoque [contextum] est* ».

27. *Lex de fimbriis Deut.* 22,12.

Arg. — Repetitur lex, quae Num. 15,38 (cf. CN p. 127 sq.) distinctior quam h. l. legitur.

v. 12 « *Funiculos [in fimbriis] facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris* ». Pro גדלים ibi ציצת et פתיל.

28. *Lex de neonupta, quae corrupta esse affirmatur, Deut.* 22,13-21.

Arg. — Vir si post primum cum uxore concubitum illam declaraverit a se repertam esse non esse virginem, parentes proferent sindonem in illo concubitu filiae sanguine maculatam. Qua coram senioribus civitatis exhibita maritus severe reprehendatur, 50 siclis mulctetur, privetur iure uxoris postmodum, quamcunque praetexuerit causam, dimittendae. Si vero mulier deprehendatur fuisse corrupta, poena plectatur adulterarum, sc. lapidatione.

Cum usus ille sindonis proferendae pro argumento servatae virginitatis etiamnum apud plures Asiae anterioris et Africae septentrionalis populos observetur, qui vix omnes supponi possunt illum ab

Hebraeis transsumpsisse, censendus is est apud Hebraeos exstitisse Moyse antiquior. Cf. *Calm.*, *Dillm.*, *Dr.* Quod item infero e nostrae legis cum lege zelotypiae Num. 5,11-31 evidenti affinitate. Quam legem CN p. 45 pronuntiabamus Moyse esse antiquiorem. Etenim, sicut lex zelotypiae, dum in uxores severitatem praetendit, eas reapse defendit a gratuitis maritorum suspicionibus, ita haec lex neonuptas efficaciter defendit ab inconstantia maritorum. Unica admittitur ratio, cur hic illico post nuptias exigere possit solutionem, praevia sponsae defloratio. Cuius ni plenam proferat probationem, praeter publicam reprehensionem omniumque irrisiones et 50 siclorum mulctam, ius perpetuo amittebat exosae uxoris alio praetextu dimittendae.

בתולים, *signa virginitatis* constant v. 17 *vestimento* seu sindone illa, super quam primus concubitus effectus est, quaeque debuit sanguine sponsae maculari. Ubi advertas, 1) sanguinem illum elici rupta pellicula, quae hymen vocatur; 2) hyminem integrum esse quidem signum ordinarium, minime tamen infallibile virginitatis corporalis; quodsi enim laxior ille sit, quandoque vel in meretricibus perseverat; 3) hyminem rumpi non solum concubitu cum viro, sed manustupratione; ergo hyminem ruptum esse quidem aliquod indicium habiti concubitus, non vero certum argumentum amissae per concubitum virginitatis. Negat *J. Hyrtl* (Lehrbuch der Anatomie des Menschen, 18. Aufl. Wien 1885, p. 818), hyminem rumpi posse eo, quod mulier equitetur aut saltum edat aut cadat. Videtur adstrui posse, in gente sana, robusta, agricola simulque bene morata hyminis integritatem eiusve rupturam esse utique virginitatis servatae perditaeve signum certius, quam in gentibus effeminatis, at nequaquam signum infallibile.

Oportuit hanc legem in mores Hebraeorum effectus exerere a nostris moribus haud parum diversos. « Ubi sponso ius est deficiente signo virginitatis sponsam ad parentes remittere, tanti infortunii timor et puellam ab omni luxuria cohibebat parentumque stimulabat vigilantiam, ut filiam non a marium solum familiaritate, sed ab omni specie luxuriae retraherent... Imo censendae sunt matres mature et instanter monuisse filias, legem hanc eas edocuisse simulque periculum demonstrasse, quod in aliis praeter concubitum licentiis lateret. Non permittebatur filia ea ignorare, quae nos iuniores celamus, ne forte ex ignorantia laberetur. Efficax protectio erat profecto periculi cognitio nuptiaeque, quantum per aetatem licebat, acceleratae » (*J. D. Michaelis* : Mosaisches Recht II. 148 sq., Frankfurt a. M. 1771). Neque dubium matres omni studio enisas esse, ut certo comperirent, utrum filiae nubiles hyminem integrum haberent,

annon. Si non haberent, monendus erat sponsus, qui, si nihilominus in desiderio nuptiarum persistebat, eo ipso abdicabat ius accusationis proferendae. Neque dicas, eiusmodi monitionem a sponso necessario interpretandam fuisse ut admissi adulterii confessionem. Non potuit Hebraeos latere, qui hisce rebus multo magis quam nos semper essent intenti, hyminem quandoque rumpi innocenter. Vel nostro aevo (*Michaelis* p. 154) reperiuntur in Asia, qui filiae sponso declarent vitio naturae hyminem in sua familia quandoque deficere : cur non eadem excusatio quandoque apud antiquos Hebraeos prolata fuerit? — Ceterum in lege v. 13-21 placet distinguere *substantiam* et *accessorium*. Ad illam spectat, ut marito certum esset ius repudiandae neonuptae, quam adulterii ream haberet ob probatas rationes; ut adulterium aut innocentia argumentis demonstrarentur eius moralis certitudinis, quae ad prudenter agendum hominibus revera est satis. Quo argumento moraliter certo aut adulterium aut innocentia demonstraretur, id erat *accessorium*. Porro antiquitus habebatur communiter pro argumento adulterii irrefragabili argumentum sindonis. Quae hoc argumento convinceretur, ea ab omnibus habebatur corrupta, indigna quae in uxoris matrisque familias locum assumeretur, proles ab ea in matrimonio edenda non erat caritura suspicione. Hoc sindonis argumentum, quod antiquitus consentientibus omnibus habebatur efficacissimum ac fortasse unice efficax, nostra lex ratum habet, minime excludens ut, si alia aliquando reperirentur argumenta aut aeque aut magis efficacia, haec illi argumento merito possent substitui. Reapse argumenti sindonis non iam meminit *Ios*. IV. 8. 23. Memento leges Deut. 12-26, quatenus non alibi quam in ea collectione reperirentur, neque aut legitima postmodum consuetudine aut explicita approbatione ratae haberentur, post Davidem vim legum non iam habuisse. Sanxit Deus, quamdiu lex v. 13-21 valuit, ut quoties neonupta argumento sindonis convinceretur, eo ipso matrimonium invalidaretur : num eum infitiaberis id decrevisse iuste? At, nonne gravis aliquando innocenti neonuptae infligebatur iniuria? Omnino, neque tamen illa iniquiore erat loco iis, qui falsa duorum vel trium testium accusatione plectebantur morte.

v. 13 « *Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam* », v. 14 « *quaesieritque occasiones, quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem* » : v 15 « *tollent* [*eam*] *pater et mater eius et ferent* [*secum*] *signa virginitatis eius ad seniores urbis, qui in porta sunt* ». Ergo sindon illa confestim post primum concubitum in parentum transibat postestatem. Habuerint Hebraei morem similem

moris aliarum quarumdam gentium, ut sponsae parentes cum amicis neonuptos comitarentur usque ad thalamum, ibique ante fores exspectarent, quoad illis sindon sanguine maculata traderetur, studiose pro argumento virginitatis asservanda (*Michaelis* p. 152 sq.). Vocem עלילת v. 14 videntur versiones plures repetiisse ab aram. עלא, ergo *occasio, praetextus* : *LXX Vulg. Chald. Syr. Ps. Ion.* E contra *Aq.* ἐναλλάκτικα ῥήματα, *illusiones verborum.* Sed vocis עלילה significatio in comperto est : *facinus*; et quidem facinus malum seu *scelus* Ez. 14,22; Soph. 3,7; Ps. 13 (14), 1; 140 (141), 4. Igitur maritus *imponit* neonuptae seu *imputat ei scelera verborum,* i. e. scelera inania, quae solis eius verbis et affirmationibus nondum probatis constant. v. 16 « *Et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit* », v. 17 « *imponit ei nomen pessimum* », pro quo *Hebr. scelera verborum,* « *ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem. Et ecce, haec sunt signa virginitatis filiae meae. Expandent vestimentum* », sindonem, « *coram senioribus civitatis* ». v. 18 « *Apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum* ». יסר per se solam reprehensionem verbis factam (21,18) exprimit; cum autem vox de verberatione etiam intelligi queat, hoc sensu legem hanc interpretati sunt posteriores Iudaei : *Ios.* 39 plagas infligit. v. 19 « *Condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellae, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel; habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere eam omnibus diebus vitae suae* ». Puella adulterii convicta lapidabatur; cur non lapidatur secundum 19,19 maritus, qui eam adulterii falso accusasset? Quia sic vidua facta esset puella, suoque iure esset frustrata.

v. 20 « *Quodsi verum est quod obiicit, et non est in puella inventa virginitas* », v. 21 « *eiicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui : et auferes malum de medio tui* ». Suggerit *Michaelis* p. 155 sq., matrem sponsae in hoc etiam inquisituram fuisse, annon prima nocte virginitas sponsae intacta mansisset ob defectum copulae virive impotentiam. Quodsi vero de virginitate laesa constabat, sponsa adulterii rea habebatur, quod omissio monitionis sponsi grave in ipsam esset praeiudicium. Puniebatur ut adultera, quod Hebraeae tenera aetate nuberent, desponsatio haberet ipsius contractus coniugalis vim, defloratio ob teneram aetatem vix supponi posset ante desponsationem obtinuisse. Puniebatur pro adulterio commisso *in domo patris,* quod ea aetate puellae semper essent sub tutela parentum. Sed aliquid etiam nostra lex iudicum prudentiae relinquebat. Non dicuntur hi semper ob solum

defectum signi virginitatis *debuisse* sponsam supplicio addicere. Quid, si ea apud omnes insigni modestiae laude floreret, et sancte protestaretur se adulterii non esse ream? Debebat iudicibus persuasum esse, sive ob solum illius signi defectum sive, ubi opus videretur, aliis accedentibus rationibus, accusationem *veram esse,* illam meritam esse *pessimum nomen*; potuitque aliquando fieri, ut iudices censerent sufficientem quidem fuisse sponso rationem sponsae repudiandae, sibi vero non esse sufficientem rationem sponsae supplicio addicendae. Rarae sane erant eiusmodi maritorum accusationes, rariores casus quibus signum virginitatis prolata accusatione deficeret; textus supponit illud vix non semper praesto fuisse, eius defectum v. 20 sq. instar appendicis legi subnectit, versum 15 non uti v. 20 orditur voce אם veluti unam e duabus hypothesibus aequiprobabilibus. Fateor neque sic excludi, ne innocens aliquando puella plecteretur : verum id leges Hebraeorum cum aliorum populorum legibus civilibus commune habebant, ut quandoque fallerentur iudices. Nonne, qui odisset proximum, illum aliquando *casu* interimere potuit iis circumstantiis, quibus secundum cap. 19 tamquam homicida voluntarius plecteretur? Eiusmodi apud nullam gentem non eveniunt, licet ea sapientissimas habeat leges et aequissimos iudices.

29. *Lex de adulterio et stupro Deut.* 22,22-29.

Arg. — Adulteri interimantur. Item, qui stupravit desponsatam; quodsi id fecerit in urbe neque ipsa clamaverit, moriatur etiam ipsa; secus, si fecerit in agro. Qui stupravit non desponsatam, illam ducat uxorem, pensis patri quinquaginta siclis pro dote.

Agitur ergo de violenta oppressione coniugatae, desponsatae, solutae (v. 22.23. 28 כי); desponsatae distinguuntur duo casus, si in loco aut frequente aut solitario (v. 25 אם) opprimatur. Casus e quatuor duo priores, qui iuvenis et puellae supplicio puniuntur, clauduntur verbis : « Et (ita) auferes malum ex Israel ».

Legi v. 13-21, quae est de accusatione adulterii, aliae quaedam adscribuntur, quae sunt fere de eadem re. v. 22 « *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, i. e. adulter et adultera* », secundum Io. 8,5 lapidatione (cf. Lev. 18,20; 20,10), « *et auferes malum de Israel* ». v. 23 « *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate et concubuerit cum ea* », v. 24 « *educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur* » *et morientur :* « *puella, quia non clamavit, cum esset in civitate* », et facile clamoribus adiutores arcessere posset; « *vir, quia*

humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui ». v. 25 « *Sin autem in agro repererit vir puellam, quae desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus* » : v. 26 « *puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum et occidit animam eius, ita et puella perpessa est* »; v. 27 « *sola erat in agro, clamavit* » puella desponsata, « *et nullus affuit, qui liberaret eam* ». v. 28 « *Si invenerit vir puellam virginem, quae non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad iudicium venerit* », — *Hebr.* : *et deprehendantur*; secus matrimonio iungantur consueto modo, et dote de more pensa — v. 29 « *dabit, qui dormivit cum ea, patri puellae quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit eam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitae suae* », quamdiu ipse vixerit. An illis 50 siclis includeretur ipsa dos, an haec praeterea fuerit pendenda, non liquet. Posteriores Iudaei (*Ios.* IV. 8. 23) copulam v. 29 interpretati sunt *aut* : si pater recusaverit illi dare filiam uxorem, tum pendat 50 siclos. At si is erat sensus, scribendum erat : habebit eam uxorem, aut dabit etc.

30. *Lex de non ducenda patris uxore Deut.* 22,30.

Arg. — Repetitur, non tamen ad verbum, prohibitio Lev. 18,8 attentandi coniugii cum uxore patris etiam ea, quae attentantis mater non est.

v. 30 (23,1) « *Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum eius* », sc. patris sui. Sicut turpitudo eius mulieris Lev. 18,8 turpitudo patris est, ita etiam operimentum illius operimentum patris est. Hic unus e casibus Lev. 18 h. l. commemoratur, quia unus tempore oratoris nostri inculcandus videbatur : quando pater relicta iuvene uxore decedebat, commodum videri poterat, ut eam filius suam faceret itaque apud se retineret.

31. *Lex de admittendis vel non admittendis in ecclesiam Hebraeorum Deut.* 23,1-8.

Arg. — In gentem sanctam non admittantur eunuchi, quod circumcisionem decenter subire nequeant; neque Philisthaei, Ammonitae, Moabitae eorumve posteri; Idumaeorum e contra et Aegyptiorum posteri tertia generatione admittantur.

Agitur de *admittendis* per circumcisionem ad iura civilia et religiosa Hebraeorum. Non affirmantur his iuribus excidere ii, qui post

circumcisionem susceptam eunuchi fiant; non excluduntur Aegyptii etc. ii qui, quando haec lex ferebatur, circumcisione iam facti erant Hebraei; multoque minus eorumdem posteri excluduntur.

Excluduntur porro primum *individua* quaedam, eunuchi; cuius rei rationem censeo esse, non evirationis horrorem, quem V. T. ignorat, sed rei indecentiam, ut sigillum foederis abrahamici imprimeretur membro mutilato. Qui cum posteritate carerent, non erat adscribendum *usque ad... generationem*. Excluduntur secundo *gentes* : Ammonitae, Moabitae, Idumaei, Aegyptii. Inter has duas classes interiacent v. 2(3) *mamzer*, qui ad utramne classem pertineant ambigitur. Nomen transcripsere *Aq. Symm. Vulg.*; *LXX Vulg. Ps. Ion.* explicant *filium meretricis*, et *Syr. filium adulterae*. *Rabbini* aliqui (cf. *I. Levy* : Chaldäisches Wörterbuch über die Targumim, Leipzig 1881) vocem explicant, ut denotet natum e quolibet concubitu illicito, quo sensu ipse Iephte erat mamzer; alii sufficiunt natum ex eiusmodi concubitu, quem lex morte punit, quo sensu omnes tum posteri Phares et Zara, tota fere tribus Iuda erant mamzer. Hae versiones et explicationes omnes supponunt agi de individuis quibusdam, innituntur commentis rabbinicis et etymologiae minime certae a verbo מזר, cuius sensus esse creditur *corruptum, sordidum esse* : ergo homines sordidae originis, *bastardi*.

Unico alio textu legitur ממזר, Zach. 9,5 sq. : Videbit Ascalon et timebit, et Gaza et dolebit valde; et Accaron, quia defecit spes eius periitque rex Gaza; et Ascalon non habitabitur, et silens sedebit Mamzer in Azoto; et disperdam tumultum Philisthaeorum. Habes hic evidenter incolas *Azoti* designatos nomine Mamzer. Quocum conferas 2 Esdr. 13, ubi v. 1-3 noster v. 3(4), in quantum de Ammonitis et Moabitis agit, appellatur; ad quas nationes redit ib. v. 23 sq., Ammonitis et Moabitis iam copulans *Azotios*. Unde infero Mamzer designare Azotios et, quod mox demonstrabo, *Philisthaeos* universos. Admissa igitur nominis etymologia supra laudata, quae unica affertur, dicere poteris Mamzer esse nomen probrosum ab Hebraeis aliisque fortasse circum gentibus affixum Azotiis primum ac dein Philisthaeis omnibus. Tamen illa etymologia, licet unica sit, est minime certa, cum ob alias rationes, tum etiam ideo, quod minime constet nomen Mamzer repetendum esse a radice semitica. Altera igitur se offert explanatio. *Philisthiim* non videtur fuisse gentis nomen nativum, sed nomen illis a gentibus, quae iam ante Philisthaeorum adventum eum tractum obtinerent, impositum : *alienigenae*, Ἀλλόφυλοι. At, quodnam fuit nativum gentis nomen, quo ipsi se appellare consueverant? Coniicio fuisse *Mamzer*. Vel fuerit *Mamzer*

primum nativum eius tribus nomen, quae Azoti consedit, atque inde ad reliquas illas tribus transierit, ut iam illi omnes nomine Mamzer gloriarentur, qui ab Hebraeis aliisque vocabantur Philisthaei.

Cum Philisthaeis Moyses non est congressus, eos obiter commemorat Ex. 13,17; 15,14; non erat, cur Moysis tempore Philisthaei Hebraeis essent exosi magis etiam quam Idumaei et Aegyptii. Erat autem plurima ratio extremo iudicum aevo, Samsone imprimis et Samuele iudicibus, quando Philisthaei Hebraeos gravissime opprimebant; minor ratio extremo Saulis regno, quando David hospitio Philisthaeorum fruebatur et, quicunque a Saule alienati essent Hebraei, ad Davidem in Philisthaeam se recipiebant. Porro extremo iudicum aevo *Azotii* primatum obtinebant pentapoleos Philisthaeorum (1 Reg. 5,1; 6,17; cf. CR p. 71 sq.), ut facile concesseris nomen Mamzer, si illud solorum primum Azotiorum proprium fuisse supponatur, ad omnes tum Philisthaeos esse extensum. Aliunde v. 8 haud videtur vim legis generalis potuisse obtinere, antequam 1 Par. 2,34 sq. Ieraa servus Aegyptius factus est caput cuiusdam familiae hebraeae.

Legem igitur, qualis nunc est, natam tribuo extremo iudicum aevo, eidem sc. tempori, quo regni instituendi desiderium hominum animos occupaverat (17,14 sqq.). Dico : qualis nunc est. Etenim indecentia v. 1 eunuchi circumcidendi potuit vel ipso Abrahae aevo sentiri. Anathema in Ammonitas et Moabitas fere debebat ipso aevo mosaico ferri, quando recens erat acceptae iniuriae memoria; similiter benevola de Idumaeis fratribus et de Aegyptiis Hebraeorum sacris accedere cupientibus clausula. Sed v. 2.8 tribuo iudicum aevo ad finem vergenti; v. 8 ideo, quia tempore Ieraa ille tertiae generationis limes nondum videtur viguisse.

Cap. XXIII v. 1(2) « *Non intrabit* [*eunuchus*], *attritis* [*vel amputatis*] *testiculis et abscisso veretro, ecclesiam Domini* ». *Hebr.* duo habet ἅπαξ λεγόμενα : דכא vel דכה (*Sam.*), quod nomen ex etymo significat *attritionem*, et שפכה a שפך, *effundere*, quod censent esse *penem*, sed possunt item esse *testiculi* vel *scrotum*. Ergo : *vulneratus obtritione et praecisus testiculis. LXX* : θλαδίας οὐδὲ ἀποκεκομμένος. *Aq.*, inverso ordine : τραυματίας ἐπιτριμμοῦ (? cf. *Field*). Exprimuntur duo diversi modi castrationis efficiendae (*Cai.*). v. 2 (3) « *Non ingredietur mamzer,* [*h. e. de scorto natus*] *in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem* ». Sed *Hebr.* uti v. 3 : *ne decima quidem generatione,* ergo, uti adscribitur v. 3.6, *in sempiternum*. v. 3 (4) « *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in aeternum* », v. 4 (5)

« *quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Aegypto; et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi* », v. 5 (6) « *et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam, eo quod diligeret te* ». Cf. CN p. 259 sqq. v. 6 (7) « *Non facies cum eis pacem, nec quaeras eis bona cunctis diebus vitae tuae in sempiternum* ». Non praescribitur Hebraeis perpetuum cum illis bellum (*Cai.*), sed uti 1 Esd. 9,12 non debent quaerere pacem et foedus illorum, imprimis foedera nuptiarum, quo ambae civitates foederatae bonis pacis et prosperitate fruantur. Illud *eis* libenter retulerim etiam ad Mamzer seu Philisthaeos. Igitur hoc textu proscribuntur etiam Philisthaearum connubia, sed minus explicite quam Ex. 34,16; Deut. 7,2 sqq. Chananaearum, cum quod illud *eis* non evidenter ad Philisthaeos etiam referatur, tum quod voce *pacem* vere quidem sed implicite tantum connubia exprimantur. v. 7(8) « *Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est* » (2,4; Num. 20,14), « *nec Aegyptium, quia advena fuisti in terra eius* ». v. 8 (9) « *Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini* ».

32. *Lex de munditia castrorum Deut.* 23,9-14.

Arg. — Castra Iahve sancta sunto. In quibus praecepta servanda sunt, uti secus : imprimis, qui immundi sunt pollutione nocturna, debite purificentur; venter purgandus extra castra, et excrementa terra tegenda.

Non agitur de *pugna* (*Vulg.*), sed de *castris*. Praeceptum v. 12 sqq. non tam datur pro castris 600,000 pugnantium, sed pro castris longe minoribus, qualia aevo iudicum habebantur. Si quando exercitus maiores in unum locum contrahebantur, res sine dubio fiebat decenter : fortasse inter agmina intercedebat aliquod spatium, quod etiam propter commeatum erat fere necessarium.

v. 9 (10) « *Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam* », — corrige *in castra* — « *custodies te ab omni re mala* ». « Quia (in) militia solet esse licentia ad multa mala perpetranda, ideo generale mandatum praemittitur, ordinando militarem statum » (*Cai.*). v. 10 (11) « *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra* », — *Hebr.* euphemistice : *homo immundus e nocturno eventu* — v. 11(12) « *et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua; et post solis occasum regredietur in castra* ». Ita simul exploratores habebantur interdiu circa castra.

v. 12 (13) « *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris [ad requisita naturae]* », ergo unus aliquis a duce determinatus locus, qui sane crederetur a periculo hostium esse plane remotus (cf. 1 Reg. 24,4), v. 13 (14) « *gerens paxillum in balteo* ». Ita etiam *LXX* legentes אזור. Pro quo reliqui habent ἅπαξ λεγόμενον אזן, cuius coniiciunt esse significationem *instrumenta, arma* : ergo *habebis paxillum praeter* (*Cai.*) *arma*, arma ipsa huic usui non adhibebis. « *Cumque sederis* », i. e. sedere volueris (*Bonfr.*), « *fodies [per circuitum] et egesta humo operies* », v. 14(15) « *[quo relevatus es]* ». Vertimus, uti alii faciunt. Verum suspicetur quis בשבתך et ושבת formas esse ab eadem radice derivatas, verbumque שבת euphemistice adhiberi consuevisse ad illud negotium designandum. « *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos, et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat foeditatis, ne derelinquat te* ». Ratio horum praeceptorum affertur, decentia et Iahve reverentia. מתהלך, *ire huc illuc* : Iahve castra comitatur per omnia itinera; neque tamen expressio necessario referenda est ad solam Iahve in *arca* praesentiam, sed generatim : praesens adest castris populi sui.

33. *Lex de servo ad Hebraeos profugo Deut.* 23,15 sq.

Arg. — Servus ex aliqua extera regione in terram sanctam profugus non reddatur domino suo, neque libertate privetur, sed sinatur ubi libuerit habitare.

v. 15 (16) « *Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit* ». Cum pronomen *te* (v. 16 *tuarum*) ad totum populum referatur (*Cai.*), non agitur de servo domini hebraei confugiente ad alium hebraeum, qui sine iniustitia detineri non poterat, sed de servo aliunde advecto. Vix dubium est, eiusmodi servos plerumque libenter etiam accessuros fuisse sacris Hebraeorum : tamen textus neque excludit servum Ammonitam vel Moabitam. v. 16 (17) « *Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit* » (cf. Gen. 20,15; Ier. 40,4 sq.), « *[et] in una urbium tuarum requiescet; ne contristes eum* ».

34. *Lex contra prostitutionem sacram Deut.* 23,17 sq.

Arg. — Non toleretur prostitutio sacra neque in mulieribus neque in viris, ne ita quidem, ut eius merces voto erga Iahven exsolvendo impendatur.

v. 17 (18) « *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de*

filiis Israel ». Cf. *LXX*. קדשה est mulier, קדש vir, qui in honorem numinis cuiusdam se offerunt ad luxuriam : Os. 4,14; Gen. 38,21; Ier. 3,2. 6.8 sq. 13; Baruch 6,43; — 3 Reg. 14,24; 15,12; 22,47 (46); 4 Reg. 23,7; Iob 36,14. Prohibentur igitur Hebraeae et Hebraei, quominus luxuriam praetextu religionis exerceant. Non est sermo de alienigenis: qui si id in honorem suorum numinum in terra sancta attentabant, rei erant idololatriae. v. 18 (19) « *Non offeres mercedem prostibuli nec pretium canis in domo Domini Dei tui* » (cf. Ex. 23,19; 34,26; Ios. 6,24; Iud. 19,18). Cum כלבם, canes in inscriptione templi Astartes Larnacae in Cypro (Corpus inscr. semiticarum I n. 86 B lin. 10; cf. A lin. 15; Paris. 1881) scribatur tamquam nomen classis cuiusdam ministrorum sacrorum, sc. ipsorum קדשים, ergo h. l. (*Dr.*) non designantur meretrices etiam vulgares, sed solae meretrices sacrae קדשות. Indecens sane etiam erat pretium vulgaris prostitutionis Iahve offerre : sed hic textus agit de sola prostitutione sacra. Videntur porro aliqui hanc sacram luxuriam tum licitam existimasse, quando eius pretium aut Iahvae ante vovissent, aut alicui voto exsolvendo impenderent. Quare additur : « *quidquid illud est quod voveris* », *Hebr. quoad omne votum,* « *quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum* ». *Utrumque* intellige et *mercedem* et *pretium,* vel potius et *prostibulum* et *canem* : propter hos quippe abominabilis (תועבה) est merces, quae sine illis probro careret.

35. *Lex contra usuram inter Hebraeos Deut.* 23,19 sq.

Arg. — Repetitur lex Lev. 25,37 de (aequa) usura non exigenda ab Hebraeo, sed a non Hebraeo solum.

v. 19 (20) « *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam nec fruges nec quamlibet aliam rem* », v. 20 (21) « *sed alieno. Fratri autem tuo [absque usura id, quo indiget,] commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo* », imprimis agriculturae (cf. 12,7), « *in terra, ad quam ingredieris possidendam* ».

36. *Lex de votorum impletione non differenda Deut.* 23,21-23.

Arg. — Non vovere non est peccatum; verum, quod quis vovit, id accurate praestet et sine mora.

Vota esse exsolvenda statuebatur Num. 30,3, sed non iniungebatur id sine mora esse praestandum. Hoc alterum habet Ex. 22,29, sed ibi explicite de solis decimis et primitiis agitur. Illae igitur leges hac lege quodammodo complentur. v. 21 (22) « *Cum votum voveris Do-*

mino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus et, [si moratus fueris], reputabitur tibi in peccatum ». Cum 12,11 vota maiora iubeantur deferri ad sanctuarium maximum, ergo ille fere erit reus *morae*, qui non detulerit proxima peregrinatione ad sanctuarium. v. 22 (23) « *Si nolueris polliceri* », seu verius *vovere*, « *absque peccato eris* ». v. 23 (24) « *Quod autem [semel] egressum est de labiis tuis, observabis et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo [et] propria voluntate [et] ore tuo locutus es* ». נדבה est *donum voluntarium* sine praevia promissione seu voto Deo oblatum, in oppositione (Ex. 35,29; Lev. 22,23) ad votum : de eo autem v. 21-23 non agitur, sed de solo voto; et si quis *dixit ore suo* se velle tale donum dare, pium propositum enuntians, non votum, non ideo dare tenetur. Crediderim verba : *donum voluntarium*, *quod dixisti ore tuo*, serius esse adiecta. Quod v. 23 edicat, quod *egressum sit de labiis* esse praestandum, putavit aliquis extendi oportere ad dona voluntaria, quorum quis offerendorum propositum, non votum enuntiaverit : ergo verba adscripsit. Verum eiusmodi pia proposita, etiamsi verbis enuntientur, non imponere strictam obligationem, clare definit v. 22.

37. *Monitum de uvis et spicis Deut.* 23,24 sq.

Arg. — Licet uvas in vinea proximi manducare, non vero auferre; licet spicas in eius agro decerpere comedendas, non vero falcem in eius segetem mittere ad manipulum auferendum.

v. 24 (25) « *Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit* », *ad satietatem tibi*, « *foras autem ne efferas tecum* ». *Hebr.* : *in vas tuum ne ponas*, utique ad auferendum. v 25 (26) « *Si intraveris in segetem amici tui, [franges] spicas [et] manu conteres, falce autem non metes* ».

38. *Lex de uxore repudiata Deut.* 24,1-4.

Arg. — Lex haec non instituit repudium neque libellum repudii, neque ea explicite approbat, sed eorum pudendum aliquem praescindit excessum : qui uxorem aliquam dato repudii libello repudiavit, non potest eam recipere, posterioris cuiusdam matrimonii vinculo solutam.

Attendas constructionem v. 1 sqq. : *Si acceperit... et scripserit... et dederit... et dimiserit... et ipsa egressa nupserit... et ipsa morte mariti aut altero repudio fuerit soluta* : *non poterit etc.* Ergo id, quod lex explicite sancit, hoc est : in illis circumstantiis non potest

prior maritus uxorem ad suum torum revocare. Quae lex est sapientissima, magnamque praescindit indecentiam. Quodsi enim ei mulieri relinqueretur spes a secundo toro ad primum remeandi, nonne periculum erat, ne ipsa cum priore marito conspiraret ad necem secundi mariti? aut ne secundus maritus precibus induceretur ad eam repudiandam, quo uxori fas esset ad priorem maritum redire? Cf. *I. D. Michaelis* : Mosaisches Recht II p. 322, Frankfurt a. M. 1771. Lex non prohibet, quominus repudium revocetur, quamdiu mulier nondum iniit alteras nuptias. Lex supponit publico usu receptum fuisse, ut fierent repudia et ut mulier repudiata ad alteras admitteretur nuptias. Haec legem mosaicam etiam rata habuisse, doceris aliis textibus. Lev. 21,7. 14; 22,13; Num. 30,10 (9); Deut. 22,19. 29 repudium sancit; Ex. 21,8 repudium servae et Deut. 21,14 repudium captivae, uti videtur, sat levi etiam de causa; repudiatae alteras nuptias sancit Lev. 21,7. 14; 22,13. Idque in V. T. fuisse licitum confirmat Christus Matth. 19,8 dicens : « Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ». Quibus verbis Christus profecto declarat repudii institutum esse minus bonum. Nostra vero lex usum repudii duplici ratione, implicite et indirecte, limitat : non concedit marito ius dimittendae uxoris *quacunque de causa* neque, si sufficiens causa adsit, dimittendae *brevi manu,* nullisque conditionibus observatis.

Ergo, licet qui Matth. 19,3 Christum interrogabant, utique in mente habebant legem Deut. 24,1-4, tamen Christus v. 8 affirmans : « Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras », non affirmat id Moysen Deut. 24,1 permisisse, neque definit legem Deut. 24,1-4 a Moyse esse conscriptam. Quae lex repudium non tam permittit, quam permissum supponit, uti etiam leges certe mosaicae Ex. 21,8; Lev. 27,7.14;22,13; Num. 30,10(9). Permisit Moyses potissimum, quod repudii usum a maioribus acceptum non revocaverit, ob duritiam cordis populi.

Ut patet, non erat marito ius uxoris pro libitu dimittendae. Ratio legitima vel rationes uxoris dimittendae debuere primitus esse omnibus notae; sed exprimuntur h. l. euphemismo ערות דבר, cuius sensum obscuravere temporum intervalla hominumque libido, ut Christi tempore schola Hillel defenderit uxorem licite dimitti « quacunque de causa » (Matth. 19,3; cf. *I. Knabenbauer* ib.), et *Ios.* (IV. 8. 23) fateatur, « multas eiusmodi causas inter homines proferri ». E comparatione cum 23,14 (15) videtur omnino ille euphemismus spectare partes pudendas, id quod fere tempore Christi docebat schola Schamai. Censet *Bonfr.*, excludi adulterii causam, quod morte plecteretur. Verum istud supplicium nonnisi post rem ad iudicem delatam

infligebatur, potuitque marito licitum esse ea delatione abstinere eique sufficere repudium; potuit licere parentibus, omissa defensione 22,15 sqq., acceptare filiae repudium; erat praeterea causa fornicationis a muliere ante desponsationem commissae; potuit deprehendi illorum duorum ob aliquem defectum naturalem ad coeundum inhabilitas; aut alia quaedam horum similia. Licet autem haec lex nobis iam sit nequaquam perspicua, illud omnino intelligimus, illam mariti potestatem repudiandae uxoris certis limitibus circumscribere. Non quaevis displicentia (v. 1) sufficiebat, sed ea, cuius causa esset ערות דבר; quo uno excluditur extravagans Hilleli opinio.

Neque uxorem maritus repudiare poterat brevi manu, sed libello opus erat, aliqua mora intercedebat, in qua maritus rem maturius perpenderet. Quo aevo plerique scribendi artem ignorarent, erat recurrendum ad sacerdotem, iudicem vel scribam, qui rei rationem exquireret, maritum dissuaderet : an vero hi primitus, quod Rabbinis placuit, habuere ius causae ante editum repudii libellum discutiendae, approbandae vel reiiciendae? Id nequaquam habet textus, qui potius videtur agere de repudio nulla publica, sed privata tantum mariti auctoritate facto, documento tamen legitimo confirmato. In ipso profecto libello non repudii rationes explicabantur, sed mulier declarabatur priore matrimonio esse soluta et ad novas nuptias habilis. Cf. *Calm*. Dices, haec vix ullum reliquisse mulieri remedium contra mariti inconstantiam. Verum, quo tempore sensus expressionis ערות דבר cunctis pateret, nonne potuit mulier ab arbitrio mariti provocare, et coram senioribus civitatis suum ius vindicare simili modo atque Deut. 22 neonupta, quam maritus quereretur esse corruptam? Nonne potuit in illud ערות דבר inquiri simili ratione, atque ibi requirebantur « signa virginitatis »? Nonne potuit iniquus maritus publice reprehendi, mulctari, iure uxoris in posterum dimittendae privari, atque perpetuis civium permitti ludibriis?

Cap. XXIV. v. 1-3 sunt prodosis, v. 4 est apodosis. v. 1 « *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua* »; — verte : *et scripserit... et dederit... et dimiserit* — v. 2 « *cumque egressa alterum maritum duxerit* », v. 3 « *et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua* », — hic primus modus, quo secundae nuptiae solvantur, secundum repudium; sequitur alter modus, secundi mariti mors — « *vel certe mortuus fuerit* », v. 4 « *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est* », — sed *Hebr.* : *postquam polluta est* : licet repudium re-

scindere ante mulieris secundas nuptias, imo ante harum consummationem (*Cai.*) — « *et abominabilis facta est coram Domino* ». Puncta, uti alias : *abominatio istud est coram Domino,* תועבה. « Quia ex coniunctione cum secundo marito indecentia quaedam exsistit, sine qua non possit ad priorem maritum redire. Videretur enim primus maritus non ex animo in repudium consensisse, sed potius alteri eam in temporariam separationem consentiendo concedere voluisse, ut corpore uxoris suae abuteretur » (*Men.*). Eiusmodi abominatione intra fines terrae sanctae commissa, derivatur in hanc reatus non culpae sed poenae, ipsam Deus visitabit malis : « *ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam* ». Ergo omnium civium interest, ut eiusmodi abominationem intra fines suos ne patiantur.

39. *Lex de viro, qui nuper uxorem duxit Deut.* 24,5.

Arg. — Vir recens matrimonio iunctus per annum ab omnibus oneribus bellicis eximatur.

v. 5 legis forma exprimit illud, quod 20,7 forma proclamationis ad milites factae edicebatur : « *Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis iniungetur publicae* » (cf. Hebr.), « *sed vacabit* [*absque culpa*] *domi suae, ut uno anno laetetur cum uxore sua* ».

40. *Lex de pignore pauperis Deut.* 24,6.

Arg. — Non auferenda pro pignore ea, quae ad cibum praeparandum sunt prorsus necessaria.

v. 6 « *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam* ». Sed *Hebr.* : *molam vel* (*LXX* ὀδὲ) *metam*, qui est superior lapis molaris, quo dempto mola est plane inutilis. In oriente quaeque domus suam habet molam, cuius quotidianus usus : cf. Ier. 25,10; Apoc. 18,22. Additur porro ratio : « *quia animam suam opposuit tibi* », i. e. appignoravit tibi. *Hebr.* : *quia* haec faciens *vitam pro pignore sumit.* « Perinde enim est, acsi animam seu vitam tibi oppigneras-set, qui id oppigneravit, sine quo omnino vita duci non potest » (*Bonfr.*). E mente huius legis erat, ut neque alia ad vitam necessaria pro pignore sumerentur. Cf. *Cai.* et v. 12 sq.

41. *Lex de plagio Deut.* 24,7.

Arg. — Qui Hebraeum primum blanditiis allectum, dein violenter detentum in servitutem divenderit, interficiatur.

v. 7 « *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo* [*acceperit pretium*], *interficietur* » *fur ille,* « *et auferes malum de medio tui* ». Sed *Hebr.* : *furans animam de fratribus suis,* id est *de filiis Israel,* virum vel mulierem vel infantem, *et violenter detinens eum.* Repetitur lex Ex. 21,16, quibusdam mutatis. Sc. praeter adiectam clausulam (*et auferes etc.*) insistitur violentae detentioni, sine qua fortasse furti probatio non videretur esse completa. Omittitur illud ונמצא בידו (cf. CEL p. 220), ita ut poena mortis ante completam venditionem non incurratur. Adscribitur agi de Israelita vendendo : id sine dubio potissimum intendebat legislator Ex. 21, sed quod multi tum Hebraeis adhaererent alienigenae, legem ita expressit ut eos etiam protegeret.

42. *Lex de lepra Deut.* 24,8 sq.

Arg. — Leges de lepra ante statutae universim inculcantur.

v. 8 « *Observa diligenter,* [*ne incurras*] *plagam leprae* ». Non agitur de illa non *incurrenda*, quod humana diligentia saepe nequit impedire, neque de hac re ulla statuta edita fuere; sed iniungitur stricte servanda thora Lev. 13 sq. de leprosis edita. « [*Sed*] *facies, quaecunque docuerint te sacerdotes levitici generis, iuxta id quod praecepi eis, et imple sollicite* ». Verba produnt exstitisse tum legem articulatam de lepra; fuisse *thoram* (יורו — imo *Sam.* inter בכל et אשר legit nomen תורה : cf. Lev. 13,59; 14,2. 54 תורה); fuisse scriptam (*Dillm.*), cum sine scripto vix potuerint sacerdotes particularia quaeque ita exsequi, sicut praeceperat eis Iahve; fuisse sacerdotum Levitarum curae commissam; ergo exstitisse thoram Lev. 13 sq. Si porro quis ambigat, eane thora fuerit eiusdem adamussim formae atque thora Lev. 13 sq., dubii argumenta afferat necesse est. Sed v. 8[b] dissonat a v. 8[a] et v. 9, primum quod a 2. pers. sing. transeat ad 2. pers. plur., quae tamen facile tollitur difficultas punctando השמר pluralem; deinde, quod abrupte (cf. 7,4) videatur introducere Deum loquentem, cum non collector sed Deus sacerdotibus *mandaverit* de lepra. Cum scriptione plena *Sam.* צויתים cf. *LXX* צויתיכם vel צויתכם; recole, antiquos characteres י et כ fuisse perquam similes, et verte : *Observate quoad plagam leprae, servantes diligenter et facientes*

secundum omnia, quae vos docebunt sacerdotes Levitae; sicut ego praecipio vobis, servabitis et facietis. Ne hac in re sacerdotum auctoritas in dubium vocetur, eam sua auctoritate firmat collector. v. 9 omnes contra Vulg. : *Memento... tuus... egredereris.* v. 9 « *Mementote, quae fecerit Dominus Deus vester Mariae in via, cum egrederemini de Aegypto* » (Num. 12). At, quorsum demonstratur Maria? « Quod percusserit eam lepra, quia murmuraverit contra Moysen » (*Tost.*). Cavete, « ne simile vobis contingat, si sacerdotes contempseritis » (*Bonfr.*). Tamen Maria non contempsit sacerdotes, sed Moysen prophetam; pontificem Aaron habuit murmurum socium. Vel ipsa Maria, inquit *Malv.*, propter lepram debuit septiduo e castris exsulare. Sed Maria non exsulavit vi thorae Lev. 13 sq., sed speciali Dei mandato; in ea neque diagnosis locum habuit secundum legem, quia Maria evidenter a Iahve percussa erat lepra, neque constat ritum emundationis Lev. 14 in ea esse observatum, quia a Iahve ipso declarata erat munda. Ideo fortasse demonstratur Maria, ut intelligant Hebraei materiam leprae Iahven reservasse sibi, per se vel per suos sacerdotes electos administrandam.

43. *Lex de debitore paupere Deut.* 24,10-13.

Arg. — Traduntur leges aliquae in favorem pauperum et inopum. Pignus traditur, ut sit debiti non aequivalens sed argumentum. Debitor illud seligat, non creditor. Pallium, quod pauper oppigneravit, ei restituatur ante noctem, cum eius retentio vel per breve tempus sufficiens sit argumentum contracti debiti.

Pignus omnino aliud est quam aequa usura 23,19 sq. — v. 10 « *Cum repetes a proximo tuo* » hebraeo « *rem aliquam, quam debet tibi* », ergo *debitum* (*Hebr.*), « *non ingredieris domum eius, ut pignus auferas* », non ad te pertinet seligere pignus, quo se obliget ille ad mutuum suo tempore restituendum; v. 11 « *sed stabis foris, et ille tibi proferet,* [*quod habuerit,*] » *pignus foras.* Sequentia produnt pauperes frequenter pro pignore obtulisse pallium, quo facile carerent interdiu, sed indigebant noctu ad arcendum frigus. Sicut v. 6 vetabat pro pignore auferre necessaria ad victum, ita v. 13 vetat per noctem retinere necessaria ad quietem (cf. *Cai.*), v. 17 retinere necessaria ad decentiam interdiu et quietem noctu. v. 12 « *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus* », v. 13 « *sed* [*statim*] *reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas iustitiam coram Domino Deo tuo* ».

44. *Lex de mercenario paupere Deut.* 24,14 sq.

Arg. — Mercenario pauperi, tam alienigenae quam hebraeo, solvatur merces dietim.

Haec lex non solos fratres hebraeos respicit, sed etiam mercenarios alienigenas in terra sancta degentes. v. 14 « *Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui sive advenae, qui tecum moratur in terra* [*et*] *intra portas tuas* [*est*] ». Neque solum non deneganda, sed prompte danda : v. 15 « *sed eadem die reddes ei pretium* [*laboris*] *sui ante solis occasum; quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam* », vitam suam : « *ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum* ».

45. *Lex de propinquis non implicandis supplicio sontis Deut.* 24,16.

Arg. — Supplicio sontis non implicetur eius pater eiusve filii.

v. 16 « *Non occidentur patres pro filiis nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur* ». על ne vertas *pro*, sed *cum*. Cf. Ez. 18,20. Deus (Deut. 5,9; Ex. 20,5) visitat iniquitatem patrum in filios (non filiorum in patres, nisi hi fuerint causa iniquitatis filiorum) in quartam generationem : sed non agitur hic de divinae providentiae agendi ratione, sed de supplicio infligendo ab auctoritate civili. Apud alios Asiae populos tota familia implicabatur supplicio sontis : Est. 9; Dan. 6,24. Idipsum apud Hebraeos in usu fuisse, demonstrari nequit. Familia Achan Ios. 7,24 sq. interimitur, quod sit exsecrata (חרם); 2 Reg. 21,1 sqq. non agitur de supplicio sontis. Ob hanc legem servatam laudatur Amasias 4 Reg. 14,6; 2 Par. 25,4 : laudandus profecto erat, quod hanc legem servaverit, etiam ubi de familiis eorum ageretur, qui eius *patrem* interfecissent. Si hinc quis inferat, legem ab Amasiae antecessoribus non esse servatam, nondum probatum habet eam legem tum nondum exstitisse, sed illos reges, hac in re uti in aliis, secutos esse prava exempla aliarum circa nationum.

46. *Lex de iustitia et misericordia erga egenos Deut.* 24,17 sq.

Arg. — Iusta quoad illos sententia feratur. Indulgentia illis exhibeatur in re pignoris.

v. 17 « *Non pervertes iudicium advenae et* » — hanc copulam recte scribunt *LXX Vulg. Syr.* — « *pupilli, nec auferes pignoris*

loco viduae vestimentum »; uti v. 6 egeni pallium, Iob 24,3 viduae bovem. Deut. 16,19 universim « non flectes iudicium »; Ex. 23,6, brevius quam hic, « non flectes iudicium pauperis »; hic, uti Ex. 22,21 sq. (20 sq.) et saepius in Deut. (cf. ad 14,29), tres classes enumerantur : advenae, orphani, viduae. Tandem legibus omnibus inde a 16,18 (v. p. 112 sqq.) vim legis attribuit v. 18 : « *Memento, quod servieris in Aegypto, et eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem* ».

47. *Lex alia de misericordia erga egenos Deut.* 14,19-22.

Arg. — Quae remanent in agro post messem, olivarum collectionem, vindemiam, pauperibus permittantur.

Lex haec alia est a lege v. 17 sq., cum interiecta formula v. 18 ab illa separetur, habeatque articulos (v. 19.20.21) ordientes voce כִּי, dum lex v. 17 sq. sit negativa.

v. 19.21 re idem est cum Lev. 19,9 sq.; 23,22. Quod ibi de agro et vinea habetur, id h. l. v. 20 extenditur ad oliveta. v. 19 « *Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum : sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum* ». v. 20 « *Si fruges collegeris* » — *Hebr. excusseris* — « *olivarum, [quidquid remanserit in arboribus] non [reverteris, ut] colligas : sed relinques advenae, pupillo ac viduae* ». Difficile a פאר, *ornare,* derivatur significatio *perquirere ramos. Chald. Syr.* pro תפאר fortasse legebant תפקד, *quaeres,* literis simillimis. v. 21 « *Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos* » (Lev. 19,10), « *sed cedent in usus advenae, pupilli ac viduae* ». v. 22 « *Memento, quod et tu servieris in Aegypto, et idcirco praecipio tibi, ut facias hanc rem* ». Cf. v. 18.

48. *Lex de rixis Deut.* 25,1-3.

Arg. — Quando disceptantes detulerint causam ad iudices, pro qua specialis poena in lege non est statuta, iustam sententiam ferant iudices. Dein, si visum fuerit, iudex unus reum illico verberari iubebit pro ratione delicti commissi, ita tamen ut numerus ictuum quadragenarium non excedat.

Hanc verberum poenam a iudicibus infligendam alias in V. T. non commemorari (cf. tamen 2 Cor. 11,24) inde est, quod ea pro minoribus

disceptationibus (ריב, ἀντιλογία) infligeretur, cuiusmodi non consueverunt recensere historiarum scriptores. *Cap. XXV* v. 1 « *Si fuerit causa inter aliquos et interpellaverint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiae palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis* ». Planius *Hebr.* : *Si fuerit disceptatio inter homines et accesserint ad iudicium, iudicabunt eos*, i. e. causam examinabunt, *et iustum declarabunt eum qui iustus est, et condemnabunt eum qui iniquus est;* ergo non flectent (24,17) iudicium. v. 2 « *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit* [*et plagarum*] *modus* ». Haec unico iudici attribuit *Hebr.* : *prosterni eum iubebit iudex, et verberari coram se.* Ipse iudex invigilabat, ne modus excederetur. Aequum erat, ut uni iudici auctoritate et aetate gravi definiendus permitteretur modus poenae, qua in re iudices plures facile dissensissent inter se. Poterat etiam sine plagis dimitti reus, severe monitus. v. 3 « [*Ita dumtaxat, ut*] *quadragenarium numerum non excedant, ne foede laceratus ante oculos tuos* [*abeat*] *frater tuus* ». *Hebr.* : *Quadraginta percutiat eum* : *non ultra, ne ultra illum percutiens plagis multis ignominia afficiat fratrem tuum coram te,* populo Hebraeo. Cum v. 2 statuerit, numerum plagarum debere correspondere delicto, ergo v. 3 statuit maximum plagarum, quod nunquam in his causis minoribus liceat excedere. Pro causis maioribus alia supplicia lege statuta erant.

49. *Monitum de bove triturante Deut.* 25,4.

Arg. — Avaritia vitanda, etiam in re bovis triturantis.

v. 4 « *Non ligabis* [*os*] *bovis terentis* [*in area fruges tuas*] ». E textu deducit S. Paulus 1 Cor. 9,9 et 1 Tim. 5,18 conclusionem, homini ius esse, ut de labore suo vivat. In oriente vel nunc, spicis per aream sparsis, circumducuntur per aream boves, qui ungulis grana excutiant; quorum os etiam nunc plerumque non alligatur. Ita bovi integrum est, aliquid segetis manducare.

50. *Lex de coniugio leviratus Deut.* 25,5-10.

Arg. — Quando fratres contiguas sedes habent, unusque moritur nullo relicto filio, frater tenetur defuncti viduam ducere, cuius primogenitus defuncti familiam continuet et haereditatem accipiat. Si frater coram senioribus urbis officio fungi detrectet, vidua il-

lum detracto quidem calceo declaret obligatione solutum, simul tamen sputo et verbis significet, eum rem egisse probrosam.

Obligatio illa cum in stirpe electa patriarcharum aevo, tum apud eorum aequales Chananaeos tam sacra habebatur, ut Gen. 38 neque Iuda neque Onan cogitaverint de illa in dubium vocanda. Imo institutum coniugii leviratus, quibusdam quandoque mutatis, apud tot gentes reperitur Hebraeis minime affines, praeter Arabes sc. apud Mongoles, Caucasios, Drusos, Aethiopas, Gallas, veteres Indos et Persas etc. (cf. *Dillm.*, *Dr.*), ut coniicere fas sit illud esse perantiquum, et antiquissimarum gentium vix non fuisse commune. Illud apud Hebraeos esse perantiquum, praeter factum Gen. 38, illud item efficit (*Dillm.*), Hebraeos pro illo significando speciale habuisse verbum, יבם. Factum vero Gen. 38 illud etiam demonstrat, patriarcharum aevo obligationem leviri non unico fratri sed, ubi opus esset, singulis ex ordine fratribus fuisse implendam. Cf. Matth. 22,24 sqq. casum a Sadducaeis Christo propositum. Idem factum cum Ruth 1, 12 sq. comparatum demonstrat, non excusasse aetatum disparitatem, nisi tam provecta aetate esset mulier, ut partus sperari non posset. Finis autem legis leviratus erat praecavere confusionem haereditatum, quae exstinctionem familiae facile consequeretur. Eum fuisse finem omnino primarium exinde patet, quod (v. 5) solus defuncti frater *simul habitans*, i. e. « ubi familiae esset haereditas » (*Bonfr.*), ad leviratum adigeretur : ipse unus sc. poterat haereditatem et suam et fratris defuncti administrare (*Kn.*); patet etiam inde, quod in genealogiis filii a leviro prognati haud raro tamquam ipsius leviri recenseantur, v. g. Obed ut filius non Mahalonis sed Booz : non tanti fiebat familiarum distinctio, dummodo haereditates perseverarent intactae.

v. 5 « *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri* », ἀνδρὶ μὴ ἐγγίζοντι, viro alterius familiae. Eiusmodi lex est strictae interpretationis : ergo intelliguntur veri *fratres*, non latiori acceptione consanguinei quique; intelliguntur etiam fratres e diversis matribus, sed ex eodem patre prognati, quia hi vere sunt fratres et communis patris dividunt haereditatem; non intelliguntur fratres ex eadem matre sed diversis patribus nati, quia licet sint veri fratres, deficit tamen inter eos haereditatis communio (*Bonfr.*). E Matth. 22,24 sqq. fere sequitur, fratres ad leviri officium adactos esse ratione aetatis, ut viduam primogeniti duceret secundo genitus; quid vero actum sit, quando non primogenitus sed fortasse tertius sine filio decessisset, viduamne duxerit primogenitus an quartus, compertum non habe-

mus. Frater non *habitans simul,* seu non habens haereditatem contiguam, ad nihil tenebatur (c. *Cai.*). Ex historia Ruth colligitur, deficientibus fratribus cognatos a vidua appellari potuisse ordine propinquitatis : id noster textus non effert, quia de sola stricta obligatione agit, quae non incumbebat cognatis : poterant hi, sine ulla infamia, renuntiare viduae simul et haereditati (*Lap.*). Cognatus Ruth 4,8 calceum exuit in signum renuntiati iuris, sed non conspuitur, non nomine probroso notatur. *Hebr. Sam. Chald.* et *Vulg.* ad Matth 22,24 *filius*, *Syr. filii*, sed *Vulg.* h. l. *liberi*, *graecus* Matth. 22,24 τέκνα; *LXX* h. l. σπέρμα. Hi sc. exprimunt posteriorum Iudaeorum praxin (*Ios.* IV. 8.23), matrimonium leviratus tum tantum admittentium, quando omnino sine liberis decesserat frater. Ceterum nobis h. l. exponendus est solus tenor legis Deut. 25,5-10, non quae posterius invaluit praxis.

« *Sed* » — *levir ibit ad eam* (Sam. אליה pro עליה) *et* — « *accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui* » (cf. *Hebr.*), v. 6 « *et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit* », *Hebr.* hic *assurget in nomine fratris,* familiae nomen producet, « *ut non deleatur nomen eius ex Israel* ». Statuitur ergo pro casu hominis sine filiis defuncti exceptio legis Lev. 18,16; 20,21 (*Cai.*) prohibentis ducere fratris uxorem. v. 7 « *Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui,* [*quae ei lege debetur*], *perget mulier ad portam civitatis et* [*interpellabit*] *maiores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in coniugem sumere* ». v. 8 « *Statimque accersiri eum facient et interrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem accipere* », v. 9 « *accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede eius* ». Secundum Ruth 4,7 detractio calcei erat symbolum abdicati iuris, quem sensum idem ritus sane etiam h. l. habet (*Malv.*). Sed aliud est, uti Ruth 4,8, detrahere calceum sibi manu propria, aliud illum pati detractum a muliere. Ille erat ritus legalis nihil habens ignominiae : verum perquam ignominiosum erat, calceum sibi a muliere detrahi permittere (*Bonfr.*, *Calm.*). Non ipse se privabat iure suo, rogatus ab altero nomine mulieris uti Ruth 4,8, sed mulier eum privabat. Ad illud quippe ius e medio tollendum non sufficiebat eius revocatio a solo viro facta, mulier illud viri ius exstinctum pronuntiabat illo ritu cum summa viri ignominia, cuius symbola erant sputum, verba v. 9 et nomen v. 10. Sapienter quippe statuebat haec lex, ut sola ignominia talis vir puniretur, non aliis poenis ad mulierem ducendam adigeretur : nequeunt homines cogi in connubium, et quandoque potuit vir sapienter illud connubium recusare. « *Spuetque in*

faciem illius », — verti etiam potest : *coram illo*, sc. in terram — « *et dicet : Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui* ». Fiat sicut sputum in terram proiectum, abiectum, nomine carens et posteritate. v. 10 « *Et vocabitur nomen illius in Israel Domus discalceati* ». *Nomen eius* intellige uti v. 6 nomen familiae seu *domus*. Cui opponas « celebre nomen », quod Ruth 4,11 apprecatur populus viduae aedificanti domum mariti defuncti per levirum. Vix attingunt interpretes quaestionem, sintne v. 10 verba mulieris legisve decretum. Hoc alterum sentire videntur *Tost.*, *Cai.*, secundum quos lege decretum fuerit, ut posteritas viri illius perpetuo probro notaretur. Sed verba possunt aeque facile accipi, ut prolata sint a muliere : Sic fiat homini, qui etc., vocetur nomen illius etc. Mulier reiecta domui leviri perpetuum probrum apprecatur et, ut homines illud probrum contuiti agnoscant illud infligi ob recusatum aliquando leviri officium.

51. *Lex contra mulierum procacitatem Deut.* 25,11 sq.

Arg. — Mulier volens marito rixanti succurrere prehensis manu verendis adversarii, mulctatur praecisa manu; neque hac in re admittuntur circumstantiae attenuantes.

v. 11 « *Si habuerint inter se iurgium viri* [*duo*] », *vir cum fratre suo Hebraeo*, — pro quo *Vulg.* : « *et unus contra alterum rixari coeperit* » — « *volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum et apprehenderit verenda eius* », cum illi sine vestibus superioribus supponantur pugnare, v. 12 « *abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia* ». « Ad iudices hoc praeceptum dirigitur. Ratio huius poenae est, tum quia pudendum et ignominiosum hoc muliebre est facinus, tum quia laeso hoc membro generationis et posteritatis fons omnis intercipitur » (*Bonfr.*). Si excipias legem talionis, haec unica mutilatio in lege mosaica praecipitur (*Kn.*). Nota, poenam statui non solum ob laesa, sed vel ob prehensa verenda; non admitti pro excusatione periculum etiam exitiale mariti; neque videri admitti excusationem ignorantiae (בשגגה), si mulier protestaretur se abreptam fuisse coeco timore amittendi mariti : vel tum ille actus prodebat in muliere lugendam morum cruditatem, quam exstirpare vult haec lex. Legem de re non absimili habes Ex. 21,22. Pie licet sperare cum *Dillm.*, eiusmodi enormia mulierum facinora raro admodum accidisse : tamen, quod lata sit aliquando de ea re specialis lex, suggerit hominum mores aevo iudicum fuisse quandoque feroces et crudos.

Lex cum sit strictae interpretationis, in solum illud, quod v. 11 describitur, delictum fertur. Concedi tamen potest cum *Dillm.*, hanc legem iudicibus normam aliquam suppeditasse, secundum quam de similibus quibusdam facinoribus iudicarent, si ea ad suum tribunal deferrentur.

52. *Lex de iustitia in pondere etc. servanda Deut.* 25,13-16.

Arg. — Inculcatur rursum (cf. Lev. 19,35 sq.) iustitia in pondere et mensura; uti ibi non adscribitur poena a iudice infligenda, valebant sane generales leges restitutionis pro furto; sed h. l. demonstratur Deus vindex.

v. 13 « *Non habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus* ». *Hebr.* : *lapidem et lapidem*; sc. lapidibus utebantur pro ponderibus. Reperta sunt Assyriorum pondera aerea et testea, forma leonis vel anatis; Aegyptiorum, quae filis cupreis constant. v. 14 « *Nec erit in domo tua modius maior et minor* ». איפה, mensura solidorum, imprimis frugum. Cf. Prov. 20,23; Ez. 45,10; Am. 8,5; Mich. 6,10. v. 15 « *Pondus habebis iustum et verum, et modius aequalis et verus erit tibi* », — שלם, *integer,* non diminutus : ergo *verus* — « *ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi* ». v. 16 « *Abominatur enim Dominus* » *Deus* « *tuus eum, qui facit haec, et aversatur omnem iniustitiam* ». תועבה.

53. *Decretum contra Amalecitas Deut.* 25,17-19.

Arg. — Renovatur divinum Ex. 17,14 contra Amalecitas decretum.

v. 17 « *Memento, quae fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Aegypto* », v. 18 « *quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi* [*residebant*], *caeciderit, quando tu eras fame et labore confectus et non timuerit Deum* ». Amalecitae Idumaeis mixti (Gen. 36,12; cf. 14,7) quodammodo erant Hebraeorum *fratres* : sed non egerant cum illis fraterne. De eorum impugnatione nonnihil plus h. l. edocemur quam Ex. 17. Non proelio palam Hebraeos aggressi fuerant, sed in itinere lacessiverant, moratores confecerant, latronum potius quam militum instar. Neque tamen ea est iniqua ratio hostibus nocendi, ob quam unam merito dicantur Amalecitae non timuisse Deum, ergo impie egisse. Fortasse Hebraei ad eos legatos miserant de pace, nomen fratrum praetenderant, sangui-

nem Abrahae appellaverant. Quos illi audire noluerint. Ceterum in transiordanica (Num. 24,20; cf. CN p. 303) amice potius videntur Hebraei habuisse Amalecitas quosdam. At Gedeonis imprimis aevo (Iud. 6,3.33; 7,12) oppressere Hebraeos Amalecitae, non suis soli viribus fisi, sed Madianitarum agmini iuncti, fortasse rursum latronum potius ritu quam militum. Unde perspicitur eo aevo revixisse Hebraeorum in Amalecitas antiquum odium et acceptae iniuriae memoriam. v. 19 « *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem* » *de cunctis circum inimicis tuis*, — pro quo *Vulg.* : « *et subiecerit cunctas per circuitum nationes* » — « *in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub coelo* » (verbotenus uti Ex. 17,14). « *Cave, ne obliviscaris* ». Fuerint quodammodo obliti Num. 24; at posteriores inimicitiae memoriam redintegrarunt; tandem Saul 1 Reg. 14,48; 15 antiquarum iniuriarum vindictam exegit. v. 17-19 certe non scripta sunt post Saul, sed ante eum, fortasse inter Gedeonem et Saul.

54. *Leges duae a familiis observandae, quando primum adeptae sunt suam possessionem, Deut.* 26,1-15.

Arg. — Quando quisque suam in terra sancta possessionem nactus est, aliquid primae omnium fructuum segetis reponens in canistro afferat pontifici, solemniter protestatus se omnia terrae sanctae bona uni Iahve referre accepta. Canistrum interim ante altare depositum reddat pontifex offerenti, ut cum suis laetum prope sanctuarium epulum celebret.

Meminit Bonfr. *nonnullorum,* qui censuerint, « hoc speciale esse praeceptum rei dumtaxat semel faciendae »; cui sententiae favet item *Gord.* Reapse, hic non agi de *primitiis* quae quotannis, neque uno omnes tempore, deferrentur, infero primum inde, quod ii, de quibus hic agitur, primi fructus deferendi fuerint v. 3 ad *pontificem*, porro infinitus erat pontificis labor, si ei ad singulos quosque primitias offerentes erat prodeundum atque audienda homilia v. 5-10, quae etiam in omnium labiis esset eadem. Non perspicitur, cur tanta solemnitas adhiberetur traditioni primitiarum, dum oblatio primogenitorum, decimarum etc. fieret sine tanta solemnitate. Cum v. 2 canistrum dicatur implendum *de* ראשית, ergo si hac voce exprimantur consuetae primitiae, accurate hac lege definiendum erat, *quantum* illarum primitiarum canistro esset imponendum, ne totae mox primitiae conviviis absorberentur. Ceterum haec lex, si de consuetis primitiis accipiatur, aperte contradicit legi Num. 18, quae

totas illas primitias sacerdotibus concedebat. Sc. ראשית de se omne genus *initii* significat, et e contextu est definiendum. Si referatur vox ad unam aliquam *messem,* designat *primitias* eius messis; si ad unum aliquem *agrum,* designat eius agri *primam segetem.* Agitur h. l. de ritu, quem singulae familiae semel, neque eodem omnes tempore, obibant : constat quippe e Iud. 1, plures terrae sanctae tractus fere usque ad regum tempora in manibus alienigenarum perseverasse. Quoties aliqua stirps vel familia finibus sibi attributis tandem potiebatur, tum et non ante, aliquid primae segetis, tantum certe quantum convivio v. 11 satis esset, deferebat pater familias ad sanctuarium, non sacrificio absumendum neque sacerdotibus concedendum, sed laeto familiarium convivio attribuendum.

Cap. XXVI v. 1 « *Cumque intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam atque habitaveris in ea* », — tria verba tres enuntiant conditiones, quae primum impleantur oportet, quam lex effectui mandetur (*Tost.*) — v. 2 « *tolles de cunctis frugibus tuis primitias* » — *Hebr.* : *tolles de* ראשית : non datur aliquid *de* primitiis sacerdoti 18,4, sed dantur ipsae primitiae : ergo ראשית h. l. non significat primitias, sed primam segetem — « *et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen eius* ». Porro v. 3 *sacerdos, qui fuerit in diebus illis* est *pontifex* (*Tost.*; cf. ad 17,9; 19, 17); esset enim plane otiosa ea sententia relativa, si de simplici sacerdote ageretur. v. 3 « *Accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor* », indico, annuntio, « *hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iuravit patribus nostris, ut daret eam nobis* ». Declarat causam, ob quam ad pontificem accedat : quae declaratio vera erat et apposita, quo tempore familia aliqua suos fines primum occupasset, erat autem fere ridicula, si supponatur facta esse quoties primitiae deferrentur. v. 4 « *Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui* ». Non imponit aliquid frugum altari ut mincham, sed totum canistrum ponit *ante* altare et veluti sub oculos Iahve. v. 5 *Et respondebis* « *et loqueris in conspectu Domini Dei tui* » : — verba, quae in hoc ritu post depositionem canistri pronuntianda sunt, *responsum* appellantur — « *Syrus persequebatur patrem meum* ». Verte sec. *Hebr.* et cf. Ps. 118 (119), 176 : *Aramaeus vagus fuit pater meus,* sc. Iacob. Sicut Gen. 25,20; 28,5; 31, 20. 24 Bathuel et Laban origine Arphaxadaei, quod Aramaeam incoluerint, dicuntur Aramaei (CG p. 32), ita Iacob, qui tot annis apud Laban in Aramaea substiterit, dicitur Aramaeus vagus, quod

in Aramaea ad tempus versatus sit vagamque ib. pastoris vitam duxerit. Apte vero h. l. Iacob non ab origine sed ab habitatione describitur, quod etiam *Aegyptus* v. 5 et *terra sancta* v. 9, quo tempore illam Hebraei subigebant, non esset terra originis filiorum Iacob sed habitationis. Ipsi patriarchae in Chanaanitide vagi vixerant. Stirps vaga certisque sedibus carens a Iahve tandem permanentem nacta est possessionem. « *Qui descendit in Aegyptum, et ibi peregrinatus est* » vagus « *in paucissimo numero* », cum familia haud numerosa, « *crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitae multitudinis* ». v. 6 « *Afflixeruntque nos* », qui sumus ista gens, « *Aegyptii et persecuti sunt imponentes onera gravissima* », v. 7 « *et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos et respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam* », v. 8 « *et eduxit nos de Aegypto in manu forti et brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis* », v. 9 « *et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem* ». Sensum v. 5-9 ita resumit *Vat.* : « Has divitias non accepimus a parentibus, a patre nostro Iacob, sed a Deo nostro ». Profitetur igitur Israelita ille, patrem suum Iacob in Aram certas possessiones non habuisse, in Aegypto a tenuibus initiis excrevisse in multitudinem maximam, uti sequentia pandunt, sola Iahve benedictione; neque tamen in Aegypto fixas sedes et certam possessionem nactum, sed inde a Iahve servituti esse ereptum, atque per portenta maxime illustria traductum esse in terram fertilissimam et permanentem possessionem. Quare grati animi documentum *affert* (non *offero*) initium frugum : v. 10 « *Et idcirco nunc offero primitias frugum terrae, quam Dominus dedit mihi* ». Quando quis possessione sua permanenter potitus primae segetis canistrum deferebat ad sanctuarium, apte divinae providentiae oeconomiam celebrabat, qua se Iahve ab incertis ad certas sedes traduxisset; in annuis primitiis deferendis id erat minus ex re. « *Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui* ». והנחתו, *pones*, uti v. 4 והניחו, *ponet*. Una eademque actio designatur. Cui actioni v. 4 primum subnectuntur v. 5-10 verba post illam pronuntianda, dein v. 10 sq. res post illam perficiendae. *Pones*, sc. per pontificem eiusve ministrum. « *Et adorato Domino Deo tuo* », v. 11 « *et epulaberis in omnibus bonis, quae Dominus Deus tuus dederit tibi et domui tuae, tu et Levites et advena, qui tecum est* ». Cf. 12,6 sq. 11 sq. 17 sq.; 16,11. 14.

Arg. — Tertio anno, postquam suam in terra sancta possessionem familia quaeque nacta est, praeter decimam communem, secundam decimam pendat pater familias pauperibus in urbe sua, seque id

praestitisse integrum et sine superstitione declaret apud sanctuarium, sane tum quando decimam communem illuc deferet.

Pericopae v. 1-11 et 12-15 agunt de rebus affinibus, de primis frugibus et de frugum decimis. Pericopas intimius etiam cohaerere inter se, infero ex verbis v. 13-15 omnino affinibus verborum v. 5-10. Sane boni illi patres familiarum non continuo sermones habebant prope sanctuarium, sed raris tantum quibusdam occasionibus. Cur sermonem habuerint tertio quoque anno de decimis pauperum, qui sermonem non videntur habuisse quotannis in tradendis decimis levitis, in praesentandis primogenitis etc.? Agitur etiam hic de re « dumtaxat semel facienda ». Praecipitur igitur hac lege ea decima solvenda *tertio anno* post occupatam permanenter familiae possessionem (v. 1), secundo anno post allatas primas fruges (v. 2); non primo statim post occupatam possessionem anno, quia uberiorem solent agri reddere proventum tum, quando per aliquos annos excolebantur. Praecipitur hac lege pendenda *semel*, sed, ubi deinceps decima annua levitis subtracta impendi coepta est sacris populi conviviis, ac simul indigorum numerus usque augebatur, invaluit usus 14,28 sq., ut tertio quoque anno decima annua non conviviis sed indigorum necessitati impenderetur, atque ita decima, quae 26, 12 sqq. pro una tantum vice indicitur, facta est quodammodo triennalis, quin tamen tertio quoque anno *duae* decimae solverentur. Nostra lex antiquior est lege 14,28 sq.; si illud de *Levitis* v. 12 illi ab initio inerat, oportebat vel tum Levitas vagam passim et egenam vitam agere. Quod confirmant Iud. 17 sqq.

v. 12 « *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitae et advenae et pupillo et viduae, ut comedant intra portas tuas et saturentur* ». Ergo distribuenda haec in urbe, non producenda ad sanctuarium. עשר מעשר, probabilius punctandum piel uti 14,22; Gen. 28,22 : verte *decimam separare*. Post separatam decimam communem et ante illam ad sanctuarium delatam, separat vir alteram decimam eamque distribuit pauperibus, dein ascendit ad sanctuarium et, decimam communem sistens coram sacerdote vel levita, protestatur se alteram decimam pauperibus erogasse. תבואתך uti 14,22. 28 proventum agrorum designat : sc. exponit v. 12, quid praestandum sit, quando quis in possessionem *agrorum* venerit. Sed non agitur de decimis annuis, sed de decimis *tertii anni*, qui computatur a possessione agrorum completa v. 1. *Hebr.* : *anno tertio, anno decimarum*. Quomodo, cum singuli anni suas haberent decimas, annus tertius vocari potuit *annus decimarum?* Pro שנת המעשר lege cum *LXX* שנית המעשר, τὸ δεύτερον ἐπι-

δέκατον, *repetitio decimarum,* ergo *secundae decimae.* Quam lectionem esse unice veram contextus demonstrat.

v. 13 « *Loquerisque in conspectu Domini Dei tui* » : — i. e. apud sanctuarium, v. s.; neque tamen dicitur ad haec evocandum esse pontificem. De sanctuario intelligenda sunt verba eo magis, quod haec lex debuerit exsistere tempore Iosue, quando totus populus erat unitus uti in aliis ita imprimis in cultu sanctuarii : quodsi enim haec lex non vigebat, quo tempore plerique suas possessiones nanciscebantur, neque erat cur ea postmodum pro paucioribus ederetur, neque si ea postmodum ederetur, pauciores illi acceptaturi erant onus, quod eorum antecessores eadem in re non portaverant — « *Abstuli, quod sanctificatum est, de domo mea* »; nihil eius retinui domi (*Bonf.*). Quod Deus certo alicui usui destinatum arbitrio hominis subtraxit, id est *sanctificatum*, non debet id homo retinere apud se, sed quantocius transferre ad usum a Deo praeceptum. « *Et dedi illud Levitae et advenae et pupillo ac viduae, sicut iussisti mihi* »; *Hebr.* (*Chald.*) : *secundum omne mandatum tuum, quod iussisti me,* secundum omnes circumstantias rei et temporis, quae sunt in mandato v. 12. Apud reliquos irrepsit pluralis : *secundum omnia mandata tua.* Porro huius unius mandati observatio fluxit ex habituali in mandata Iahve obsequio, e generali eius auctoritatis agnitione : « *Non praeterivi mandata tua, nec sum oblitus* [*imperii tui*] ». v. 13-15 Israelita directe alloquitur Deum, eius verba v. 15 desinunt in precationem; e contra v. 5-10 erat declaratio facti coram pontifice pronuntianda.

v. 14 « *Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri* ». « Valde obscura haec sententia, in qua omnes magnopere laborant » (*Bonfr.*). Versiones vertere mechanice : אני verterunt *luctum meum,* sed *Aq. Symm.* ignorant suffixum. Primus *Calm.* suspicatus est, agi de cultu idolorum, explicationem tamen restrinxit ad cultum Osiridis et Isidis. און 1 Reg. 15,23; Is. 66,3 etc. significat *idola*; idem significat מת Ps. 105 (106), 28; idem sensus optime quadrat voci במא. Protestatur Israelita, se eius decimae non solum nihil reservasse sibi (v. 13), sed neque quidquam libasse idolis. Sicut ethnici ante epula aliquid libabant diis, similiter videntur Hebraei aliqui, dum illas decimas pauperibus erogarent, aliquid impendisse idolorum reverentiae. At ita desecrabant id, quod *sanctificatum* erat Iahve, minimeque implebant *omne eius mandatum.* Declarat igitur Israelita noster, se nihil omnino harum decimarum impie libasse, pluribus expressionibus synonymis aut fere synonymis, quo effica-

cius se purget omni suspicione : *non manducavi de eo impie* (seu *idoli ergo*), *non consumpsi de eo immunde* (seu *immundi idoli ergo*), *non dedi de eo mortuo,* i. e. *idolo. Dedi,* aut rursum manducando in eius honorem, aut imponendo altari, aut permittendo sacerdoti idoli. Non proscribitur, ne quae in honorem Iahve libatio fiat in altari privato; potuere eiusmodi fieri, sed nihil compertum habemus. « *Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut praecepisti mihi* ». Porro obedientiae praeceptorum praemium est divina benedictio : v. 15 « *Respice* » — *prospice* — « *de sanctuario tuo et de* [*excelso*] *coelorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel et terrae, quam dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terrae lacte et melle mananti* » (cf. v. 9). Nihil de *sanctuario* habet *Hebr.* : *de habitaculo sancto tuo, de coelo.* Apte h. l. scribitur vox poetica מעון : cf. 1 Reg. 2,29.32; Deut. 33,27 etc.

THORAE EMBLEMA ALTERUM :

DEUT. 26,16-27,26, SEU
FRAGMENTUM VERBORUM IOSUE IOS. 24, 26

Difficillima est brevior haec pericope, cuius facile discernuntur partes duae inaequales. Prior 26,16-19 non est monitio ad populum, ut observet totum collectaneum intuitu foederis in monte Horeb initi (*Dillm.*), sed enuntiat factum, *hodie* adesse diem solemnis cuiusdam eius foederis renovationis. Quae est alia plane res. Altera pars cap. 27 tria habet Moysis eloquia, quae omnia referuntur ad eam foederis renovationem, quam 11,29 sq. a Moyse summatim praeceptam, et Ios. 8,30-35 a Iosue effectui mandatam esse legimus.

Renovatio foederis habetur, quandocunque foederis conditionibus publice recitatis, i. e. tam praeceptis a populo observandis quam praemiis poenisve a Deo conferendis, simulque propheta aliquo Iahvae assensum manifestante, solemnibus sacrificiis foederis obligationes a populo confirmantur. A Moyse in terra Moab dicebamus p. 88 sqq. celebratam esse foederis sinaitici restitutionem, non meram renovationem. Prima igitur renovatio habita est Ios. 8,30-35, quando a Moyse iussus Iosue sacrificia obtulit, legem praelegit, populus solemniter legi assensus est. Alteram habuit idem Iosue Ios. 24,25. Institutio regni et promulgatio legis regni certe aptissima fuit Samueli occasio foederis item renovandi. Porro de eiusmodi aliqua renovatione agitur Deut. 26,16-19, ubi populus solemniter declaravit se esse populum Iahvae peculiarem, et Iahve declaravit se esse eius populi Deum, rem evidenter ratam habente eo propheta, qui verba v. 16-19 pronuntiat. Eiusmodi item renovationem evidenter praeparant tria Moysis eloquia cap. 27. Nobis vero illud est definiendum, referanturne 26,16-19 et cap. 27 ad unam eandemque foederis renovationem et, si ita habet, ad quam.

1. *Enuntiatur factum renovati foederis Deut.* 26,16-19.

Arg. — Solemni aliquo die, quem infra eundem esse demonstrabimus, de quo agitur Ios. 8,30-35, totus populus in sacram concionem adunatus alte protestatus est se Iahve agnoscere Deum suum,

a Iahve vicissim receptus est in populum peculiariter suum. Cuius foederis conditiones hae sunt, ut populus observet Iahve mandata, Iahve vicissim hunc populum prae reliquis populis extollat.

Ubi advertas :

1. verba v. 16-19 non individue producere sermonem v. 13-15. Haec quippe proloquitur privatus aliquis homo ad Deum, illa ad totum populum proloquitur aliquis, qui auctoritate pollet toti populo inculcandorum mandatorum Iahve. Ergo *hodie* v. 16.17.18 neque est idem dies, quo privatus ille suam ad sanctuarium defert oblationem.

2. Verba v. 16-19 neque sunt continuatio aliqua collectanei 12, 1-26,15. Omnis inter v. 15 et 16 deest transitio. Si v. 16-19 suggeras collectanei esse epilogum, habebis prolixi sermonis epilogum ridicule brevem, nam cap. 27 certe non est collectanei epilogus. Nonne orationi 14 fere capitum ridicule appendatur 4 versuum epilogus? Si vero eum collectanei epilogum adstruas interrumpi perperam interposito cap. 27, et cap. 28 resumi, demonstres oportebit eam epilogi continuationem auctori cap. 5-11 esse abiudicandam et Samueli auctori attribuendam. Cuius opinionis argumenta equidem comperta habeo nulla. Promulgavit Samuel collectaneum 1 Reg. 10,25 in concione Masphae habita, ubi v. 19 ad populum aiebat : « Hodie proiecistis Deum vestrum ». Num eadem concione credendus est pronuntiasse verba Deut. 26,18 : « Hodie Iahve te dicere fecit, te ei esse populum peculiarem? » 1 Reg. 10,25 legitur Samuel scripsisse legem regni, i. e. collectaneum, nulla neque prologi neque epilogi adscripti facta mentione. Deprehendimus eum de facto a proprio prologo texendo abstinuisse, collectaneum individue adscripsisse orationi Deut. 5-11, hac ipsa usum esse prologo. Ergo praesumere fas est eum a proprio etiam epilogo texendo abstinuisse; idque certe fas est tamdiu praesumere, quamdiu contexti ab eo epilogi nulla solida argumenta afferuntur. Aegre ferebat Samuel modum, quo regni institutionem tum Hebraei veluti extorserant ; praesto habebat aptissimum ad suos sensus exprimendos epilogum cap. 28, cuius vigori certe nihil additurum erat 26,16-19. Reapse, si eos quatuor versus legas animo a praeiudicata opinione libero, fateberis minime gentium prae se ferre epilogi cuiusdam indolem : statuunt factum aliquod. Ergo illud *hodie* v. 16.17.18 neque refertur ad tempora Samuelis.

3. Neque censemus verba 26,16-19 ab oratore cap. 5-11 esse profecta et primitus immediate adhaesisse verbis 11,32.

a. Ad orationem cap. 5-11 certe non pertinet cap. 27 : orationem

illam pronuntiavit Moyses, tria eloquia cap. 27 alius aliquis pronuntiat a Moyse esse prolata; ergo non habetur una continua oratio. Ergo, si 26,16-19 adstruas initium esse epilogi cap. 28, reddenda tibi erit ratio, cur ille, qui cap. 27 inseruit, praesciderit epilogi initium, et non potius cap. 27 ei initio praemiserit. Si 26,16-19 extremam partem esse pronuntias orationis cap. 5-11, reddenda tibi erit ratio, cur Samuel hanc extremam partem praesciderit, neque potius collectaneum inseruerit post 26,19. Posse auctorem sacrum aliqua inserere loco minus apto, non infitior : id eum fecisse ut admittam, rationes requiro, non meras coniecturas. Si 26,16-19 concedas, neque cum 11,32 neque cum 28,1 primitus individue cohaesisse, habes utrumque insertorem sapienter agentem : Samuel suum collectaneum legum individue adnectebat pentalogo paraenesi aucto; Iosue, cui fragmenta 26,16-27,26 infra vindicabimus, foederis renovationis a se celebratae acta immediate praemittebat benedictionibus illis et maledictionibus, quas Moyses restituendo foederi adhibuerat.

b. Si orator, qui cap. 5-11 prolixam texuit orationem et cap. 28 sqq. prolixum epilogum, cupiebat concionis propositum, renovationem foederis populo distinctius proponere, facturus id sane erat sermone accuratiore, non solis quatuor versibus.

c. Dices, unam continuam orationem haberi 11,32; 26,16-19; 28,1 inde effici, quod expressiones quaedam 26,16-19 evidenter sint e 11,32 et 28,1 transsumptae. Habes v. 16 eadem quae 11,32 nomina *statuta et iudicia* (non *mandata* etc.). Habes utrobique vocem *hodie*. Imo paucis mutatis v. 16 verbotenus consentit cum v. 32. Rursum 28,1 habes « Israelem factum iri excelsiorem cunctis gentibus » : idipsum cum amplificatione quadam habes 26,19. Tamen, licet in continuo sermone observetur unitas stili et argumenti, si excipias eam sermonis figuram quam rhetores repetitionem vocant, non consuevere eadem iisdem verbis repeti de versu ad versum : oratio continua progreditur, neque delectatur repetitionibus. Cuiusmodi repetitiones indicium haud raro sunt *suturae*. Iosue sermonem 11,32 producturus verba repetit vix non verbotenus. Initium 28,1 benedictionum et maledictionum, quae vel ante Iosiam animos hominum vehementer percellebant, mente praesens habebat etiam Iosue : igitur magniloquam illam expressionem non repetiit solum 26,19, sed etiam amplificavit. Voces *statuta et iudicia,* quae non solum 11,32, sed item 5,1 initio orationis et 4,1 initio paraeneseos prioris orationis leguntur, ipse transsumit, uti easdem 12,1 in collectanei inscriptionem transsumpsit Samuel. Vox *hodie* 26,16-18 non idem tempus de-

signat, atque cap. 5-11 : sed nonne diversum tempus eadem vox significabat in formulis 13,18(19); 15,5.15 etc.? Nonne Hebr. 3 sq. actis mosaicis tamquam uni *hodie* opponit S. Paulus novi foederis institutionem tamquam alterum *hodie*? Ergo Deut. 5-11 *hodie* designat diem restituti per Moysen trans Iordanem foederis, 13,18(19) etc. diem promulgatae a Samuele legis regni, 26, 16-18 diem renovati per Iosuen foederis (Ios. 8,30-35).

d. Quia tantopere idiomatibus insistunt critici, liceat Deut. 26, 17 sq. unum demonstrare idioma, quod non a reliquo Deut. solum sed a toto reliquo V. T. exsulat : hiphil verbi frequentissimi אמר, idque scriptum ad exprimendum foedus initum, quae res secus aliis usitatissimis expressionibus enuntiatur.

4. Cum ergo 26,16-19 non videatur immediate iungendum neque cum 11,32 neque cum 26,15 neque cum 28,1, quid restat, nisi ut accurate dispiciamus, annon illud commode iungatur cum 27,1, ut 26,16-27,26 unam efficiat pericopen? Cuius opinionis aliquas probabiles rationes modo proferebamus, probabiliores proferemus, quando cap. 27 explicabimus. Vide, annon haec nostra opinio longe veri similior tibi videatur iis, quas critici recentiores suggessere?

v. 16 « *Hodie Dominus Deus tuus praecepit tibi, ut facias mandata haec atque iudicia* ». Quae nomina (v. s.) exprimunt mandata cap. 5-11, decalogum cum pentalogo, non vero collectaneum 12,1-26,15. Non dicuntur haec a Deo praecepta esse *hodie primum* : quoties Deus praecepta pridem edita rursum solemniter inculcat, ipse eadem rursus praecipit, populum rursus eligit, a populo praecepta reverenter exaudiente rursus eligitur. Sequentes autem duos coniunctivos accipe pro imperativis : « [*et*] *custodias et impleas ex toto corde tuo et ex tota anima tua* ». Post data mandata unum superest, ut opere impleantur. Implendorum autem obligatio *foedus* consequitur : v. 17 « *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius, et custodias ceremonias illius et mandata atque iudicia, et obedias eius imperio* » seu *voci*. v. 18 « *Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia praecepta illius* », v. 19 « *et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem et nomen et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est* ». Contextae sunt hae sententiae expressionibus e Deut. 1-11 et imprimis e pentalogo coactis : cf. inter alia 5,33(30); 6,5; 7,12; 8,20. Ad להיות לך לאלהים cf. Ex. 6,7 etc.; sed h. l. expressio exigebatur propter oppositionem cum להיות לו לעם סגלה, quae proxime videtur fluxisse e pentalogo 7,6, remotius ex Ex. 19,5, ubi desideratur לעם. Item להיותך עם קדש fluxit

proxime e pentalogo 7,6, remotius tantum ex Ex. 19,6, ubi גוי loco עם. Ergo duae citationes (*sicut locutus est*) immediate respiciunt pentalogum 7,6, mediate tantum Ex. 19,5 sq.

Sed duo habentur horum versuum propria. Primum eximiae laudes Israelis. Sicut Gen. 14,18 appellabatur Deus עליון, *excelsus* comparatione imprimis cum aliis diis, ita Israel (cf. Deut. 28,1) *excelsus* erit comparatione aliarum gentium, super illas exaltatus. Erit *in laudem et in nomen et in decus*, laudatissimus, nominatissimus; quae repetit Ier. 13,11 (cf. 33,9; Sophon. 3,19 sq.). Praeterea ἅπαξ λεγόμενα sunt formae hiphil האמרת et האמירך. Quarum sensus non est *elegisti* et *elegit te* (*LXX Vulg. Chald.*), neque *dixisti* et *dicet* (*Syr.*), sed *dicere fecisti* et *dicere te fecit*, ut igitur sit vertendum : *Hodie dicere fecisti Iahven, ut esset tibi Deus etc.; et Iahve te hodie dicere fecit, ut esses ei populus etc.* Ubi *Dr.* : « fortasse », inquit, « האמיר erat terminus technicus in foederibus feriendis usitatus, quando pars quaeque adigebatur ad conditiones foederis recitandas ». Verum haec gratuito confinguntur. In quolibet foedere feriendo utraque pars aliquid *dicit* eatenus, quatenus consensum significat, conditiones acceptat. Ubi autem foedus initur omnino spontanee, ibi utraque pars aliquid utique *dicit*, sed non *facit dicere* alteram partem. Quae expressio indicat foedus initum cum aliqua mutua adhortatione et deliberatione, habita antea de conditionibus foederis actione aliqua. Optime conveniunt haec renovationi foederis Ios. 8, 30-35 celebratae. Ubi lecta sunt *omnia verba thorae*, *benedictio et maledictio* (Ios. 8,34); facta est renovatio ritu a Moyse dudum praeordinato; populus maledictiones et cum illis totum foedus ratas habuit pronuntiato Amen. Vere Iahve populum *dicere fecit* illud Amen et populus, fideliter observato ritu a Moyse praescripto, *fecit dicere* Iosuen vel sacerdotes efficacia verba divinae benedictionis (Ios. 8,33).

2. *Describitur ritus aliquis in foederis renovatione observandus Deut.* 27.

Cap. 27 esse *crucem interpretum*, e sequentibus disce testimoniis.

Conqueritur *Reuss* § 312 sq., cap. 27 carere ordine, habere lacunas, esse recentius compilatum; et *Holz*. p. 275, post 26,19 haberi hiatum, quem unquam expletum iri, vix relinquatur spes; et *Dr*. p. 294 vix concedi posse ait, cap. 27 primitus in Deut. fuisse.

Sed haec generaliora. Rem intimius rimatus *Ewald* I. 178 pronuntiat, post 27,9 sq. primitus immediate secutum esse cap. 28. Cui assentitur *Dillm*. p. 364 pronuntians, reliqua praeter 27,9 sq. esse adiectitia. Etiam *Kuenen* I a 119 sq. solos hos

duos versus pro genuinis habet; 27,1-8, quod idem sit atque 31,14-30, interrumpere contextum et esse recentius adscriptum, uti item v. 11-13, quod ortum duxerit e perperam intellecto 11,29-32; sed his etiam recentius esse additamentum v. 14-26, quod ceteroqui dissonet tam a v. 11-13 quam a cap. 12-26; versus 9 sq. primitus immediate excipiebat 28,1.

Wellh. C. 195 censet cap. 27 neque cum cap. 26 neque cum cap. 28 satis cohaerere. Cui assentitur *Corn.* II 1,32.78, qui etiam defendit, v. 1-8.9 sq. 11-26 eadem referre alio modo, quae item habeantur 31,9-13;26,16-19;28.

Kl. p. 183 textum ad nativum ordinem revocat ita : 29,1(28,69); 27,9 sq.; 26,16-19;28,1-26.38-48.58-68;29,1-21.28;30,11-20.

Bertholet probabile censet, verba 26,16-19 esse ipsissima verba, quibus in renovando foedere usus sit rex Iosias; 27,1-8 permiscentur mandata duo, unum erigendi altaris, alterum erigendorum lapidum. 27,9 sq. carent nexu tam cum praecedentibus quam cum sequentibus, sed evidentem et immediatum nexum habent cum 28,1. Reliqua obscuritatibus tota quanta obvolvuntur.

Neque mirum est in hoc capite interpretando tantopere dissentire interpretes : habet quippe illud *plures gravissimas difficultates.*

1. v. 1 alloquuntur populum simul *Moyses et seniores,* quod est plane inusitatum, cum Moyses secus loquatur ad seniores, seu per seniores ad populum, sed non eodem veluti cum illis dignitatis loco se constituat; neque, si id faceret, auctoritatem suam augeret (*Cai.*), sed minueret, cum non iam super alios omnes emineret. Ceterum, ubi v. 1 *plures* loquentes introduxit, illico v. 1.4 ad oculum demonstrant *unicum* esse loquentem, qui de se pronomine אנכי, *ego* loquitur. Ergo aut ipsius alloquii v. 1-8 textus dicendus erit esse recusus, aut prima v. 1 verba defigurata. Hoc alterum probabilius. Pro יזקני ישראל את העם לאמר שמר corrige לזקני ישראל לאמר אתם שמר, et verbum שמר puncta pluralem : *Praecepit Moyses senioribus Israel dicens : Vos custodite etc.* Ita facile eliminatur haec prima difficultas.

2. Similiter v. 9 Moyses et sacerdotes Levitae producuntur simul alloquentes populum, sed illico v. 10 unicus habetur loquens pronomine אנכי, *ego* designatus. Evidens rursum habetur mendum, eritque adhibenda similis atque v. 1 correctio : *Dixitque Moyses sacerdotibus Levitis omnique Israeli.*

3. v. 12 sq. in montibus Garizim et Hebal disponuntur senae tribus, hae ut populo benedicant, illae ut maledicant : at v. 15-26 habes quidem duodecim canones, qui tamen sint *maledictiones* tantum, quibus singulis non senae tribus, sed *totus populus* acclamet. Habes quidem 28,1-6. 15-19 senas diversas benedictiones et maledictiones impositas servaturis neglecturisve foedus. Sed deest immediatus cum 27,12 sq. nexus, neque illae cap. 28 benedictiones et maledictiones aptae videntur, quae a singulis non hominibus sed tribubus pronuntientur : v. g. 28,3 benedictio in civitate et benedictio in agro

non sunt duae diversae benedictiones, sed una datur benedictio domi forisque. Ergo benedictiones et maledictiones cap. 28 non possunt ad cap. 27 trahi. Quomodo igitur explicabis cap. 27 non haberi benedictiones? num eae forte textu exciderunt? At quot excidisse affirmabis? num sex benedictiones duodecim maledictionibus obiectas? num duodecim benedictiones a sex tribubus pronuntiandas? Difficultatis solutionem suggerimus hanc. 11,29 sq. iubebantur Hebraei in hac foederis renovatione *ponere benedictiones* in monte Garizim, et *ponere maledictionem* in monte Hebal. Hic constituuntur senae tribus in monte Garizim *ad benedicendum populo* seu *ut benedicatur populus*, et senae tribus in monte Hebal *quoad maledictionem*. Mons Garizim fit symbolum promissae divinae benedictionis, mons Hebal promissae divinae maledictionis et, quo evidentior fiat tam benedictionis quam maledictionis ad populum hebraeum ratio, senae tribus consistunt in monte benedictionis, senae in monte maledictionis. Haec plane sufficiunt textui explicando. Non habet textus id, quod imaginatus est *Ps. Ion.*, sacerdotes primum pronuntiaturos esse benedictiones (« Benedictus vir, qui *non* facit sculptile etc. »), quibus senae tribus in monte Garizim constitutae acclamaturae sint Amen, dein pronuntiaturos esse maledictiones v. 15-26, quibus reliquae tribus ex altero monte acclamaturae sint Amen. Id textus non habet. Non erat, cur populus disertis verbis benedictiones acceptaret : quis non lubens admittit benedictiones? Sed omnino e re erat, ut populus disertis verbis ratas haberet maledictiones. Putasne Ruben aliiasque v. 13 enumeratas tribus aequo animo laturas fuisse, ut sibi sequiores maledicentium partes cederent, reliquis tribubus benedictiones pronuntiantibus? Ergo neque aliae tribus tacebant aliis loquentibus, sed omnes duodecim tribus illa duodecim *Amen* conclamabant.

Habes igitur tria Moysis eloquia : v. 1-8 eloquium ad solos seniores; v. 9 sq. eloquium ad sacerdotes et populum; v. 11-26 eloquium ad solum populum. At rursum exsurgit densa difficultatum seges.

4. Quomodo haec cohaerent cum *praecedentibus*? cum oratione cap. 5-11? cum collectaneo? Cur non haec explicabantur extremo cap. 11, ubi ea renovatio attingebatur? Si iungas cum 26,16-19, habes unum aliquem oratorem, primum concionis propositum enuntiantem, deinde tria Moysis eloquia veluti e scripto aliquo recitantem : quis est ille orator?

5. Quomodo haec eadem cohaerent cum *sequentibus*? Quorsum 27,15-26 duodecim traduntur maledictiones, cum praeter sex benedictiones cap. 28 habeat sex maledictiones primum breviter enun-

tiatas, dein tam nervose amplificatas, ut iis e scripto recitatis rex Iosias cum universo populo terrore perculsus ad efficacem morum reformationem sit perductus? Quodsi tibi ob oculos ponas ipsam thoram 6,1-7,11 vel 5,1-11,32, perspicies cap. 28 eius esse aptissimum epilogum, cap. 27 non ita. Cap. 28 *universa mandata thorae* in mente habens, in eius violatores primum v. 15-19 *universale maledictum* fert, in urbe et in agro, in frugibus et in partubus, initio et in fine cuiusvis incoepti incurrendam; dein eius tam universalis maledicti *varios et accuratissimos effectus* vehementissime exaggerat. 27,15-26 *summarium maledictum,* sola voce « maledictus » expressum, nullatenus explicatum; pronuntiat primum in praevaricatores *mandatorum non omnium* sed undecim tantum, *non gravissimorum* (idololatria secreta, honor parentum, reverentia caecorum etc.); quod maledictum extremo tandem versu ad totam thoram extenditur. Nonne fateberis, cap. 28 esse thorae epilogum efficacissimum, cap. 27 inefficacem potius?

6. Quomodo eadem cohaerent cum *universo orationis proposito*? Habes orationem cap. 5-11, solam vel collectaneo auctam, quae est de mandatis ab Israele observandis; habes cap. 28 sqq., quae sunt de praemiis mandatorum servatorum et poenis mandatorum neglectorum : bellissime cohaerent omnia. Inexspectatus intercedit orator 26,16-27,26, sua praelegens documenta : abrumpitur orationis unitas.

7. Nec solas contextus habet difficultates : impeditus est ipse *textus*. Cur media inter statuta de agendis prope montes Garizim et Hebal interponitur v. 9 sq. breviuscula illa adhortatio : « Attende et audi, Israel etc. »? Num satis non attendebant cum vulgus tum ipsi sacerdotes, dum Moyses pericopen v. 1-8 pronuntiabat? Cur v. 1-8 Moyses specialiter alloquitur seniores, v. 9 sq. sacerdotes? Qui etiam *sacerdotes Levitae* scribuntur, quod collectanei idioma esse compertum habemus? Cur tandem v. 15-26 maledictiones feruntur in *pauca* aliqua peccata, eaque potissimum *secreta*?

In qua nodosa quaestione enodanda aequiore constituti sumus loco, quam critici moderni. Hi, collectanei indole haud perspecta, de compositione Deut. vaga et discordantia proferunt placita; quorum aliqui in desperationem acti nodum solvi omnino posse desperant, additamentis additamentorum absorbentur. Nos collectaneum profitemur esse non Moysis, sed Samuelis auctoris, profitemur esse eandem illam legem regni, quam 1 Reg. 10,25 Samuel narratur inseruisse libro Moysis. Compertum item habemus e Ios. 24,26, Iosuen « verba » quaedam eidem libro inseruisse. Cum igitur pericope 26, 16-27,26 neque sit collectanei Samuelis continuatio, neque satis adap-

tetur Moysis orationi, totam disputationem revocamus ad hanc brevem formulam : *Potestne haec pericope commode attribui Iosue auctori?* Estne ea eius insertum Ios. 24,26, aut totum aut aliqua inserti pars?

Quaestione hac forma proposita, illico attenuantur tenebrae. Cap. 27 tradit leges a Moyse latas pro aliqua foederis renovatione brevi post ingressum terrae sanctae celebranda, quam a Iosue celebratam esse scimus. Percommode tota pericope tribuitur Iosue auctori. Illud *hodie* 26,16-19 exprimit diem renovationis Ios. 8,30-35, in qua Iosue populo recitavit leges pro ea ipsa solemnitate a Moyse latas, vel diem alterius renovationis Ios. 24, quando eadem Iosue denuo recitaverit. Habes 26,16-27,26 initium eorum Verborum, quae Iosue thorae inseruit. Initium, etenim inde, quod 26,16 vix non verbotenus consonet cum 11,32 infero in apographo Iosue haec individue fuisse connexa inter se. Initium tantum, evidenter quippe illa Verba Iosue habebant alia.

Prior renovatio habebatur prope Galgalam (11,30), altera prope Sichem seu verius, quod in Commentario in librum Iosue demonstrabimus, in Silo (Ios. 24,1). Crediderim, hanc alteram renovationem, et fortasse alias item quasdam post Iosuen factas, habitas esse *eodem ritu* atque primam : cur novum ritum effinxerint Hebraei, qui descriptum haberent ritum ab ipso Moyse? Utique, quoties renovatio celebraretur alio quam Galgalis loco, non aderant lapides isti magni pridem erecti; sed fortasse alii tum eiusmodi lapides erigebantur. Non aderant montes iidem Deut. 11,29 sq. Garizim et Hebal prope Galgala appellati. Sed eadem nomina facile aliis alibi collibus imponebantur.

Quomodo porro factum sit, ut solum initium Verborum Iosue ad nos devenerit, infra examinaturi, primum ipsum textum explicamus. Critici unanimes affirmant, stilum cap. 27 esse plurimum recusum. Sane facilius a scribis defigurabatur ille textus, cuius sensum ipsi nonnisi imperfectius assequerentur. v. 1. 9 duos demonstrabamus evidentes errores. Eas difficultates, quas supra indicatas nondum resolvimus, in commentario explicabimus.

Arg. — Recitat orator (Iosue) tria Moysis eloquia, quibus iubentur Hebraei terram promissam ingressi solemnem celebrare foederis renovationem. Et primo quidem eloquio v. 1-8 determinat Moyses locum prope Galgala, ubi erigendi lapides inscriptam habentes thoram, erigendum item altare lapideum pro sacrificiis renovationis.

Vix dubitandus est Iosue haec recitasse e scripto aliquo. Cum enim alia scripsisse Moysen constet, *scripsit* profecto etiam regulas has, quas de re non statim sed aliquamdiu post peragenda tradebat, cupiebatque (cf. v. 9) accuratissime observari. *Cap. XXVII*

v. 1 « *Praecepit autem Moyses et seniores Israel populo dicentes* » : — Verte (v. s.) : *Praecepit autem Moyses senioribus Israel dicens* : *Vos* « *custodite omne* », i. e. *totum*, « *mandatum, quod* » *ego* « *praecipio vobis hodie* », quodque habetur v. 2-8. Aequum erat, ut mandatum de inscribendis lapidibus daretur imprimis *senioribus*, inter quos si non omnes, at certe plures (Num. 11,16) scribae reperiebantur. Sequitur mandatum : v. 2 « *Cum[que] transieritis Iordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos* ». Idem est *dies transitus* atque v. 3. 4 *transitus*, sc. generatim tempus transitus. Expressio non cogit, ut defendamus mandatum ipso traiecti fluminis die fuisse implendum, neque ita illud interpretabatur Iosue. Tamen renovationem non diutius esse differendam, iterato inculcat Moyses v. 2.3.4.12. Porro induantur calce illi lapides, v. 3 « *ut [possis] in eis scribere omnia verba legis huius [Iordane] transmisso, ut introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte et melle manantem, sicut iuravit patribus tuis* ».

Quid igitur inscribebatur lapidibus? Pentateuchus aiunt *Rabbini*, Deut. *Bonfr.* Quod facile hic affirmat fieri potuisse, dummodo revera « ingentes » fuerint lapides, additque *Tir.*, dummodo fuerint numero plures, addasque aequo iure, dummodo sufficiens scribarum numerus adhiberetur. Cogita, quantum tempus debuerint Hebraei ad montem Hebal subsistere, quoad totum Deut. « plane et lucide » (v. 8) lapidibus inscriberetur. Certe non inscribebantur cap. 12-27, quae diu post Moysen edita sunt. *Cai.* suggerit *schema'* 6,4 sq.; *Lyr.*, *Vat.* suggerunt decalogum. Difficultas interpretationis inde nascitur, quod mentio huius *legis* habeatur in documento, quod proxime non fluxit a Iosue auctore capitis 27, sed a Moyse, cuius verba citat Iosue; neque satis compertum habemus, in quo contextu Moyses vocem *legis* adhibuerit, quamve legem pronomine *huius* demonstraverit. Res nobis definienda est ex ipso textu cap. 27 perpenso, comparato narrationi Ios. 8,30-35, quae est de eadem renovatione.

Thora v. 3.8 omnino eadem est, atque thora v. 26 : habentur haec in eodem contextu, neque ulla est ratio discriminis adstruendi. Thora haec neque est decalogus neque Liber Foederis Ex. 20,22-23, 33, quae nunquam in pentateucho thora vocantur; sed utique respiciebat *foedus*, cum lapidibus inscriberetur tamquam foederis renovati monumentum. Non est necessario tota quanta eadem cum thora 31,9 sqq., quia inter cap. 27 et 31 non habetur immediatus contextus, cap. 27 serius textui insertum est, neque est gratuito supponendus Moyses in regulis cap. 27 intellexisse vocem thora co-

dem adamussim sensu, quo intelligebat 31,9. Haec non supponenda, sed demonstranda. At certissime non est thora v. 3 plane aliena a thora 31,9. Agitur quippe cap. 27 de celebranda foederis renovatione, quae esset repetitio quaedam restitutionis a Moyse in terra Moab 29,1 celebratae : huius restitutionis instrumentum fuisse thoram Moysis 31,9 efficitur e ratione narrationis 31,9 sqq. ad 29,1. Thora Moysis 31,9 videtur habuisse pentalogum cum sua paraenesi cap. 5-11, benedictiones et maledictiones cap. 28 sqq. : igitur thora 27,3 habebat aut ea, quae cap. 12 praecedunt, (omnia vel aliqua), aut ea quae cap. 27 sequuntur, (omnia vel aliqua), aut utraque.

Praecedunt duae paraeneses 1,6-4,40; 7,12-11,32 et pentalogus 6,1-7,11. Haud puto, inscriptas fuisse lapidibus paraeneses : altera, uti prior (1,5), verius est paraenesis thorae quam thora. Remanebit ergo fere *pentalogus*. Sicut intra arcam erant tabulae lapideae inscriptum habentes decalogum, ita in monte Hebal palam prostabant lapides inscriptum habentes pentalogum. Decalogus, documentum magis sacrum, quod esset a Deo immediate profectum, cum arca versabatur in medio populi; pentalogus in limine terrae promissae, simulque in conspectu tam cisiordanicorum quam transiordanicorum.

Vel inscripta fuerint lapidibus ea, quae cap. 27 consequuntur, *benedictiones et maledictiones*. Quae est opinio *Ios*. IV. 8.44, qui suggerit quidem maledictiones 27,15-26, sed eae sunt merae maledictiones sine benedictionibus, non solae vocantur thora, neque cap. 27 promulgantur forma thorae : thora quippe est verbum legislatoris, non sermo alternus inter sacerdotes et plebem. Maledictiones illas ignorabat populus, dum Moyses verba v. 1-8 pronuntiabat; non igitur poterat populus v. 3.8 pronomen *huius* intelligere, si illud ad nondum pronuntiatas maledictiones referebatur. Omnino sistendum in benedictionibus et maledictionibus cap. 28. Quod quidem caput seorsim sumptum appellaturusne esset Moyses thoram, nescimus; id non efficiunt v. 58.61, fuereque hi versus serius adscripti. Ubi recolas, Semitas quandoque lapidibus terminis inscripsisse maledictiones quasdam in eos latas, qui terminos moverent. Ergo erecti fuerint lapides illi instar terminorum, qui Iahvae in terram promissam ius tuerentur, cuius Hebraei (Lev. 25,23) coloni tantum erant. Et nota, Hebraeos 11,29 sq. iuberi ponere benedictionem in monte Garizim, maledictionem in monte Hebal, utrumque tamen lapidem erectum esse in monte maledictionis Hebal, ceterum cap. 28 brevem habere de benedictionibus, valde prolixum de maledictionibus tractatum. Quae omnia videantur favere opinioni, solas benedictiones et maledictiones esse lapidibus inscriptas.

Tamen mihi praeferenda videtur opinio, esse lapidibus inscripta tam pentalogum quam cum benedictionibus maledictiones. Etenim lapides illi erigebantur tamquam renovati foederis monumenta : ergo foederis instrumentum illis erat inscribendum; foederis autem instrumentum habeat oportet utramque foederis partem, tam ea quae Israeli, quam ea quae Iahvae vi foederis essent praestanda, tam mandata quam praemia et poenas. Praeterea Iosue non solum lapidibus inscripsit thoram seu « apographum thorae » (Ios. 8,32; cf. Deut. 17,18), sed thoram etiam praelegit populo (v. 34 sq.), sc. « omnia verba thorae, benedictionem et maledictionem, omnia sicut scripta sunt in libro thorae; non fuit verbum ex omnibus, quae mandavit Moyses » (in illa thora), « quod non legerit Iosue ». Sensus appositionis non est, benedictionem et maledictionem esse ipsam thoram totam, ut nihil praeterea habuerit thora; qui sensus excluditur emphaticis verbis v. 35. Sed sensus est : legit omnia verba thorae, etiam benedictionem et maledictionem, ne has quidem praetermisit. Iamvero thora, quae v. 34 sq. praelegitur, eadem est, quae v. 32 inscribitur lapidibus; complectitur ea tam mandata quam benedictionem et maledictionem.

Quam utique praelegit Iosue non de lapidibus, sed e scripto, fortasse ex ipso Moysis autographo. Sicut CEL p. 198 affirmabamus, fortasse duabus tabulis lapideis inscripta esse decem mandata, non de verbo ad verbum sed breviario aliquo, ita lapidibus in monte Hebal inscribi potuit thora *breviario* aliquo. Foederis quaerebatur monumentum, non textus authenticus. Suggeres, nihil fuisse abbreviandum, quod lapides essent *magni*. At lapides seligebantur magni, non ideo necessario, quod in eis describenda essent *multa*, sed quod describenda essent *magnis characteribus*, et ut lapides conspicerentur *procul*.

v. 4 « *Quando ergo transieritis Iordanem, erigite lapides, quos ego hodie praecipio vobis, in monte Hebal, et levigabis eos calce* ». Voce והיה redit oratio ad idem caput, unde ea v. 2 eadem voce proficiscebatur. Sunt, qui censeant, transferendum esse v. 8 post extremum v. 3 vel 4 qui item est de lapidibus : reapse contextus nullam suggerit rationem, cur narratio de lapidibus, interpositis v. 5-7 in duas partes findatur; at neque semper stilo quo fieri possit maxime castigato scribunt auctores inspirati. v. 5 « *Et aedificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit* », v. 6 « [*et*] *de saxis* [*informibus et*] *impolitis* » *aedificabis altare*. Idem, quod v. 5, distinctius inculcat v. 6, altare omnino exstruendum esse ad normam altarium praemosaicorum Ex. 20,25. Ergo lapides altaris

omnino diversi sunt a lapidibus *calce induendis,* qui iam nequeunt dici *integri.* « *Et offeres super eo holocausta Domino Deo tuo* », v. 7 « *et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo* ». v. 8 « *Et scribes super lapides omnia verba legis huius plane et lucide* ». Cur haec sacrificia non immolantur in altari aeneo holocaustorum? Tota haec solemnitas est *renovatio foederis* sinaitici : populus denuo professurus erat suum in Iahven obsequium, Iahve illi confirmaturus erat omnia bona vi foederis praestita, quorum unum erat sanctuarium mosaicum cum suis altaribus. Erat conveniens, ut sacrificia renovationis foederis immolarentur in altari alio, quam in altari vi foederis instituto. — Quinam haec sacrificia offerebant *sacerdotes?* Nonne sacerdotium item aaronicum pertinebat ad bona vi foederis concessa? Equidem concesserim sacrificia illa oblata esse a senioribus : si pro hac una extraordinaria plane solemnitate concedebatur altare ab altari foederis diversum, cur non item et ob eandem rationem concederentur sacerdotes non aaronitae? Id concedi potuisse disce ex aevo iudicum, quo Deus rata habuit sacrificia oblata non solum in altaribus privatis, sed a sacerdotibus etiam non aaronitis. Factum 27,5 sqq. profecto illud docet, Moysen non ita tuitum esse unicitatem altaris sui et sacerdotii aaronici, ut non censeret ob gravem aliquando rationem concedi posse exceptionem : cuiusmodi rationem in aevi iudicum perturbatis rebus et agnovere eius aevi prophetae, et Deus quandoque editis miraculis comprobavit.

Arg. — Recitat orator (Iosue) secundum Moysis eloquium v. 9 sq., tam sacerdotum Levitarum quam populi animos excitantis, ut attendant et ad ea, quae sibi in solemnitate renovationis praestanda sint, et ad gravitatem maledicti, quod mox pronuntiabunt, quodque certissime incurrent, si quando foederis obliviscantur.

v. 9 « *Dixeruntque Moyses et sacerdotes levitici generis ad omnem Israelem* » : — Verte (v. s.) : *Dixitque Moyses ad sacerdotes Levitas et ad omnem Israel.* Habes hic rursum expressionem nobis e collectaneo notam הכהנים הלוים, quae Ex.-Num. non legitur. Eandem habes Ios. 3,3 (*Hebr. Vulg.* contra *LXX Syr. Chald.* inserentes copulam) et Ios. 8,33 (*Hebr. Symm. Chald.* contra *LXX Syr.* inserentes copulam, et *Vulg.* omittentem הלוים); et nota Ios. 8,33 respicere renovationem foederis sub Iosue factam eandem, atque nostrum v. 9. Ergone expressio *sacerdotes Levitae,* quam ignorasse videntur documenta et tempora mosaica, dicenda erit iam aevo Iosue adhiberi coepta esse? Quod impune concesserit quis, nihil enim mali aut falsi habet ea expressio, neque si ea tempore Iosue adhiberi coepta

sit, iure merito intulerit quis, item tempore Iosue eam coepisse cleri depravationem, quam collectaneum innuit. Sed aliam accipe explicationem eius h. l. adhibitae expressionis. Suggerebamus, in altari praemosaico v. 5 etiam offerenda fuisse sacrificia a sacerdotibus non mosaicis, v. g. a senioribus. Affuturae igitur erant ei solemnitati duae classes sacerdotum : sacerdotes sacrificatores, qui aut omnes aut certe longe plerique non essent futuri Levitae, et sacerdotes aaronici, qui in ea solemnitate sacrificatores non erant. Et simplices quidem levitae v. 14 veluti praecentores instituuntur, ut ritus v. 12-26 descriptus ordinate et decore peragatur. Sacerdotum aaronitarum Ios. 8,33 aliquod in eadem solemnitate officium describitur : ipsi portaturi erant arcam, sanctuarium mosaicum, quod aliis praeter Levitas committi non potuit, et convenientius credebatur sacerdotibus Levitis, quo tempore simplicibus levitis (etiam Caathitis Num. 4,15; 10,21) suo inter alias tribus loco in monte Garizim consistendum fuit (v. 12). Explicatam iam habes expressionem *sacerdotes Levitae* v. 9 et Ios. 8,33; lectio Ios. 3,3 est perquam incerta : certe non apparet sufficiens ratio affirmandi, expressionem illam aevo Iosue adhibitam esse eodem sensu, quo in collectaneo adhibetur, quo sc. confunduntur inter se levitae simplices et sacerdotes.

Praesto est alia etiam expressionis v. 9 explicatio. Recole, Iudaeos aliquando penitus oblitos esse, cuius auctoris esset cap. 27. Textus, qui non intelligebatur, facilius deformabatur. Habuerit igitur v. 9 primitus non *sacerdotes Levitas*, sed solos *Levitas*, a quo ceteroqui nomine aaronitae minime excluduntur. Sed nomen scriba aliquis interpretatus est simplices levitas. Indignum ei videbatur, ut simplicibus levitis honorificum aliquod officium conferretur, quod non item conferretur sacerdotibus. Cui ut indignitati mederetur, adscripserit v. 9 vocem *sacerdotes*. Eiusmodi male pia additamenta non ita raro sacro textui accrevere.

« *Attende et audi Israel* », qua etiam aliis gravissimis locis formula utitur Moyses : 5,1; 6,3; 9,1. « *Hodie* », hoc solemnis renovationis foederis die, « *factus es populus Domini Dei tui* ». Sicut urbs *conditur,* non solum quando prima eius fundamenta iaciuntur, sed item quando restituitur, amplificatur, ita Israel *fit* populus Iahve, non solum quamprimum ei devincitur foedere, sed item quoties hoc foedus solemniter renovat. Cf. ad 26,16. Ii porro, qui sunt populus Iahve, tenentur audire vocem Iahve eiusque mandatis obsequi : v. 10 « *Audies vocem eius, et facies mandata atque iustitias, quas ego praecipio tibi* » *hodie*. Habetur igitur, quae toties cap. 5-11 repetebatur, generalis adhortatio servandorum mandatorum. Sed quid ei adhortationi in hoc contextu, qui totus est de ritu renovationis? et

cur trita haec adhortatio speciali eloquio tam instanter inculcatur? *Keri* : *mandatum,* ergo illud unum, quod illico v. 12-26 explicatur. Quam lectionem si praeferas, adhibenda tibi erit praeterea levis textus emendatio : *statutum* pro *statutis* (*Vulg. iustitias*); numeri et suffixa saepius in textibus confunduntur. Ergo specialem Moyses a sacerdotibus et populo attentionem poscit; poscit eo nomine, quod Israel sit populus Iahve; poscit ad eum effectum, ut Israel monitum v. 12-26 opere expleat. Cur vero tam solemniter et instanter poscit? Plura mox erunt praestanda, neque eadem a sacerdotibus quae a populo; quare oportet utrosque accurate attendere ad ea, quae mox dicturus est Moyses. Sacerdotes pronuntiaturi sunt varias maledictiones distincte et decore; quibus populus acclamaturus est Amen non turbulenter, sed digne. Attentione opus erit, ut sua quisque parte congrue fungatur. Haec potuit esse ratio, cur seorsim sacerdotum et seorsim populi attentio peteretur. Est alia communis utrisque attendendi ratio : maledicti, quod ipsi ratum habituri sunt acclamantes Amen, gravitas et ineluctabilis efficacia. — Quae nostra explicatio videatur tibi petita e contextu magis quam e textu v. 9 sq. Fateor textum, post solemne exordium « Audi Israel », in breviusculam desinere caudam; fortasse aliqua eius pars excidit aut excisa est, eratque contextus primitus aliquanto diversus ab eo, qui nunc est. Lacunam malo adstruere in textu, qui tandem non est nisi fragmentum, quam v. 9 sq. cum recentioribus alio transferre. Quocunque transferas, manci sunt illi versus, neque ulla est ratio eorum in unum potius, quam in alterum locum transferendorum. Plura v. i.

Arg. — Recitat orator (Iosue) tertium eloquium v. 11-26, quo iubentur Hebraei, ut maledictum sibi imprecentur non solum ob publice neglectam legem, sed item ob peccata quaedam secreto potissimum commissa.

v. 11 « *Praecepitque Moyses populo in die illo* », eodem tempore, quo v. 9 sq. eorum tam instanter requirebat attentionem, « *dicens* » : v. 12 « *Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Iordane transmisso* », — respectu benedictionis populi et ad illam significandam : v. s. et cf. 11,29. Non praecipitur, ut sex tribus clament « Benedictus », et sex aliae « Maledictus », quod contradicit v. 15-26 — « *Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Ioseph et Beniamin* »; v. 13 « *et e regione isti stabunt ad maledicendum* » (v. s.) « *in monte Hebal : Ruben, Gad et Aser et Zabulon, Dan et Nephthali* ». על, *supra* et ב, *ad* montem, non contradicit Ios. 8,33 *a parte* (נגד) montis : non cogimur cum *Ios.* adstruere, Hebraeos in duobus cacuminibus montium constitisse. In valle erat arca Ios. 8,33, ex utraque parte

stabat populus, hi a parte montis Garizim, illi a parte montis Hebal. Cum tribus oporteat numero pari ex utraque parte arcae consistere, Ephraim et Manasse recensentur ut una domus Joseph. Si numeros consulas, quos CN p. 226 describebamus, reperies duas partes esse fere aequales, partem Simeonis solis 89 viris excedere partem Ruben. Filii uxorum Iacob opponuntur filiis concubinarum, hi et illi ordine aetatis recensentur. Cum autem illi sint octo, hi quatuor, ideo filiorum Liae duo ad filios concubinarum relegantur, sc. Ruben, qui ius primogeniti amisit, et Zabulon. v. 14 « *Et pronuntiabunt Levitae* », quotquot ad id praestandum satis erunt atque ad id deputabuntur, « *dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce* » : v. 15 « *Maledictus homo, qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito* ». Maledictio opponitur benedictioni et, sicut benedictiones hominibus piis in V. T. promissae constant potissimum fruitione bonorum terrae sanctae, ita maledictiones constant eorumdem privatione. « *Et respondebit omnis populus et dicet : Amen* ». Iahvae maledictionem in sua capita devocant, si scelera hic recensita commiserint. v. 16 « *Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 17 « *Maledictus, qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 18 « *Maledictus, qui errare facit caecum in itinere. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 19 « *Maledictus, qui perverterit iudicium advenae, pupilli et viduae. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 20 « *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum* [*lectuli eius*]. *Et dicet omnis populus : Amen* ». Cf. 22,30. v. 21 « *Maledictus, qui dormit cum omni iumento. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 22 « *Maledictus, qui dormit cum sorore sua, filia patris sui vel matris suae. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 23 « *Maledictus, qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 24 « *Maledictus, qui clam percusserit proximum suum. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 25 « *Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus : Amen* ». v. 26 « *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus : Amen* ». Eadem intelligitur *thora,* quae v. 3.8, eadem quam praelegit Iosue Ios. 8,34 sq. יקים non est *permanere* (*LXX Vulg.*), sed *Aq.* στήσει (cf. Rom. 3,31 ἱστάνομεν), *Theod.* ἀναστήσει i. e. *stare facere, Symm.* κυρώσει i. e. *confirmare, stabilire.* Num. 30, 14 sq. *validare, ratum habere.* Id praestitit Iosias 4 Reg. 23,3. 24, non praestitit Saul 1 Reg. 15,11. 13. Mandatum observandae legis toties antehac repetitum h. l. instantius etiam inculcatur : debet homo

niti omnibus, quascunque habet, viribus, ut ea lex firma stet, effectum nanciscatur tam in se quam in aliis. Maledictum attinget etiam eos parentes et magistratus, qui ipsi sunt bene morati, sed non efficaciter invigilant, ut filii, subditi legem *opere impleant*.

Licet v. 11 utique incipiat aliquod Moysis eloquium, tamen dubitari potest, num illud pertingat usque ad v. 26. Ratio dubitandi haec est, veri absimile videri, Moysen diutius ante illam renovationem tam accurate minima quaeque definivisse. Praesciebatne Moyses, aevo Iosue caecos (v. 18) in angustias actum iri? Si porro v. 14-26 adstruas a Iosue mosaico eloquio esse adscriptos, evanescit omnis v. 12 sq. difficultas : tum Moyses certissime non sanxit, ut tribus in monte Garizim constitutae benedictiones pronuntiarent, neque solae reliquae tribus maledictiones; id neque verba v. 12 sq. habent secundum expositionem a nobis p. 435 datam, neque contextus v. 12 sqq. cum v. 14 sqq., cum inter haec non habeatur immediatus contextus, sed duo fragmenta invicem adscripta.

Distinguendus v. 26 a v. 15-25. Ille cum solemnitate renovationis foederis et speciatim cum cap. 28 intime cohaeret, maledictionem apprecatus iis, qui foedus neglecturi essent, cuius instrumentum est thora. Praemittuntur peccata *undecim*, quo numerus duodenarius compleatur. Peccatum v. 15 committitur in Deum, peccatum v. 16 contra parentes, peccata v. 17-19 contra iustitiam et caritatem, peccata v. 20-23 sunt luxuriae, peccata v. 24 sq. homicidii : auctor novit *decalogum*, sed ordini mandatorum non adhaeret per omnia. Non selegit haec peccata, quod omnium essent *gravissima* : multa, quae hic non recensentur, graviora sunt caeci deceptione. Notat *Cai.*, v. 15-25 agi de peccatis *secretis*. Reapse v. 15.24 habes superstitionem et occisionem occultam; v. 17.20.21.22.24.25 non sunt peccata, quae palam committi consueverunt; iniquus iudex v. 19 speciem iustitiae quaerit; v. 16.18 non sunt peccata natura sua occulta, committuntur tamen etiam secreto. Certe non recensentur gravissima quaeque peccata secreta. Fortasse congerebat auctor ea peccata secreta, quae a suis aequalibus frequentius committerentur, essentque occasio malorum etiam externorum. Non videtur ea aetas fuisse ita rudis et effrena uti ea, quam collectaneum describit : cf. 18,8; 22,5; 23,17(18) sq.; 25,11 sq. Idololatria committebatur ad summum clam, non publice uti Iud. 6,28 ; 9,46. Omnia consonant aevo potius Iosue quam iudicum.

Sed redit quaestio, cur tam solemni maledicto proscribantur haec peccata, quae, quatenus secreta sunt, minus damnum illatura erant rei publicae. In re obscura liceat coniecturam proferre. Qui com-

mittebat peccata graviora publica, incurrebat sententiam iudicis, fiebat קללת אלהים, *maledictum iudicis* (21,23), atque ita maledictionem evidenter incurrebat. Iosue, quod sollicitus esset de iustitia non publica tantum, sed item privata, voluit ut peccatores secreti ipsi sibi divinum maledictum imprecarentur scirentque porro, se nullis tenebris, nullo secreto evasuros esse poenas laesi foederis.

Uti p. 286 sqq. leges collectanei cum aliis legibus conferebamus, ita iam conferimus maledictiones v. 15-25 cum legibus tam Exodi et Levitici, quam collectanei. Cf. *Dr.*

Deut. 12,1-26,15	Deut. 27,15-25	Ex.	Lev.
	v. 15 superstitio secreta	20,1. 23; 34,17	19,4; 26,1.
	v. 16 despectus parentum	20,12; 21,17	20,9.
19,14	v. 17 translatio terminorum		
	v. 18 deceptio caeci		19,14.
24,17	v. 19 perversio iudicii egenorum	22,21-24; 23,9	19,33 sq.
22,30 (23,1)	v. 20 incestus cum noverca		18,8; 20,11.
	v. 21 bestialitas	22,19 (18)	18,23; 20,15.
	v. 22 incestus cum sorore ex alterutro parente		18,9; 20,17.
	v. 23 incestus cum socru		18,17; 20,14.
	v. 24 homicidium secretum	20,13; 21,12	24,17.
	v. 25 sicarii stipendium.		

Habentur affinitates in re, sed raro in modo dicendi : maledictiones non videntur ex aliqua legum collectione immediate esse transsumptae (*Dr.*). Sola v. 17 translatio terminorum in solo praeterea collectaneo reperitur, sed ea debuit a nullo potius quam a Iosue proscribi, qui primus e divino mandato terminos descripsit. Schema evidenter demonstrat v. 15-23 non esse derivatum e collectaneo, nostramque confirmat sententiam collectaneum serius esse concinnatum. De sicarii stipendio (v. 25) leges Ex.-Num. silebant : sed res implicite condemnabatur legibus contra homicidium latis. Restant peccata novem, quorum quatuor in solo Lev., nullum in solo Ex. reperitur : videtur igitur v. 15-25 maiorem habere affinitatem cum Lev. quam cum Ex. Cave tamen, ne externa rerum specie decipiaris. Lex de reverentia caeci Lev. 19,14 est utique perantiqua et praemosaica; item leges Lev. 18; 20 de matrimoniis. Textus vero, quos ex Exodo comparandos affert schema, omnes sunt e Libro Foederis et cap. 34 petiti. Manet igitur, quod p. 291 sqq. de collectaneo affirmabamus : v. 15-25 toti fundantur in Libro Foederis et Ex. 34, respi-

ciunt eas solas leges, quae sive vi foederis sive iure naturae Hebraeos perpetuo obligabant.

3. *Conclusiones.*

His de textu 26,16-27,26 tam dilapidato disputatis, supersunt perpendendae quaestiones duae : quid tandem habuerit liber ille Verborum Iosue, et cur eius tantum aliqua fragmenta ad nos pervenerint.

Videntur igitur Verba Iosue utique habuisse acta quaedam plus minusve completa *secundae* renovationis a Iosue Silunte celebratae (cf. *Cai.* in Ios. 24,26), cum ei narratae renovationi Ios. 24,26 adnectantur verba, adscripsisse Iosuen « omnia verba haec » thorae Moysis. Tamen expressio non necessario restringitur ad sola immediate praecedentia Ios. 24 et, si expressionem quis ad haec restringat, potuit tamen Iosue acta secundae renovationis describens simul *priorem* attingere renovationem. Cum porro tria Moysis eloquia Deut. 27 proxime utique respiciant priorem renovationem a Iosue Galgalis celebratam (Ios. 8), intulerit aliquis Verba Iosue utriusque renovationis acta recitasse.

Neque tamen illud necessario erit concedendum. Licet enim tria eloquia Deut. 27,1-13 pronuntiaverit Moyses intuitu renovationis Galgalis celebrandae, at cur non in altera renovatione Silunte celebrata eadem eloquia recitaverit Iosue? Peregerit secundam renovationem eodem adamussim, quo primam, ritu; erexerit Silunte etiam lapides duos et altare, id enim facere nequaquam prohibebatur; posuerit rursum in duobus ib. montibus benedictiones divinas et maledictiones. Quaeres, cur non ad secundam renovationem celebrandam Iosue rursum se contulerit Galgala : ratio videtur fuisse haec, eum senio tum fuisse plurimum debilitatum (Ios. 23,1 sq.), praeterea Siluntem Galgalis translata fuerant universi Israelis castra.

Quem ad finem inseruit Iosue illa sua Verba thorae? an, ut demonstraret se Moysis mandatum 11,29 sq. fideliter implevisse? Adscribenda tum ei erant acta prioris renovationis, qua mandatum illud exsecutus est. Sed, nonne illud abunde demonstrabant duo illi lapides Galgalis erecti? Potuit finis esse idem, qui postmodum videtur fuisse Samuelis, ut solemniter testaretur Iosue, quo loco, principatu suo iam ad terminum vergente, essent Hebraeorum res; ut, suo scripto cum thora ad latus arcae reposito, perstaret ib. cum Moyse ipse veluti testis, atque contra populum cum Moyse testimonium

ederet, si quando populus a foedere tam solemniter sancito et renovato recederet thoraeque maledictiones promereretur.

Ergo, licet non iudicem esse improbabile, Verba Iosue habuisse primitus etiam prioris renovationis acta, tamen id sufficienter demonstrari non video, neque pro demonstrato habeo. Certe habebant acta quaedam renovationis secundae; poterant ne eorum partem potissimam ignorare, solemnem illam Ios. 24 populi adiurationem, malletne Iahve servire an diis alienis?

Transimus ad alteram quaestionem, cur Verborum Iosue nonnisi fragmenta ad nos devenerint. Potuit id fieri casu. Dicebamus p. 57, non posse demonstrari pericopen 26,16-27,26 fuisse in exemplari thorae, quod reperit Helcias. Dum thoram illam repertam Iosias summo honore prosequeretur, facile e latebris prodibant quaecunque thorarum fragmenta aliqui asservaverint, prodierit item pericope 26,16-27,26. Sed fortasse res non est facta casu. Quid, si Verba Iosue haberent contra foederis praevaricatores minas etiam magis explicitas, quam quae Ios. 24,20 leguntur? aut distinctius enarrarent indolem foederis a Moyse in Moabitide restituti et a Iosue in cisiordanica renovati? Vel aliquis, quod reputaret thoram oportere esse totam Moysis, Verborum Iosue ea omnia eliminaverit, quae nimis evidenter proderent Iosuen auctorem. Fingat quis alias etiam rationes. Neque unica fuerit ratio textus ad pauca fragmenta redacti, sed fortasse plures. In textu tam misere defigurato, plura obscura permaneant necesse est.

Quaeres tandem, cur Verba Iosue descripta conspiciantur *post* collectaneum Samuelis, cum certe sua Iosue inseruerit *ante* Samuelem. Rationem innuimus supra : collectaneum affinius erat pentalogo, leges addebat legibus; ideo illud a Samuele insertum est veluti pentalogi appendix et ante Verba Iosue, quae affiniora erant maledictionibus et benedictionibus. Haec nobis, salvo meliore iudicio, ratio esse videtur, cur praecedat collectaneum Samuelis, sequantur Verba Iosue. Verba Iosue Deut. 26,16-19, quibus explicat Iosue summatim coactae concionis consilium, utique affinia sunt verborum Moysis 11,26-28, quibus is suae concionis consilium indicat, et quibuscum verba 26,16-19 immediate iungebantur ante insertum collectaneum Samuelis. Sed illa verba magis etiam affinia sunt verborum historiae restituti foederis 29,10-15 (9-14), quibus Moyses idem illud consilium distinctius explicat. Rursum, quae Iosue 27,1-13 recitat tria Moysis eloquia, spectant ritum, quem Moyses observari voluit in renovatione foederis, ad quam alludit 11,29 sq., ideoque (cum 26,16-19) apte adnectebantur cap. 11, quo tempore nondum

exstabat collectaneum. Tamen ille ritus omnino respiciebat benedictiones et maledictiones cap. 28. Igitur Samuel collectaneum suum, quod omnino affine erat pentalogo, Verbis Iosue non postposuit, sed anteposuit.

Ceterum recole, quae p. 74.78 dicebamus, probabilius exstitisse antiquitus apographa thorae molis perquam diversae, quorum aliqua solam secundam orationem haberent, alia tria documenta mosaica, alia praeterea aut collectaneum Samuelis aut Verba Iosue aut utrumque. Quocunque igitur ordine scripta Iosue et Samuelis primum secundae orationi inserta fuerint, potuit tandem apographum aliquod habere sola documenta mosaica collectaneo aucta, quibus postea aliquis post collectaneum, qui locus haud iniquus videretur, adscripserit Verba Iosue eorumve fragmenta. Tamen mihi arridet opinio, ipsum Samuelem collectaneum anteposuisse Verbis Iosue.

Haberi 26,16-27,26 mera cuiusdam textus *fragmenta*, evidens est et ab omnibus concessum : non textum truncatum, cuius indoles universim illico percellat animum, sed mera textus fragmenta et exiguas illius partes. Quae deficiente nativo contextu difficilius ipsae perspiciuntur; qualis vero fuerit ipse textus primigenius et integer, id solis fere coniecturis attingi potest. Quare tota haec disputatio necessario est perquam incerta.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA,

PARS II : BENEDICTIONES ET MALEDICTIONES DEUT. 28.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA,

PARS II : BENEDICTIONES ET MALEDICTIONES DEUT. 28.

Praenotanda.

1. Deut. 28 non est continuatio sermonis Deut. 27 :

a. Deut. 28 est pars « verborum foederis » trans Iordanem a Moyse restituti (29,1) : Deut. 27 non est pars eorum verborum, sed respicit eius foederis renovationem aliquam cis flumen aliquando celebrandam.

b. Deut. 27 est instructio omnino practica describens ritum illius renovationis celebrandae : Deut. 28 non est eius practicae instructionis continuatio. Si nihilominus primitus individue cohaerebant cap. 27 et 28, debebant initio cap. 28 scribi verba « Et dixit Moysis etc. » (cf. 27,1. 9.11), cum certissime cap. 28 aliud habeatur Moysis eloquium ab illo, quod 27,11 incipiebat.

c. Deut. 28 illas habet benedictiones et maledictiones, quas Moysi auctori tribuebant non solum Iosiae aequales, sed testis hac in re omni exceptione maior Iosue (Ios. 8,34). Pericope Deut. 26,16-27,26 non est Moysis auctoris, licet auctor aliqua Moysis eloquia recitet.

d. Neque affirmare fas est Deut. 28 esse amplificationem maledictionum 27,15-26. Quae sunt solae maledictiones, dum cap. 28 etiam habet benedictiones. 27,15-26 unicam habet maledictionem, sola voce « maledictus » expressam, in diversa peccata pronuntiatam : Deut. 28,15 sqq. varias maledictiones fuse describit, infligendas ob mandatorum neglectum, et imprimis ob idololatriam.

2. Deut. 28 non est continuatio collectanei, cum collectaneum sit Samuelis, Deut. 28 Moysis auctoris (v. s.).

3. Deut. 28 est continuatio Deut. 5-11. Etenim Deut. 5-11 inscribitur thora, thora habet eloquentissimas maledictiones, has maledictiones habet cap. 28. Consuevit Moyses prolixioribus legum collectionibus adscribere stilo oratorio digestas aut praemiorum promissiones, aut poenarum minas, aut utrumque. Sic Libro Foederis Ex. 20,22-23,19 adscribit 23,20-33 praemium Iahvae auxilium, quod conse-

quentur victoria, prosperitas, fertilitas, longaevitas. Legibus Lev. 11-24 adscribit Lev. 26,1-13 praemia, et sermone longe prolixiore v. 14-42 minas, dum v. 43-45 veniam praemonstrat ad officium redituris. Similiter extrema thora Deut. 28,1-14 praemia annuntiat, v. 15-68 minas, dum veniae promissionem cantico reservat; et cf. quae dicturi sumus ad cap. 30. Ergo in tribus illis epilogis praemiis tribuuntur fere 13 versus; in tertio epilogo, qualis nunc legitur, minae digeruntur sermone fere duplo longiore, quam Lev. 26 digerebantur (54 v. et 29 v.); si vero ab hoc epilogo eximas v. 47-68, quae serius eidem accrevisse infra demonstrabimus, manent minarum versus 32, ut ergo ambitu noster epilogus epilogum Lev. 26 fere aequet (versus 14 + 32 et 13 + 29).

4. Recitantur primum Deut. 28 praemia v. 1-6, inde v. 7-14 explicantur. Item v. 15-19 recitantur minae, v. 20-68 explicantur. Generale explicationis praeambulum v. 20 sq. excipiunt articuli tres v. 22-26. 27-34. 35-44, symmetrice concinnati. Ordiuntur quippe v. 22.35 verbo *percutiat*, v. 27 sq. eodem verbo bis scripto; describunt primum morbum aliquem Hebraeis infligendum, dein Hebraeos variis malis externis affligendos. Verum articulus tertius duos versus 36 sq. habet insertos certe loco non suo. Sc. praenuntiatum v. 35 morbum, nulla tamen exorti belli facta mentione, excipit v. 36 sq. captivitas totius populi in terra aliena. At v. 38-44 populus nequaquam versatur in terra aliena, finibus Chanaanitidis continetur, modicum ibidem v. 38 ex agris fructum colligit, imo v. 43 sq. advenis permixtus ibidem habitat. Neque ideo tamen v. 36 sq. expungimus, sed alio transferendos censemus. Ut Hebraei, qui a Iahve in Chanaanitiden recepti a Iahve defecerint, puniantur exsilio procul a Chanaanitide, est genus poenae maxime obvium et a Moyse 4,27 et Lev. 26,33 sqq. praenuntiatum. Sed ea est etiam poena e natura sua maxima et ultima, ergo uti Lev. 26 *post* reliquas poenas enuntianda, quam igitur in eadem paragrapho v. 35-44 retinemus, eiusque extremo versui immediate iungimus.

At v. 27 censemus esse expungendum, quod sit mera repetitio v. 35, qui ipse initio paragraphi (« Percutiat ») omnino retineri debet. Singulae paragraphi ordiuntur *una* aliqua corporum infirmitate : v. 22 phthisi adiunctam habente inflammationem, v. 35 ulceribus incurabilibus. Cur initio secundae paragraphi v. 27 sq. habeantur percussiones *duae* et *duo* morbi penitus diversi, ulcera et paralysis gignens debilitatem et stuporem? Praeterea v. 27 habet morbum plane eundem atque v. 35, ulcera, quae utrobique affirmantur esse « incurabilia ». At spectata gradatione, quae de paragrapho ad pa-

ragraphum observatur, morbus incurabilis videtur esse soli extremae paragrapho concedendus, et duae percussiones, si uni alicui paragrapho concedantur, concedendae erunt extremae item paragrapho, non mediae.

v. 45 sq. habetur generalis clausula tam pericopae v. 15-44, quae minas intentat, cum v. 45 vix non verbotenus repetat v. 15, quam totius epilogi, cum v. 15 nonnisi negative enuntiet id, quod v. 1 positive expresserat, ideoque v. 45 etiam versui 1 adamussim respondeat. Verum hanc clausulam excipit v. 47-68 plaga alia fuse descripta, quae non orditur descriptione morbi infligendi, neque praefixo verbo *percutiat,* estque tota de populo in exsilium exturbando. Post clausulam generalem v. 45 (« *omnes* maledictiones ») non erat locus novae et gravissimae omnium plagae describendae, sed absolvendae orationi. Num ipse orationis auctor illud v. 61 additurus erat, plagis ante enumeratis, quibus atrociores haud fingi possunt, superaddendas fore etiam alias? Quae verba potius sapiunt recentiorem auctorem, qui nostri oratoris dicta cupiat exaggerare. Num verba « plagae omnes, quae non sunt scriptae in libro thorae huius » non suggerunt, quo tempore v. 47-68 adscribebantur, praecedentem sermonem iam fuisse *librum,* i. e. scriptum in se absolutum et completum?

Ceterum, ipsa descriptio v. 47-68 depingit rerum conditionem aevo Moysis longe posteriorem. Quo aevo non erant apud Hebraeos mulieres illae ita delicatae v. 56, quae vererentur plantam pedis humi figere propter mollitiem. Non erant tum bella cum nationibus v. 49 de longinquo advectis, sed cum incolis Chanaanitidis, regionum proxime adiacentium, deserti. Vel iudicum aevo longe aberat ab hostibus consilium v. 64 Hebraeorum in omnes regiones dispergendorum : Philisthaei, Madianitae etc. nationes devictas non dispergebant, sed annuum tributum exigebant aut segetes quotannis diripiebant. Certe nemini in mentem veniebat de Hebraeis v. 68 captivis in Aegyptum devehendis (cf. 17,16). Neque Philisthaeorum neque aliorum tum bella constabant diuturnis urbium obsidionibus, cum non ageretur de defensoribus exstirpandis vel in exsilium abigendis, sed ad tributa compellendis, malintque homines tributa pendere quantumlibet gravia, potius quam liberos devorare. Licet porro vel iudicum aevo Hebraei habuerint aliquas munitiones (cf. Iud. 9,46. 51), tamen quod de bellis Hebraeorum tempore iudicum et Saulis compertum habemus, nobis evidenter demonstrat contra v. 52, neque multas tum Hebraeis fuisse urbes munitas, neque muros ita firmos atque sublimes, neque potissimam bellorum feliciter gerendorum fiduciam Hebraeos in urbibus munitis collocasse. Sed haec omnia per-

belle quadrant aevo Assyriorum et Babyloniorum. Reapse Assyrii (Os. 8,1) et Babylonii (Ier. 48,40; 49,22; Hab. 1,8) *aquilae* (v. 49) comparantur; imo Assyrii numen supremum symbolo aquilae volantis repraesentabant. Iidem *de longinquo* et adventabant et affuturi Is. 5,26 demonstrantur. Assyriorum *linguam* (Is. 28,11; 33,19; 4 Reg. 18,26 sq.), quae eadem Babyloniorum erat, non intelligebant Hebraei, dum nullius unquam difficultatis in intelligendis Chananaeis, Philisthaeis aliisque meminerit scriptura. Babyloniorum v. 50 in *senes* et *parvulos* crudelitatem confirmant Is. 47,6; Thren. 5,12 sq. Tandem Ier. 5,15 nostrum v. 49 applicans Babyloniis prodit orationem v. 47-68 legitime accipi de Babyloniis, dum argumenta nos prorsus deficiant, quibus demonstremus, illam legitime item de Philisthaeis etc. exponi posse. Reges Hebraeos contra Syros primum et Assyrios postmodum plures exstruxisse urbes munitissimas, Assyrios et Babylonios in urbibus munitis obsidendis fuisse perquam pertinaces, devictas gentes in varias regiones deportasse, quis ignorat?

Dices, his utique effici descriptionem v. 47-48 respicere tempora exsilii potius quam Moysis, non vero effici serius textui esse adiectam, cum sit *prophetia* futurorum *ante* eventus praemonstratos edita. Verum illud perpendas, quaeso, consuevisse quidem prophetas describere eventus diu post futuros, sed non depingere futurorum temporum *mores*, exprimere illos eventus futuros iis coloribus, vestire iis circumstantiis, quae propria sint aevi ipsorummet prophetarum. Messiam descripsere regem Davidis successorem, throno insidentem, hostes debellantem, tributum accipientem, non vero fabrum fabri filium, solummodo armis spiritualibus decertantem, docentem. Eventus apocalyptici formam induunt aevi graeco-romani. At v. 47-68 ipsos *mores* expressos habes aevi longe recentioris aevo mosaico, mulieres delicatas, urbes munitissimas, obsidiones exitiales. Quare equidem censeo, salvo meliore iudicio, v. 47-68 adscripta esse a propheta aliquo posteriorum regum Iuda aequali, qui sermonem comminatorium Deut. 28 suo aevo adaptaverit, sui aevi coloribus depinxerit moribusque conformaverit atque simul, vaticinio nixus antiquiore, verum ipse ediderit vaticinium, implendum vere in priore obsidione Hierosolymorum per Chaldaeos facta, implendum longe plenius in posteriore Romanorum obsidione. Est ille in amplificando axiomate perantiquo, ab ipso Moyse accepto et v. 15-46 explicato, nullis non plagis Iahven ulturum esse Israelis apostasiam. Vel ipsius exsilii meminerat Moyses v. 36 sq., quos licet ibi legi loco non suo monuerimus, tamen non censemus omnino esse expungendos, sed in alterum ante v. 46 locum transferendos. Sed exsilii pla-

gam effuse amplificat propheta, coloribus quidem a posteriore aevo petitis. Qua in re nihil est, quod aut prophetam dedeceat, aut inspirationi adversetur. Num praesto habes argumenta, quibus efficias, prophetis antiquiores textus fuisse describendos semper de verbo ad verbum, nullum locum fuisse paraphrasi, adaptationi? Quid hac in re prophetis etiam posterioribus licuerit, inferas ex iis, quae Iosue et Samuel fecisse deprehenduntur. Thorae Moysis sua adscripsere, Iosue renovationem foederis a se celebratam, Samuel totam legem regni. Cur non licuerit prophetae alicui regum aequali poenarum amplificationi cap. 28 suam adscribere amplificationem?

Suspicio te occupabit, audaciores nos esse in textu cap. 28 distinguendo, emendando. Reapse huius capitis graviores censemus fuisse vicissitudines. Rationem accipe. Monebamus p. 81 sqq., pravos apud Israelitas reges ea scripta sacra, quae prae aliis invisa haberent, quod ea laesae veluti regiae maiestatis incusarent, conquisivisse, discerpsisse, combussisse. Quid vero gravius laederet regiam illam fucatam maiestatem, quam ea vaticinia, quae non populo solum gravissimas indicerent poenas, sed ipsum regem cum summo opprobrio in exsilium abductum, regiam funditus eversum iri praenuntiabant? Compertum etiam habemus, prae aliis libris illis pravis regibus exosam fuisse thoram, et ita quidem, ut ea aliquamdiu praeter omnem restitutionis spem deperdita et destructa crederetur. Cuius thorae nihil magis invisum capite 28, in hoc capite nihil certe magis invisum paragrapho tertia, quae regem in exsilium aliquando abripiendum demonstraret. Quid mirum, in hoc caput et in eam paragraphum saevitum esse durissime, eum textum prae aliis esse misere defiguratum? Quandocunque propheta aliquis vel Israelita eximie pius in carcerem abripiebatur, discutiebantur diligenter eius sarcinae, et in his « libri prohibiti » requirebantur. Sed novimus etiam illud, gubernia vix unquam pleno frui successu, quando librum aliquem, qui in multorum manibus versatur, exstirpare nituntur. Libri non latrant, sed quieti latitant in thecis. Amicos habent eos omnes, qui gubernium aversantur; libri sacri Hebraeorum amicos habebant pios quosque, imprimis prophetas. Uti ipsa tandem thora e latebris iterum prodiit in lucem, ita vel ante Iosiam e fragmentis restituebatur cap. 28. Tertiam paragraphum reperere misere defiguratam restitutores, amputatis imprimis iis qui nunc sunt v. 36 sq., sed pridem extremae paragrapho adscripti regis praenuntiabant exsilium. Sed hos etiam duos versus fragmento cuidam inscriptos reperere, aut e memoria restituere, sed loco inseruere non suo (non post v. 44, sed post v. 35); reperere altera forma expres-

sum v. 35, hocque fragmentum item inseruere loco non suo (post v. 26).

Recordare interim, thoram fuisse tum legem non mortuam, sed vivam, quae aevo Iosue et aevo Samuelis non antiqua tantum Moysis verba, sed sermones insuper illis ipsis aevis accommodatos ediderat. Eratne muta permansura thora in tantis regum impiorum furoribus, sola fragmentorum restitutione aliqua contenta? Non siluit thora. Vocem extulerat aevo Iosue et aevo Samuelis : vocem extulit contra reges improbos, alte et distincte. Propheta aliquis, postquam textus cap. 28, quantum fieri potuit, imperfectius tamen restitutus est, tertiae strophae adscripsit pericopen v. 47-68, antiquum de rege in exsilium abducendo vaticinium non repetiit tantum, sed 24 versibus amplificavit, coloribus sui aevi propriis ad oculum depinxit, ipsos Assyrios digito demonstravit. Quanto tempore ante diem repertae a Iosia thorae haec fieri coeperint, quis computet? Quod ut definiat, perspectas ante habeat oportet omnes et singulas persecutiones, quas sacer liber passus est. Fuerit ille fortasse labor diversis annis et sat magnis temporum intervallis resumptus. Crescunt furores etiam a parvis initiis ad magna incendia. Primos illos pravos reges cohibuerit aliqua libri sacri reverentia : expunxerint hi primum solos v. 36 sq., alii integrum caput, alii tandem integram thoram eliminaverint.

Ergo, quod sensere post *Bohlen* plures, aliquid certe capitis 28 post Moysen esse insertum, perpensa ipsa textus indole et historia, concedi posse censemus, sed audacter negamus id per fraudem factum esse vel fieri potuisse. Certe non factum est ad decipiendum regem Iosiam, quem eximie vecordem fuisse quidam gratuito effingunt. Fecit hoc propheta aliquis iure suo et instinctu divino; id faciens veram edidit prophetiam, quod eventus quosdam bellicos aliquamdiu post futuros accuratissime praenuntiaverit; fecit in thora non mortua sed viva, quae ius habebat impiorum retundendorum et pro sua veluti vita dimidicandi, eratque vivum palladium gentis electae.

De stilo cap. 28 haec habet *Dr.* : « Non est in V. T. pericope, quae eidem comparetur quoad orationis vigorem continuum. Stili generalis quaedam est affinitas cum orationibus propheticis Ieremiae et Ezechielis potius, quam antiquiorum prophetarum; sed forma est magis symmetrica et ad omnem artis apicem exacta, quam apud Ieremiam esse consuevit, ideae magis variae iis, quae apud Ezechielem in unicam prophetiam congestae deprehenduntur. Symmetrice ordiuntur tractatus cum de benedictionibus tum de maledictioni-

bus (v. 1-7. 15-19), dum inde a v. 8 et v. 20 liberior fluit oratio, et maledictiones longe copiosius explicantur quam benedictiones, ut huius capitis sint res omnino potissima. Non legitur hic uti Lev. 26 mera successio malorum chronologica, quorum uno carente effectu aliud infligatur ad emendandos Israelitarum mores, sed habentur descriptiones parallelae malorum Israelitis imminentium, quorum quodque ruinam reipublicae inferat, duo extrema reliquis omnibus terribiliora sint (v. 49-57. 58-68). Eadem quandoque cogitata repetuntur, non iisdem verbis expressa (v. 21 sq. 27.35.60; — v. 25. 37; — v. 28. 34; — v. 31. 51; — v. 32. 41; — v. 36 sq. 64), sed id fere semper consequitur orationis consilium, bis tantum (v. 35. 41)[1] eiusmodi repetita a contextu dissonant, ut interpolata esse suspiceris. Constructiones et expressiones omnino sunt deuteronomicae, licet utique ob rerum, quae pertractantur, naturam aliqua verba phrasesque occurrant, quae alibi in Deut. non leguntur. Quod autem legantur expressiones, quae frequenter apud Ieremiam recurrant (v. 20ᵇ. 25ᵇ. 26.37), id non efficit has expressiones ex ipso esse transsumptas, cum reliquum Deut. vix atque ne vix quidem occasionem suppetat earum expressionum repetendarum, dum Ieremias facile potuerit eas e Deut. mutuari, qui alias item plura e Deut. transsumat et expressiones ante scriptas repetat ».

v. 47-68 recentiori attribuentes prophetae reliquum cap. 28 Moysi adscribimus auctori. Nullo argumento efficitur, diversos v. 1-46 adstruendos esse auctores. Benedictiones et maledictiones, quas praelegebat Iosue 8,34, non erant nudus aliquis benedictionum et maledictionem elenchus (v. 1-6. 15-19), sed longior aliqua pericope, quae audita vehementer commoveret animos, ergo tota sane pericope v. 1-46. Loquitur Moyses nomine suo, non Iahvae. Sed, quod certo praenuntiet, quod Iahve facturus sit, ostendit se loqui ut prophetam. Benedictiones et maledictiones re easdem pronuntiaverat ipse Iahve Lev. 26 : quae ibi dicta fuerant, h. l. Moyses amplificat, eandem ideam evolvit.

I. BENEDICTIONES DEUT. 28,1-14.

Arg. — Habentur v. 1-6 *benedictiones* sex, uti v. 15-19 maledictiones item sex. Illae et hae sunt plane universales, feruntur sc. in omnia quae domi et foris sunt, in fructus uterorum et agrorum, in

1. Suadebamus supra v. 27 esse expungendum, v. 35 retinendum; v. 32 et v. 47 utrique sunt retinendi.

negotia universa ab initio ad finem. Dein v. 7-14 benedictiones v. 1-6 latae rhetorice amplificantur; quod v. 6 dicebatur de negotiis universim, v. 7 negotiis bellicis applicatur; exaggeratur v. 8.11 sq. futura agrorum fertilitas, populi electi super reliquos populos v. 9 sq. 13 (cf. v. 1) excellentia; inculcatur v. 13 sq. unica conditio, observatio mandatorum (cf. v. 1 sq. 9), eius imprimis quod est de monolatria amorpha.

Cap. XXVIII v. 1 « *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius, quae ego praecipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quae versantur in terra* ». v. 1 sq. introductio quaedam sunt inculcans benedictionum obtinendarum conditionem observationem mandatorum. Quod v. 1 verbotenus fere consonet cum 26,19, non sequitur ab eodem auctore fluxisse utrumque versum : auctor 26,19 imitatus est 28,1, et imitando amplificavit. Vox *hodie* v. 1.13.15 resumit illud *hodie* 11,26.27.28.32. Est diversum ab *hodie* collectoris seu Samuelis 13,18 (19); 15,5.15 etc., et ab *hodie* Iosue 26,16-18. אלה v. 2.15 demonstrat sequentia, v. 45 praecedentia. v. 2 « *Venientque super te universae benedictiones istae et apprehendent te, si tamen* » — *Hebr. quia* — « *praecepta eius audieris* ». Personnificantur benedictiones, quae pone pios currant eosque assequantur (*Keil*) : nullus relinquitur pusillanimitati locus, certum est piorum praemium.

v. 3 « *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro* ». « Omnia tibi prospere cedent, sive in urbe sive in agro » (*Malv.*). v. 4 « *Benedictus fructus ventris tui* », uxorum tuarum, « *et fructus terrae tuae, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum et caulae ovium tuarum* ». *Fructus iumentorum* seu verius *armentorum* discernuntur in *foetus boum* et *partus ovium* (seu caprarum). Cf. 7,13; Ex. 13,12. Promittitur universalis foecunditas. v. 5 « *Benedicta horrea tua et* [*benedictae*] *reliquiae tuae* ». Benedicuntur frugum receptacula : *canistra,* quibus fruges crudae reconduntur, et *mactrae* (Ex. 8,3 [7,28]; 12,34), ubi eaedem in cibum transformari incipiunt. v. 6 « *Benedictus eris ingrediens et* » *benedictus eris* « *egrediens* », initio et fine omnium, quae facienda aggredieris. Repetitur igitur sexies vox *benedictus.*

Uti praemittebatur v. 1 sq. benedictionibus introductio, ita eaedem v. 7-14 fusius celebrantur. v. 7 « *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua* ». Acie iuste instituta processerant, prorsus fracti et perturbati recedunt, eam

quoque arripiente viam, quae se prima obtulisset ad fugam (*Men.*). v. 8 « *Emittet Dominus bendictionem super cellaria tua et super omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra quam acceperis* ». *Hebr.* : *Iubebit* (pro יצו *Sam.* יצוה) *Iahve tecum benedictionem super granaria tua... et benedicet te.* Habebas v. 2 benedictionem veluti currentem : hic doceris, quo iubente illa currat. v. 9 « *Suscitabit* », seu potius *stabiliet,* « *te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iuravit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui et ambulaveris in viis eius* ». v. 10 « *Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te* », sicut Is. 4,1 mariti nomen invocatur super uxorem, quam ipse suam habet et defendit, « *et timebunt te* ». v. 11 « *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui et fructu iumentorum tuorum, fructu terrae tuae, quam iuravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi* ». Cf. v. 4. — v. 12 « *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, coelum, ut tribuat pluviam terrae tuae in tempore suo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum* ». « E coelo veniunt omnia bona quasi e thesauro » (*Mar.*). Alius modus, quo Deus certissime suas benedictiones piis attribuit : aperit supernos thesauros, unde sola vi gravitatis beneficia feruntur deorsum. « *Et foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies* ». « Non hic Deus permittit aut praecipit usuras » (*Lap.*) : sed Israelitis dicitur, tantam illis futuram copiam rerum, ut aliis gentibus sua *mutuare* possint, neque ipsi mutuo opus habeant (*Est.*). v. 13 « *Constituet te Dominus in caput et non in caudam* », « primum, non ultimum » (*Malv.*), « *et eris* » *tantum,* ideoque « *semper supra et non subter : si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quae ego praecipio tibi hodie, et custodieris et feceris* », v. 14 « *ac non declinaveris ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos neque colueris eos* ».

II. MALEDICTIONES DEUT. 28,15-68.

Arg. — Sex benedictionibus v. 3-6 opponuntur totidem maledictiones v. 16-19, iisdem verbis, solum quod *canistra* nunc recenseantur ante foecunditatem : quod casui factum videtur esse attribuendum.

v. 15 « *Quodsi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata eius et ceremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae, et apprehendent te* ». Hic versus correspondet versui 1 sq. — v. 16 « *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro* ». v. 17 « *Maledic-*

tum horreum tuum et [maledictae] reliquiae tuae », i. e. *canistra* et *mactrae.* v. 18 « *Maledictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, armenta boum tuorum et greges ovium tuarum* » (cf. v. 4). v. 19 « *Maledictus eris ingrediens et maledictus egrediens* ».

1. *Percussio prima Deut.* 28,20-26.

Arg. — Primum generalibus verbis v. 20 maledictio immittitur in apostatas, iuncta v. 21 pestilentiae. — v. 22-26 *prima percussione* infligit Deus phthisin corporibus et siccitatem agris, populus omni auxilio destitutus vexationibus inimicorum exponitur, neque est, qui audeat cadavera sepelire.

v. 20 « *Mittet Dominus super te famem et esuriem et increpationem in omnia opera tua, quae facies, donec conterat te et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me* ». Sed מארה non est *fames*, sed *maledictio* (*Chald.*), quam *mittit* Deus, uti v. 8 mittebat benedictionem, quamque proxime consequuntur מהומה, *perturbatio*, et מגערת, *obiurgatio* mutua perturbationem consequens. Haec tria praefixo את veluti personificata (*Dillm.*) feruntur in omnia *opera* (cf. v. 8), propter *facinora* מעללים (cf. 1 Reg. 25,3), qua eadem voce Iud. 2,19 imprimis peccatum superstitionis exprimitur. Ergo hac generali sententia immittuntur impiis maledicta; sed illico iisdem specialis aliqua plaga iungitur, *pestilentia* v. 21 : « *Adiungat* » — *Hebr.* : *adhaerere faciat* — « *tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam* ».

v. 22 « *Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et aestu et aere corrupto ac rubigine, et persequatur donec pereas* ». Sed haec infelicius versa. שחפת et קדחת Lev. 26,16 interpretabamur *phthisin* et *inflammationem*; idemque fere sensus secundum etymologiam congruit ἅπαξ λεγομένοις דלקת et חרחר. Hae igitur quatuor voces eandem fere ideam exprimunt (*phthisis, inflammatio, febris, aestus*), sicuti etiam extremae tres v. 22 voces alteram ideam : sc. חרב est *siccitas* (Gen. 31,40), שדפון est *uredo* (Gen. 41,6 sqq.; etc.) corrodens grana, et ירקון est *marcor,* quo flaccescit viror. Iis igitur, quae corrodunt humanum corpus, adiungit v. 22 ea, quae corrodunt plantas. v. 23 « *Sit coelum, quod supra te est, aeneum et terra, quam calcas, ferrea* ». Fere idem, atque Lev. 26,19. Non aperientur thesauri coelorum (v. 8), sed clausi manebunt : hinc terra exsiccata durescet. v. 24 « *Det Dominus imbrem terrae tuae pulverem, et de coelo*

descendat super te cinis, donec conteraris ». Det pulverem « pro imbre » (*Sa*), et de coelo descendat *pulvis*, idem quippe utrumque substantivum sonat. Ne tamen imagineris portentum aliquod pluviae pulveris aut cineris (*Bonfr.*), sed pulverem vi venti sublatum atque postea instar imbris de coelo delapsum (*Malv.*). v. 25 « *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos : per unam viam egrediaris contra eos, et per septem fugias* » (cf. v. 7), « *et dispergaris per omnia regna terrae* ». Sed זעוה seu זועה (*Sam.*) non est *dispersio* (*LXX Vulg.*), sed vel *tremor* (*Chald. Syr.*) vel *divexatio* (Ier. 24,9 etc.). Sensus est, ut vel ipsi sibi tremant ab omnibus regnis tamquam inimicis, vel ab omnibus regnis impune vexentur. Non agitur de dispersione extra fines Chanaanitidis. v. 26 « *Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus coeli et bestiis terrae, et non sit qui abigat* », terra sive penitus deserta, sive potius ita terrore oppressa, ut nemo audeat vel ad cadavera humanda in apertum prodire.

2. *Percussio altera Deut.* 28,27-34.

Arg. — *Altera percussione* v. 28-34 percutit Iahve scelestos primum virium omnium hebetudine, ut penitus despiciantur, ab omnibus spolientur. Populo igitur illis plagis debilitato, ingruit bellum ita subitum et ferox, ut supersedendum sit legi vel consuetudini eos a militia eximenti, qui recens uxorem duxerint aut domum exstruxerint : his v. 30 valedicendum erit uxori et domui. A clade reduces reperient v. 31 pecora abacta, v. 32 liberos in captivitatem abductos, v. 33 fruges direptas. Quibus omnibus nihil habent, quod opponant, praeter inanem stuporem v. 34.

Monebamus p. 454, v. 27 non esse nisi repetitionem v. 35, esseque expungendum. v. 27 « *Percutiat te Dominus ulcere Aegypti, et partem corporis* [*per quam stercora egeruntur*], *scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas* ». שחין (v. 35), *ulcus* : cf. Ex. 9,9-11; Lev. 13, 18-20. 23 etc. *Ulcus Aegypti* CEL p. 100 explicabamus esse morbum cutis, communem hominibus et animalibus, *inflammationem erumpentem in bullas*; accuratius vero eum morbum definire haud valemus. עפלים, pro quo *Keri* constanter scribit טחרים, sive euphemistice sive voci obsoletae substituens vocem recentiorem, sunt *mariscae haemorrhoidales* (cf. 1 Reg. 5,6 sqq.). גבר (Lev. 21,20; 22,22) et ἅπαξ λεγόμενον חסר videntur ambo *scabiem* designare : quomodo vero distinguantur ab invicem, non liquet. Pro altero scribit *Sam.* הסר, quam vocem Masor. unico textu Is. 19,18 habent, qui ipse minime est perspicuus.

v. 28 « *Percutiat te Dominus amentia et caecitate ac furore mentis* ». שגעון non est *amentia,* cum Iehu 4 Reg. 9,20 vix credi possit incessisse instar amentis, sed est παραπληξία (*LXX*), i. e. partialis paralysis, *Syr.* כמהותא, i. e. *debilitatio* unius partis corporis. תמהון non est *furor,* sed *stupor* : habet v. 28 eas tantum infirmitates, quibus debilitatur homo et enervatur, non quibus irritatur et ad furorem provocatur. Sunt autem omnino, sicut illae v. 27, infirmitates corporis, non animae (*Bonfr.*). Quarum effectum describit v. 29 : « *et palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris* ». Non est caecorum proprium palpare *in tenebris,* quod item faciunt qui non sunt caeci : ergo אפלה statuas idem esse atque אפלו, *in tenebris suis,* caecis omnia sunt tenebrae. Addi fortasse potest etiam hoc. Caecorum plures non sunt absolute caeci, sed *in meridie* aliquid vident, homines ambulantes sicut arbores (Marc. 8,24), atque ideo tempore meridiano securiores incedunt : atqui Hebraei erunt plane caeci, nihil omnino videntes vel meridiano tempore. « *Et non dirigas vias tuas* », in devia feraris. « *Omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris* [*violentia*], *nec habeas qui liberet te* ». Planius *Hebr.* : *et eris solummodo*, ergo omnino, semper, totus quantus, *oppressus et direptus omnibus diebus.* Fortasse horum similia quandoque patiebantur caeci, quare eos benigne tractandos esse monent 27,18; Lev. 19,14.

Describitur iam direptio illa et oppressio. v. 30 « *Uxorem accipias, et alius dormiat cum ea* ». Voci שגל *keri* semper euphemistice substituit שכב. « *Domum aedifices, et non habites in ea. Plantes vineam, et non vindemies eam* ». Verba alludunt ad consuetudinem, cui collectaneum (20,5-7; 24,5) vim legis attribuit, ut recens matrimonium etc. ingressi, a militia aliquamdiu eximantur : ex allusione non sequitur, aevo Moysis eas leges iam scriptas exstitisse. Allusio est ad rem, non ad scriptum. v. 31 « *Bos tuus immoletur coram te, et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, et non reddatur tibi. Oves tuae dentur inimicis tuis, et non sit qui te adiuvet* ». v. 32 « *Filii tui et filiae tuae tradantur alteri populo* », captivae abducantur, te remanente et nequaquam ad alium populum transportato, « *videntibus oculis tuis et deficientibus ad conspectum eorum tota die* », — *Hebr.* simpliciter *ad eos,* sc. absentes (*Vat.*); incassum prospicit pater domi relictus liberorum e captivitate reditum — « *et non sit fortitudo in manu tua* » ad illos reducendos. v. 33 « *Fructus terrae tuae et omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras; et sis semper calumniam sustinens et oppressus cunctis diebus* », — eadem fere atque v. 29[b] verba — v. 34 « *et stupens*

ad terrorem eorum, quae videbunt oculi tui ». *Hebr.* : *Et eris debilitas* (cf. v. 28), totus hebes *prae aspectu oculorum tuorum, quae videbis.*

3. *Percussio tertia Deut.* 28,35-46.

Arg. — *Tertia percussione* percutit Iahve corpora ulceribus incurabilibus; corrumpuntur omnis generis fructus, liberi captivi abducuntur, advenae civibus dominantur; tandem populus cum rege in exsilium abripitur. Sicut porro pericope v. 1-14, quae erat de benedictionibus, claudebatur v. 13 sq. inculcata earum benedictionum acquirendarum conditione, mandatorum sc. observatione, ita pericope v. 15-46, quae est de maledictionibus, v. 45 sq. inculcat rationem, ob quam maledictiones incurruntur, mandatorum neglectum.

Dicebamus p. 454, v. 36 sq. transferenda esse ad calcem v. 44. Videtur autem quibusdam haec paragraphus tantopere esse affinis praecedentis, ut censenda sit unus idemque cum illa primitus textus fuisse. v. 41, uti v. 32, agit de filiis et filiabus; v. 42, uti v. 33, de fructibus terrae, ubi tamen v. 43 sq. novum illud accedit de advenis; praeterea agit prior paragraphus de uxore, domo, armentis, ubi tertia de agro, vinea, oliveto. Sunt utique sententiae et expressiones diversae, res tamen valde affines. Neque tamen eaedem sunt res. v. 30-34 mala recensent ab inimicis illata, v. 38-43 mala a locustis, vermibus, insectis (?), rubigine, advenis illata, solus v. 41 ad inimicos spectat. Attendenda est harum stropharum indoles. Quae non in eo sunt, ut singulae mala plane diversa describant, sed ut primum antea descripta exaggerent, dein aliquid etiam novum subnectant. Singulae ordiuntur morbo aliquo, morbus quivis praecedente morbo gravior est. Post morbum prima paragraphus habet siccitatem terrae et cladem aliquam, quae obiter tantum attingitur; secunda paragraphus de siccitate quidem silet, sed stragem vertit in universalem hostium oppressionem; tertia paragraphus redit ad fructuum iacturam per locustas etc., stragem attingit v. 41, sed ei v. 36 sq. adnectit exsilium. Ergo paragraphus tertia non est mera repetitio secundae.

v. 35 « *Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus et in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum* ». Suggerit *Dr.*, hic agi de elephantiasi anaesthetica; adverte tamen, hanc primum afficere articulos digitorum in manibus pedibusque, necnisi postea transire ad crura et brachia, dum h. l. maiora tantum membra appellantur. Cf. The Holy Bible with Commentary (Vulgo Spea-

ker's Commentary) I. 561 n° 5, London 1877. v. 36 « *Ducet te Dominus et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras, tu et patres tui : servies ibi diis alienis, ligno et lapidi* ». Cf. v. 64; 4,28. — v. 37 « *Et eris perditus* », seu verius *in stuporem*, « *in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus* ». De *parabola*, משל cf. CN p. 251. Ceterum v. 36 sq. monuimus transferendos esse ad calcem v. 44. — Frumentum, vinum et oleum etiam 7,13; 12,17; 18,4 etc. celebrantur ut tres potissimi terrae sanctae proventus. v. 38 « *Sementem multam iacies in terram, et modicum congregabis, quia locustae devorabunt omnia* ». Haec omnino non eum respiciunt, qui v. 36 captivus abductus est, sed eum qui iacto semine segetem exspectat, sed non alia de causa nisi propter locustas sua spe frustratur. Similia de sequentibus versibus dicas. v. 39 « *Vineam plantabis et fodies, et vinum non bibes nec colliges* [*ex ea quippiam*], *quoniam vastabitur vermibus* ». Nec est, cur inquiras, quaenam vermium species intelligatur, cum haec amplificatione oratoria contineantur, quae fortasse minime intendit unam aliquam speciem efferre. v. 40 « *Olivas habebis in omnibus terminis tuis, et non ungeris oleo, quia defluent* [*et deperibunt*] ». *Hebr.* : *quia decident olivae tuae*, frigore aut insectis corrosae. v. 41 « *Filios generabis et filias, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem* ». v. 42 « *Omnes arbores tuas et fruges terrae tuae rubigo consumet* ». צלצל Is. 18,1 designat *examina* insectorum. Omnia haec, si demas v. 36 sq. et v. 41, non sunt calamitatis cuiusdam bellicae descripito, sed illud evolvunt, labores omnes fore irritos, modo ob hanc modo ob illam rationem effectu esse carituros : segetem vastabit locusta, vitem et olivam vermis, filii abducentur, arbores et fruges insecta corrodent : ad eam tandem miseriam redigetur Hebraeus, ut advenam cogatur mutuum rogare. Si quid abundet, erit illud fere v. 42 : etenim fruges, quae hic examinibus permittuntur, v. 38 permittebantur locustis. Tamen ab aliqua repetitione talis rhetorica amplificatio non abhorret et *fructus terrae* v. 42 copulati *arboribus* commode intelliguntur fructus arborum, ergo res a segete v. 38 oppido diversa. v. 43 « *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te eritque sublimior, tu autem descendes et eris inferior* ». v. 44 « *Ipse foenerabit tibi, et tu non foenerabis ei*; *ipse erit in caput, et tu eris in caudam* ». Cf. v. 12 sq.

Absolvitur tandem tractatus de maledictionibus. v. 45 « *Et venient super te omnes maledictiones istae, et persequentes apprehendent te* » (cf. v. 15), « *donec intereas* » (cf. v. 22), « *quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata eius et ceremonias, quas*

praecepit tibi ». v. 46 « *Et erunt in te signa atque prodigia, et in semine tuo usque in sempiternum* ». Sed *Hebr.* : *et erunt* (maledictiones) *in te in signa et in portenta.* « Mala haec omnia ea erunt, ut tamquam prodigia vel effectus extraordinarii furoris mei habeantur » (*Calm.*).

4. *Comminatio a propheta adscripta Deut.* 28,47-68.

Arg. — Orsus ab axiomate v. 47 sq. eum, qui non servierit Iahve, serviturum inimicis suis, describit aevi regum propheta v. 47-57 gentem de longinquo advectam, inimicam Hebraeorum, quae nullis urbium munitionibus frangatur, sed urbes obsessas extrema inedia subigat. Pro epilogo aliquo totius capitis propheta v. 58-68 plagas ante recensitas recapitulat et exaggerat, tandemque exsilii miseriam describit.

Prodosis est v. 47 : « *Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque laetitia propter rerum omnium abundantiam* », — subiungit apodosin v. 48 : « *servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame et siti et nuditate et omni penuria* », — *Hebr.* : *et penuria omnium*, sc. rerum, cf. v. 47 — « *et ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat* ».

Sequens descriptio belle convenit Assyris, qui supremum numen symbolo aquilae volantis repraesentabant. v. 49 « *Adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis terrae finibus, in similitudinem aquilae volantis* ». דאה exprimit volatum, quo suspensa in aere fertur aquila, « celerrime advolans, atque adeo derepente et improviso » (*Bonfr.*) seu « [*cum impetu*], *cuius linguam intelligere non possis* ». Nunquam ullius in intelligendis Chananaeis, Philisthaeis etc. difficultatis meminit scriptura : ad Assyros autem cf. 4 Reg. 18,26; 2 Par. 32,18. v. 50 « *Gentem procacissimam, quae non deferat seni nec misereatur parvuli* ». Haec rursum Assyris conveniunt. *Hebr. facie violentam, LXX* ἀνειδὲς προσώπῳ. « Dura frons, frons aenea, obfirmare faciem phrases sunt in lingua sancta familiares, quibus significatur impudentia, audacia, obstinatio » (*Calm.*). v. 51 « *Et devoret fructum iumentorum tuorum ac fruges terrae tuae, donec intereas, et non relinquat tibi triticum, vinum et oleum, armenta boum et greges ovium, donec te disperdat* ». Cf. v. 4. Hanc porro agrorum devastationem consequetur urbium obsidio v. 52 : « *Et conterat* », seu verius *obsidebit*, « *in cunctis urbibus tuis et* », seu verius *usque dum*, « *destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua* ». Igitur urbes non solum obsidentur, sed

etiam obsidione capiuntur, irrita sunt omnia quae v. 53 sqq. narrantur. Ceterum aevo iudicum nequaquam erat regio urbibus munitis obsita; reges vero urbes plurimas muniere. « *Obsideberis intra portas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus* ».

v. 53 « *Et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus* ». Porro v. 54 sq. profert eius rei insigne aliquod exemplum in viro, v. 56 sq. in muliere. v. 54 « *Homo delicatus in te et luxuriosus valde* », « qui nonnisi lectissimis et delicatissimis cibis vesci consuevit » (*Malv.*), « *invidebit fratri suo et uxori,* [*quae cubat*] *in sinu suo* », *et residuis filiis qui superfuerint. Hebr.* : *malus erit oculus eius in* illos, eos sinistre aspiciet. Cuius autem *uxor* intelligitur? *Malv.* suggerit uxorem ipsius viri delicati, qui in eo est ut filium unum suum clam devoret timetque, ne quid eius epuli uxor et reliqui filii sibi suffurentur. Verum, si de uxore viri delicati ageretur, certe non interponeretur *frater* : agitur ergo de uxore fratris : v. 55 « *ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet eo, quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas* ». *Hebr.* : *quoniam dat* frater *uni eorum,* uxori aut filio, *de carne filiorum suorum, quam manducat etc.* Ergo vir ille delicatus torvis oculis aspicit illos eas carnes dantes uni filiorum, et filium easdem accipientem; epulum quasi sibi subripiatur considerat. — v. 56 « *Tenera mulier et delicata, quae* [*super terram ingredi non valebat*] *nec pedis vestigium figere propter mollitiem* [*et teneritudinem nimiam*] », *Hebr.* : *quae non tentabat plantam pedis sui statuere in terra prae mollitie,* « *invidebit viro suo,* [*qui cubat*] *in sinu eius, super filii et filiae* [*carnibus*] », v. 57 « *et illuvie secundinarum, quae egrediuntur de medio feminum eius, et super liberis, qui* [*eadem hora*] *nati sunt : comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas* ». Crediderim hic uti v. 55 irrepsisse pro singulari pluralem : *liberis, filiorum*, ad exaggerandam facti atrocitatem : non agitur h. l. sane de geminis in lucem edendis. Sed neque de *carnibus* agit v. 56 : mulier illa sinistro oculo contuetur maritum, filios et filias, illuviem et infantem modo genitum a se, non quia *comedent*, etenim תאכלכם non est tertiae personae; neque quia *comedet ipsa* : quodsi enim iam agatur de illuvie et neonato infantulo comedendis, maritus et liberi sani haec facile eripient puerperae viribus exhaustae; sed, missa punctatione Masor., *vos comedetis* (cf. suffixa 2^{ae} pers. sing. extremo v. 57 et 55). Vos autem comedetis *ea*, sc. illuviem et

recens natum infantem : « vel ipsas res, a quibus natura maxime abhorret, et immundissimas spurcitias » (*Calm.*). Supponitur igitur puerpera prolem recens edidisse; in quam, uti etiam in illuviem, irruunt maritus et liberi, diram famem horrendo cibo sopituri, quem illis invidet mater. Eiusmodi quandoque facta esse, disce e 4 Reg. 6,28; Thren. 4,10; 2,20; Baruch 2,2 nostrum textum appellante vocibus « scriptum in lege Moysi ». Cf. item *Ios.* Bell. Iud. VII. 21.

Textus cap. 28 primitus apte concludebatur verbis v. 45 sq. (cf. v. 13 sq.). Ubi propheta adscripsit v. 47-57, oportuit auctum sermonem aliquo epilogo absolvi, quem habes v. 58-68. Haec, uti v. 47-57, sunt prophetae illius auctoris. Moyses suum sermonem absolverat v. 46, nec erat cur ipse alium epilogum texeret. Moyses documentum foederis (29,1) texens debuit omnes poenas neglecti foederis in ipso documento recensere, sive singillatim sive universalibus expressionibus : non poterat indicere poenas aliquas, « quae non essent scriptae in hoc libro thorae ». Dices, ea v. 61 verba non esse nisi rhetoricam hyperbolen, v. 20-44 reapse omnes haberi poenas, neque alias graviores postmodum esse Hebraeis inflictas. Sed nego eiusmodi hyperbolae locum fuisse in documento foederis.

v. 58 « *Nisi custodieris et feceris omnia verba legis huius, quae scripta sunt in hoc volumine, et timueris nomen* [*eius*] *gloriosum et terribile,* [*hoc est*] *Dominum Deum tuum* », — pro *eius* scribe *hoc*. Scribitur *nomen* pro ipso *Iahve*; non tamen, quod posteriores Iudaei fecere, ad supprimendam vocem *Iahve*, cum haec illico adscribatur. Sed *nomen* a propheta scribitur intuitu templi Hierosolymitani, in quo posuerat Iahve permanenter nomen suum (cf. 12,5 etc.) : agitur sc. imprimis de peccatis idololatriae et superstitionis. Cf. etiam ideam expressam 26,19, Iahven Israelitas fideles facturum esse *nomen* — v. 59 *portentosa faciet* — pro quo *Vulg.* « *augebit* »; sed non agit hic versus de plagis v. 20-57 augendis : sed, quando omnes ex ordine Israeli inflictae erunt, rés erit in omnium oculis portenti similis — « *Dominus plagas tuas et plagas seminis tui, plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas* ». Non scribitur נגע (24,8), sed מכה (v. 61; 25,3; 29,22 [21]; Lev. 26,21), i. e. *percussiones*. Recole tres percussiones v. 22.28.35. Has percussiones omnes resumit v. 59, harum celebrat numerum, gravitatem, perpetuitatem; has percussiones ferent non soli apostatae, sed eorum item semen; hae plagae simul sumptae recte v. 60 comparantur omnibus *epidemiis Aegypti* (7,15), quin ideo dicendus sit v. 60 novos Hebraeis indicere morbos praeter eos, qui v. 21 sq. 28 sq. 35 indicebantur. Quin imo ibi iam habebatur omne genus morborum, in-

terna virium defectio, externa paralysis, ulcera, neque specialiorum quorumdam morborum symptomata secundum medicinae canones describebantur. v. 60 « *Et convertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuisti, et adhaerebunt tibi* ». A quibus 7,15 Hebraei fideles declarabantur fore exempti.

Postquam propheta v. 58-60 priores plagas resumpsit, eas exaggerat rhetorica hyperbole : v. 61 « *Insuper et universos languores et plagas, quae non sunt scriptae in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat* ». Sicut *liber thorae* v. 58 continet omnia, quae praestanda sunt Israeli, ita idem liber continet omnia, quae vi foederis praestanda sunt Deo, praemia et poenas. Utique potuit Deus augere tam praemia quam poenas ultra id, quod in eo libro statuebatur; sed non erat de hoc agendum in ipso foederis documento. Potuit Deus per prophetam aliquem posteriorem veluti codicillum aliquem foederi appendere, novas statuentem poenas. Id h. l. reapse non fit. Verba v. 61 sunt hyperbole, cuius sensus hic est : Si aliae praeter recensitas superessent poenae, hae quoque infligerentur. Sed nullae supererant. Recole, agi de poenis huius vitae tantum, neque potuisse Israelem penitus exstirpari : quid igitur supererat praeter omne genus morborum, calamitatum in frugibus, animalibus et liberis, praeter exitiales clades et exsilium?

Pulchre post vehementem de maledictionibus tractatum clauditur sermo quietiore descriptione *miseriae*, quam exsules patientur. Perpende oppositionem inter *paucos* et *multos*, Deum *laetantem* de plagis, uti antea laetabatur de benedictionibus. Non Dei felicitatem peccatis minuunt Israelitae, sed suam. v. 62 « *Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra coeli prae multitudine* » (cf. 1, 10 etc.), « *quoniam non audisti vocem Domini Dei tui* ». Semper tamen supererunt reliquiae aliquae, populus non exterminabitur stirpitus. v. 63 « *Et sicut ante laetatus est Dominus super vos, bene vobis faciens vosque multiplicans : sic laetabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam* ». v. 64 « *Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos eius* », — *Hebr.* simpliciter : *ab una extremitate terrae ad alteram* — « *et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus* ». Haec potius demonstrant aevum Moyse posterius, nam qui cum Moyse egressi sunt de Aegypto, ii ib. (Ez. 20,7 sqq.) servierant diis alienis; expressio fere supponit, aliquas saltem generationes inde a legislatione sinaitica effluxisse. v. 65 « *In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit*

requies vestigio pedis tui », quam requiem Israel reperit solum apud Iahven; « *dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam moerore* ». כליון et דאבון ἅπαξ λεγόμενα. Pavet igitur cor, obtenebrantur (*Chald. Syr.*) oculi, anima deficit moerore, hinc nulla habetur requies. Quod accuratius sequentibus explicatur. v. 66 « *Et erit vita tua* [*quasi*] *pendens ante te* », « e tenui veluti filo » (*Calm.*); « *timebis nocte et die, et non credes vitae tuae* ». Eadem verba habet Iob 24,22 de aegrotis, quibus nulla est sanationis spes. v. 67 « *Mane dices : Quis mihi det vesperum? et vespere : Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quae tuis videbis oculis* ». v. 68 « *Reducet te Dominus classibus in Aegyptum per viam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat* », difficile reperietur emptor. *Via* illa, sensu obvio intellecta, est via deserti, non tractus maris. באניות, mutata punctatione, verte *cum lamentatione* (cf. Is. 29,2; Thren. 2,5). Quis suppeditaturus erat naves? Sane non alii quam Phoenices : cf. Ez. 27, 13; Am. 1,9; Ioel 3,6. Verum mercatores illi versuti non erant certe in Aegyptum traducturi agmina mancipiorum ita miserabilium, ut emptoribus essent carituri.

Sed rursum quaero : quis Hebraeos captivos ducturus erat in Aegyptum? Certe non Assyri. Non cogeris affirmare, praedici h. l. unum aliquod determinatum factum historicum. Propheta noster scribebat pluribus generationibus post tempus Moysis, quo Hebraei aliqui reditum in Aegyptum desideravere aut desiderare potuere (cf. ad 17,16). Eius aevo persuasum habebant Hebraei omnes, suam gentem nullo alio tempore miseriorem fuisse, quam dum in Aegypto versaretur. Ergo v. 68 propheta extremam Israelis miseriam non inepte depingit tamquam reditum in Aegyptum : relabitur Israel ad illud punctum, unde tam gloriose a Moyse fuerat ereptus; imo miserabilior est Israelis conditio. Aegyptii Moysis aequales totis viribus nitebantur Hebraeos retinere servos; Hebraei posteriores, divinis maledictionibus in Aegyptum acti, ab Aegyptiis inepti habebuntur, qui servi emantur.

Subscriptio Deut. 29,1 (28,69).

Cap. XXIX v. 1 « *Haec sunt verba foederis, quod praecepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab, praeter illud foedus, quod cum eis pepigit in Horeb* ». Omnino correspondent inter se expressiones *foedus ferire in terra Moab* et *foedus ferire in Horeb*.

Ergo non licet iungere *quod praecepit in terra Moab*; non sufficit dicere cum *Calm.*, nunc quodammodo renovari foedus sinaiticum, renovationis tamen solemnitatem postponi usque post traiectum Iordanem : sed affirmatur Moyses ita feriisse foedus in terra Moab, uti ante ferierat in Horeb. Agitur sc. hic de restitutione foederis transiordanica a Moyse celebrata, de qua vide 29,10-13. Neque ulla ratio est dubitandi Moysen in Moabitide eiusmodi restitutionem celebrasse : id textus affirmat, alii post Moysen foederis renovationes celebravere. *Verba foederis* intelliguntur « conditiones foederis » (*Vat.*), « hispanice : los capitulos o capitulaciones » (*Malv.*). Sed in quovis foedere utraque pars, non una tantum pars, conditionibus se obstringit. Verba foederis a populo observanda sunt divina mandata; verba foederis a Iahve observanda sunt praemia promissa iis, qui mandata servant, possunt praeterea esse poenae, quae neglecturis mandata indicuntur. Eiusmodi verba foederis non habentur post 29,1, ubi certe non explicantur divina mandata; habentur ante 29,1, sc. pentalogus 6,1-7,11 et cap. 28. Ergo 29,1 cum *Masor.*, quibus « non pauci latini codices suffragantur » (*Verc.*), accipiendus est pro *subscriptione* praecedentium.

Ex. 34,28 sermo est de « verbis foederis decem » : sc. verba decalogi erant « verba foederis », sed non erant omnia verba foederis. Foederis verba erant certe omnia verba Libri Foederis (Ex. 24,7), qui praeter decalogum habebat leges Ex. 20,22-23,19 et promissiones 23,20-33. Cuius foederis verba hisce resumit Ier. 11,4 : « Audite vocem meam et facite omnia, quae praecipio vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum ». En mandata et promissiones.

HISTORIA RESTITUTIONIS FOEDERIS

DEUT. 29,2(1)-31,13

1. Moysis sermones cap. 29 sq. vix proferunt nova argumenta, sed ante prolata repetunt. 29,2-9(1-8) est veluti compendium primae orationis 1,5-4,40, quae ex historia argumenta repetebat inculcandae observationis mandatorum. Pericopen v. 10-15(9-14) quadamtenus imitabatur Iosue Deut. 26,16-19. Transit porro Moyses ad inculcandum illud unum, quod totius thorae summum est, ut unum Iahve colant et idololatria abstineant. Sed dehortatur eos primum ab idololatria secreta v. 16-21(15-20), quae idololatriam publicam praecedere consuevit eiusque est occasio. Dein v. 22-28(21-27) resumit maledictiones cap. 28, nova tamen forma : inducit posteros, advenas, gentes circumincolentes in causam tantae ruinae inquirentes, eisque respondet causam esse subversum per idololatriam foedus. 30,1-10 redit Moyses ad illud, quod indicaverat Lev. 26,44 sq.; Deut 4,29 sqq., et fuse in cantico evolvit, veniam Iahve Israeli semper praesto futuram, ubi ab apostasia resipuerit. Ad 30,6 cf. 10,16. Argumentum 30,11-14, mandatum esse facile, affine est argumenti 11,12 sqq. Proponuntur 30,15 sqq. vita et mors, uti 11,26 sqq. benedictio et maledictio; testes invocantur 30,19 coeli et terra, uti 4,26 et in cantico.

In narratione cap. 31 appellat Moyses v. 2 divinum effatum, quod distinctius referebatur 3,27, et minus distincte Num. 27,13; v. 3 appellat factum Num. 27,15-23, ubi Iahve Iosuen instituerat futurum ducem. Quod porro de Iosue refertur v. 7 sq. non est idem cum illo eventu Num. 27, sed cum eventu Deut. 31,14 sq. 26. Cum enim hic eventus, uti ille Num. 27, pertineat ad narrationem libri bipartiti, quae extremo libro Num. abrumpebatur et Deut. 31,14 resumitur, cumque ea narratio ordini chronologico eventuum adhaereat, illi duo eventus (Num. 27 et Deut. 31) censendi sunt esse diversi. Refert tandem 31,8-13 Moyses, quae librum thorae spectant; quem eventum ille, qui historiam restituti foederis narrationi libri bipartiti contexuit, verbis 31,24 (ad calcem v. 15 transferendis) pronuntiat praecessisse cantici promulgationem; a qua opinione non est cur recedamus.

2. Sensus obvius verborum 29,2(1) is est, haberi concionem diver-

sam ab ea 5,1, in qua promulgabatur thora. Quae promulgatio ad unam explendam concionem abunde erat satis. Ergo illud *hodie* 29, 10.12.18 (9.11.17); 30,11.15.18.19; 31,2 non est idem cum *hodie* 5,1; 28,1 etc., quod designat diem promulgatae thorae; neque cum alio *hodie* 27,1.11, quod respicit diem, quo Moyses agenda apud montes Garizim et Hebal definivit; neque cum *hodie* 26,16-18, quod tempora Iosue, neque cum *hodie* 13,18(19) etc., quod tempora Samuelis spectat.

I. ORATIO MOYSIS RESTITUTIONEM FOEDERIS PRAECEDENS DEUT. 29,2-28 (1-27).

Arg. — Moyses Hebraeis in memoriam revocat continuam Iahve ab Aegypto usque ad Iordanem providentiam. Qua se adstrictos sciant ad foedus religiose servandum. Declarat eos nunc esse adunatos universos ad restituendum foedus, et ad pronuntiandas maledictiones in quemlibet, qui foedus in posterum sit transgressurus.

v. 2 (1) « *Vocavitque Moyses omnem Israel et dixit ad eos : Vos vidistis universa, quae fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti, Pharaoni et omnibus servis eius universaeque terrae illius* ». Nomini *Iahve* v. 2.4 non adscribitur *Deus vester*; adscribitur autem v. 6 ut praedicatum sententiae : quia ego Iahve *sum* Deus vester. Stilus huius pericopae concinnior, non sapiens paraphrasin. v. 2 demonstrat plagas aegyptiacas, sequuntur tentationes etc. : v. 3 (2) « *tentationes magnas, quas viderunt oculi tui* », quae non sunt rursum eaedem illae plagae v. 1 (*Sa, Calm.*), sed sunt tentationes illae magnae, quas appellare consuevit Moyses, factae in deserto, imprimis in Raphidim et in Me Meribah; « *signa illa portentaque ingentia* », item in deserto facta (v. g. manna). In quibus omnibus expertus est Moyses Hebraeos durae cervicis populum, etiam ad extremum usque suae vitae tempus, quod prodit v. 4 (3) : « *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quae possint audire, usque in praesentem diem* ». Verba exprimunt spem aliquam rerum deinceps emendandarum. Indulgenter Moyses eos tardi potius animi quam malitiae accusat; indulgenter tardi animi causam assignat gratiam eis a Deo negatam, quin efferat gratiam illis negatam esse ob ipsorum delicta. Et nota, in illis tentationibus includi 37 fere annorum apostasiam : quam, uti reliqua delicta, Moyses attingit tantum v. 3, non vult severiore reprehensione irritare animos, imo v. 5 sq. illos 40 annos describit uti continuam divinorum beneficiorum manifestationem. Fuere hoc, sed non hoc solum. v. 5 (4) « *Adduxit*

vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt ». Cf. 8,4. v. 6 (5) « *Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia ego* [*sum*] *Dominus Deus vester* ». « Dicuntur ea non comedisse, non bibisse, non quod nunquam panes ederint aut vinum biberint, sed quod raro id factum, propterea quod frequenter et ut plurimum haec in deserto deessent, etsi subinde a vicinis nationibus, pretio ea sibi comparare potuerint, et subinde licet rarius comparaverint » (*Bonfr.*), v. 7 (6) « *Et venistis ad hunc locum* », transiordanicam; signa in deserto facta excipiunt portentosae victoriae, quas nacti sunt de deserto egressi : « *egressusque est Sehon rex Hesebon et Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam, et percussimus eos* », v. 8 (7) « *et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben et Gad et dimidiae tribui Manasse* ». Quae insignia Dei beneficia eos ad pacti observationem inducant oportet : v. 9 (8) « *Custodite ergo verba pacti huius, et implete ea, ut intelligatis universa quae facitis* ». Verte : *ut prospere agatis in universis etc.*, *Syr.* : *ut ad exitum perducatis etc.*, quem sensum induit השכיל Ios. 1,7 sq.; 4 Reg. 18,7; Is. 52,13; Ier. 10,21; Prov. 17,8. Custodiae pacti uti alias appenditur promissio. Pulchre Moyses restitutionem pacti iamiam celebraturus, v. 2-8 beneficia antehac a Iahve accepta recitat tamquam motiva pacti servandi. Ceterum verba v. 9 concionem v. 2 nectunt praecedentibus. Etenim pactum v. 9 utique illud idem est, de quo agit v. 1 subscriptio praecedentium. Primum Moyses « verba foederis » concinnavit et sane etiam scriptis mandavit, dein vocavit concionem v. 2, in qua hoc pactum solemniter feriretur.

Transit orator ad explicandam praesentis conventus rationem. v. 10 (9) « *Vos statis hodie* » — נצבים, *estis constituti* ad certum aliquem finem perficiendum (cf. 1 Reg. 22,6 sq.), quod verbum plus dicit, quam merum עמדים ediceret (*Dr.*) — « *cuncti* », omnes viri armati, quibus v. 11 accedunt liberi, uxores et advenae, « *coram Domino Deo vestro* » in sanctuario praesente, foedus vobiscum restituturo (cf. Ios. 24,1; 1 Reg. 10,19), « *principes vestri et tribus ac maiores natu atque doctores* », — verte *scribae* — « *omnis populus Israel* ». Admirationem facit, recenseri *tribus* medias inter *principes* et *seniores* : pro שבטים lege שפטים, *iudices* (*LXX*). v. 11 (10) « *Liberi et uxores vestrae et advena, qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum caesoribus et his, qui comportant aquas* ». Sed plane aliter *Hebr.* : *a lignorum caesoribus usque ad eos etc.*, omnes usque ad infimos, nullo excepto. Cf. 31,12; Ios. 8,35. Ergo vel ante suscep-

tos Ios. 9 Gabaonitas erant apud Hebraeos advenae illis angariis adacti, fortasse uti Gabaonitae tribus aliquae vel stirpes, quae metu vel studio Hebraeis adhaeserint. Qua vero ratione *Hier.* inductus sit, ut verteret *exceptis*, facile perspicitur : sc. quomodo adscisci potuere advenae illi, qui fortasse carebant signo foederis, circumcisione? Primum advenae, quamdiu apud Hebraeos morabantur, vetabantur alii Deo sacrificare quam Iahve; permittebantur Iahve offerre sacrificia; necessario partem habituri erant benedictionum a Iahve populo suo concedendarum; veniebant in partem tam officiorum quam beneficiorum foederis. Praeterea plerique tum Hebraei item erant incircumcisi. Advenae illi fortasse parati erant animis ad circumcisionem subeundam.

Convenit porro hodie populus ad eum finem, v. 12 (11) « *ut transeas in foedere Domini Dei tui et in iuramento, quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum* ». Non agitur de traiiciendo Iordane, nam certe non ad flumen traiiciendum eo die adstabat populus coram Moyse. Putant *Bonfr.*, *Men.* vocem h. l. scribi ideo, quod uti Gen. 15,10 populus inter partes victimarum transierit : tamen id e sola voce audacius infertur. עבר significat etiam *transgressionem* foederis (Ier. 34,18), transitum a cultu Iahve ad apostasiam : ergo aptissime eadem vox significat reditum ab apostasia ad officium, exprimitque indolem solemnitatis huius trans Iordanem celebratae, quae esset foederis non mera renovatio, sed restitutio. Exprimitur hic porro discrimen inter foedus moabiticum et foedus sinaiticum : hoc fuerat foedus tantum, illud est *foedus et maledictio*. Cf. v. 14. אלה, *iuramentum*, Gen. 26,28 sonat foedus iuramento firmatum, sed Num. 5, 21 *iuramentum exsecratorium*. Vox hic respicit *maledictiones* cap. 28. In hoc igitur differebat foedus primum in Horeb a foedere secundo in terra Moab, quod in Horeb se populus simpliciter adstrinxerit foedus acceptans, in Moab insuper devocans maledictionem in transgressores. Effectus autem foederis observati (cf. 26,16 sqq.) hic erit : v. 13 (12) « *ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi et sicut iuravit patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob* ». Neque cum solis praesentibus foedus feritur, sed etiam cum paucioribus illis, qui tum forte abessent a castris (Gaditis etc.) : v. 14 (13) « *Nec vobis solis ego hoc foedus ferio et haec iuramenta* [*confirmo*] », v. 15 (14) « *sed cunctis praesentibus et absentibus* ». *Hebr.* : *sed cum omni, qui hodie nobiscum stat coram Iahve, et cum omni, qui non est nobiscum hodie.*

Arg. — Summum totius foederis officium est monolatria amorpha : hac una servata, foedus quoad substantiam stat; hac una ne-

glecta, ruit. Quare v. 16-21 adscribit Moyses severam monitionem, ne ad instar superstitionum, quas ab Aegypto Iordanem usque contuiti erant, audeant Hebraei superstitioni indulgere. Neque tamen contra universalem totius populi apostasiam orationem convertit, sed contra eam, quae generalis apostasiae futura sit occasio et radix, paucorum superstitionem *clam* (cf. 27,15) admissam. Quam testatur non mansuram esse impunitam.

v. 16 (15) « *Vos* [*enim*] *nostis* », recordamini, « *quomodo habitaverimus in terra Aegypti, et quomodo transierimus per medium nationum* », *per quas transivimus,* Moabitarum, Ammonitarum, Amorrhaeorum etc., « [*quas transeuntes*] » — sed vocem verte, uti modo extremo v. 16 vertebamus; etenim non *transierunt* Aegyptum sed ex ea egressi sunt, et tamen in Aegypto potissimum *viderunt* illas abominationes — v. 17 (16) « *vidistis abominationes et* [*sordes i. e.*] *idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quae colebant* ». שקוץ solum h. l. in hexateucho *abominationem* sonat, saepe apud Ier., Ez. etc. legitur : sed cf. שקץ Lev. 11,10.12.13.20.23.42. גלולים, *stipites* Lev. 26,30. Cum summo contemptu de idolis loquitur Moyses. Ceterum factum v. 16 sq. in memoriam revocat, ut a similibus abominationibus committendis suos dehortetur : non autem in mente habet totius populi communem et publicam, sed unice aut aliquorum secretam (cf. 27,15) aut certe privatam superstitionem. Imo, non solum ab uno paucisve committi potest secreto idolatria, sed etiam ab integra aliqua familia, ab integra tribu. Cuius rei praesens periculum erat in transiordanica, ubi tribus aliquae dubiae fidei late sparsae vivebant. Potuit ibi utique aliqua familia, imo tribus habere apud se secretum aliquod oraculum. v. 18 (17) « *Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor aversum est hodie a Domino Deo nostro, ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem* », seu verius *papaver et absinthium* (cf. 32,32), scandalum suum veluti venenum aliis ingerens, nova scandala veluti progignens. Porro talium scandalorum *radicem* exstirpabit Dominus : ne ergo ille sibi a Deo promittat indulgentiam : v. 19(18) « *cumque audierit verba iuramenti huius* », maledictionis (cf. ad v. 12), « *benedicat sibi in corde suo* », « sibi omnia prospera et impunitatem promittat » (*Bonfr.*), « *dicens : Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei* », — cum שרירות proprie *firmitatem* sonet et secundario tantum *obdurationem*, cur non h. l. vertamus : *dum ambulo in proposito cordis mei*? Propositum autem intellige illud, cultui Iahve admiscendae idololatriae — « *et absumat ebria sitientem* ».

Extrema verba esse proverbium cum *Bonfr.* omnes concedunt; esse autem verba peccatoris illius, non Moysis, collige e Moyse v. 20 orationem ordiente sine copula. Obscuritas inde oritur, verbum ספה sensum habere cum *abripiendi* tum *adiiciendi* (*Vat.*). Voces *pota* et *ebria* formae femininae scribuntur pro collectivis (*Kn.*), et simul sumptae idem sonant atque *omnia*; neque cum *Dillm.* dicendae sunt referri ad plantas vel animalia, cum nihil horum habeat contextus. Vertit igitur *Kn.* : ut *abripiat etc.*, ergo ut omnes ruinae implicet. Durius ille Hebraeus superstitiosus adstruitur eo agere consilio (למען), ut omnes perdat, quare *Dr.* figuram ironiae subodoratur. Verum, quo nomine *omnes* Hebraei exprimantur figura *pota et ebria*? Verto : *ut adiiciam potationem siti*, gratum ingrato, cultum polymorphum cultui amorpho. *LXX Chald.* similitudine textus Is. 30,1 (למען ספות חטאת על חטאת) inducti esse videntur ad illa duo nomina feminina de *peccatis* accipienda. Alias explicationes vide apud *Dillm.*, *Dr.*, quibus adscribendis supersedemus, quod, cum eius proverbii sensum aliunde non habeamus compertum, coniecturis hac in re amplus pateat campus, cum tenui spe quaestionis penitus elucidandae.

Quam irrita porro sit eius peccatoris impunitatis spes, declarat v. 20(19) : « [*Et*] *Dominus non ignoscat ei, sed tunc quam maxime furor eius fumet et zelus contra hominem illum; et sedeant super eum omnia mala, quae scripta sunt in hoc volumine* », in « verbis foederis » v. 1, quorum pars est cap. 28 maledictiones habens. *Hebr.* : *Non volet Iahve ignoscere ei*, nequaquam hac in re erit animo placabilis;... *et incubabit ei omnis maledictio, quae etc.*, veluti fera eum devoratura; « *et deleat Dominus nomen eius* », posteritatem (*Bonfr.*), « *sub coelo* ». Haec gravissima poena, ut quis posteritate careat; quam eandem videtur v. 21 inculcare, neque enim sufficiens ratio apparet e verbis v. 21 alterius poenae adstruendae. v. 21(20) « *Et consumat eum in perditionem* » — *Hebr.* : *et seperabit eum in malum*, pessimae sorti addicet. לרעה secus non legitur in Deut., sed Am. 9,4 et octies apud Ier. — « *ex omnibus tribubus Israel* », quae igitur ipsae incolumes manebunt, « *iuxta maledictiones, quae in libro legis huius ac foederis continentur* ». Haec omnia sunt individui hominis punitio, separandi a populo, qui Iahve benedictionibus fruitur, et cariturì posteritate. Populi ipsius posteritas deleri nequit. *Omnes maledictiones foederis scripti in libro thorae huius* (*Hebr.*; cf. v. 20) refertur ad varias maledictiones quae 28,1-46 traduntur. Uti hac ib. describuntur, certe non in individuum hominem, sed in totum populum feruntur : non solent singuli homines singulaeve familiae peste, hostium incursionibus affligi, sed integri saltem pagi. Ceterum congeruntur ibi omnia fere mala, quibus homines subiacent, et sensus generalioris expressionis *iuxta omnes maledictiones etc.* non est, illum idololatram affligendum fore illis plagis ea adamussim ratione, qua illae cap. 28 describuntur, sed una vel pluribus ex

illis plagis fore plectendum, sive morbo, sive segetum iactura, sive bonorum direptione : a nullo horum malorum se immunem futurum reputet, si scelus clandestinae idololatriae admiserit.

Arg. — A superstitione individui hominis textus abrupte transit ad superstitionem totius populi, ob quam tota regio plagis ac morbis sit affligenda ac funditus evertenda, incolis in exsilium abductis. Cuius ruinae unam causam tam Hebraei quam exteri agnoscent esse foedus Iahve neglectum.

v. 16-21 utique v. 18 mentionem habebant familiae vel tribus, agebant tamen potissimum omnino de individuo homine, qui v. 18 sit *vir aut mulier* (cf. v. 20) et v. 21 perdendus sit *de cunctis tribubus Israel*, quae ipsae permansurae sint incolumes, puniendus eo, ut *deleatur nomen* eius, i. e. deficiat posteritas, quae poena integrae tribui infligi non potuit. v. 22-29 e contra omnino agunt de apostasia universi populi punienda v. 22 *plagis* et *infirmitatibus*, i. e. *morbis*, qui non solent singulis tantum infligi sed per regiones late grassari, punienda item v. 23 ruina ruinae Sodomae simili, qualis non unius hominis agrum sed integros pagos subvertit, luenda tandem totius populi exsilio eoque diuturno, cuius v. 22 *sequens* etiam generatio miserrimos effectus contueatur. v. 22 (21) « *Dicetque sequens generatio,* [*et*] *filii qui nascentur deinceps* », — omitte copulam : *filii* appositio sunt ad *generatio*. *Hebr.* : *filii vestri, qui assurgent post vos*, agitur ergo de Hebraeis eorum, quos orator alloquitur, filiis — « *et peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus* », v. 23 (22) « *sulphure et salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur nec virens quidpiam germinet, in exemplum subversionis Sodomae et Gomorrhae, Adamae et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et in furore suo* ». *Hebr.* : *sulphur et sal*, imo (*Dr.*) *combusta est tota terra* : *non seretur et non germinabit, et non assurget in ea omne virens, sicut eversio etc*. Et nota כמהפכת etiam Gen. 19,22; Is. 1,9; 13,19; Ier. 49,18; 50,40; Am. 4,11 scribi de Sodoma; item verbum הפך Gen. 19,21. 25.29; Ier. 20,16; Thren. 4,6. Quam poenam h. l. praenuntiatam *Cal.* putavit nunquam esse exsecutioni mandatam, quod eiusmodi salis et sulphuris plagam historia Hebraeorum ignoret. Sed melius dicas, non praenuntiari poenam sulphuris et salis, sed futuram vastitatem describi imaginibus ab interitu pentapoleos petitis : describitur utique post plagas et morbos v. 22 incolis inflicta extraordinaria ipsius terrae vastitas, cuius tamen causa non enuntiatur.

Porro *sequens generatio* v. 22 intelligitur Hebraeorum, non in exsilio natorum quique longius abfuisse credendi sunt, quam ut mi-

seram Chanaanitidis conditionem oculis *viderent*, sed paucorum illorum (cf. 28,62), qui in exsilium non abducti in Chanaanitide relicti supponuntur. Neque enim ad unum omnes abducebantur. Imprimis igitur hi regionis vastitatem contuebuntur; dein v. 22 *peregrini*, non constanter habitantes in medio regionis, quis enim in regione ita desolata perpetuam sedem figat? sed *e longinquo advecti* et veluti forte illuc delati; tandem v. 24 *omnes gentes* circum fines Chanaanitidis incolentes. Prius autem, quam quid hi omnes dicturi sint recitetur, occasio verborum dicendorum v. 22 sq. indicatur : *videntes etc.*; dein v. 24 recitantur verba. v. 24 (23) « *Et dicent omnes gentes : Quare sic fecit Dominus terrae huic? quae est haec ira furoris eius immensa?* » *Hebr.* : *quid sibi vult ardor furoris magni huius*? v. 25 (24) « *Et respondebunt* » : — qui responsuri sint, non dicitur; certe Hebraei eiusmodi, qui divinam circa Israelem oeconomiam plene perspexerint, puta prophetae. Nota, verba non tam esse futuri quorumdam sermonis praenuntium, quam oratoriam amplificationem eorum, quae orator noster sentit — « *Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Aegypti* », v. 26(25) « *et servierunt diis alienis et adoraverunt eos* », *deos* « *quos nesciebant et quibus non fuerant attributi* ». Cf. quae dicebamus ad 4,19 (p. 218) : ab aliis gentibus passus est Deus se coli variis nominibus divinis, licet superstitionem illis cultibus adhaerentem nequaquam ratam habuerit; ab Hebraeis solo nomine Iahve coli voluit, eos uni Iahve cultores attribuit. v. 27 (26) « *[Idcirco] iratus est furor Domini contra terram istam, ut induceret super eam omnia maledicta, quae in hoc volumine scripta sunt* », v. 28 (27) « *et eiecit eos de terra sua in ira et in furore et in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie [comprobatur]* », sicut hodie oculis cernitur.

II. LACUNA DEUT. 29,29(28).

v. 29 (28) « *Abscondita Domino Deo nostro; quae manifesta sunt, nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis huius* ». Vulgata verbotenus vertit Hebraeum : « obscuram sententiam » merito pronuntiat *Bonfr.* Patet utique, verba non esse respondentium v. 25-28, cum eosdem pronomine primae personae exprimant, qui modo exprimebantur pronomine tertiae personae, cumque verba evidenter non dirigantur ad gentes v. 24. Suntne verba eius, qui v. 22-28 loquebatur?

Ubi *Sa* : « Ad nos », inquit, « pertinet punire peccata manifesta ».

Et *Est.* appellans v. 18 sqq.; 27,15.24 : peccata occulta, inquit, iudicio Dei permittere, peccata notoria ipsi punire debemus. Sed non agit contextus neque de peccatis neque de iudicum officio. *Calm.* : « Haec omnia sunt mysteria patribus abscondita, sed nobis ea revelavit, ut metu tantorum malorum mandata servemus ». Gratuito in textum introducuntur « patres », neque inter veritates cap. 29 enuntiatas ullum latet « mysterium ». Planius *Malv.* : « Ne sapiamus altum, neque Dei consilia, vias et iudicia ulterius pervestigemus; sed his contenti et acquiescentes voluntati eius, in hoc incumbamus, ut praescripto huius legis, quae nobis revelata, data et exposita est, simplici animo pareamus ». Sensus planus et devotus : in quo id unum quaeritur, quomodo is adaptetur contextui.

Audacter igitur defendas, sententiam praeter contextum esse textui insertam. Est *glossa et suspirium redactoris.* Insudabat is Deut° e pluribus fragmentis restituendo. In suum codicem retulerat collectaneum, ratus Moysis esse sermonem; retulerat 26,16-27,26; retulerat maledictiones Moysis cum serioris prophetae codicillo; retulerat pericopen 29,2-21, eique immediate adscripserat pericopen v. 22-28, inter quas tamen aliquem adesse hiatum persentiebat; in ordinem redigenda supererant cap. 30 sq. Durus erat labor et, quanto magis procedebat, tanto obscurior et incertior. Sentiebat iam redactor, se in extremis hisce fragmentis ordinandis coniecturis duci potius, quam rei veritate certo perspecta. Altum e pectore traxit suspirium vir sincerus : *Obscura Iahve Deo nostro; clara nobis et filiis nostris in aevum, ut faciamus omnia verba thorae huius.* Aliis verbis : Habet hic textus obscuritates, quas solvere nequeo, sed Deo commendatas habeo; quae clara sunt huius textus, nobis a Deo data sunt et filiis nostris, ut servemus omnia, quae nobis servanda sunt. Quae verba haec continent axiomata. Deus non eodem modo cooperatus est conservandae thorae, quo cooperatus est eidem primum condendae. Passus est textum in quibusdam obscurari, non in omnibus; neque in diebus filiorum nostrorum permittet obscurari omnia. Non est passus obscurari ea, quae nos facere debemus, seu non admisit errorem in rebus fidei et morum. Thora talis, qualis ad nos pervenit, plane sufficiens est, ut omnia praecepta nobis imposita impleamus; est ad salutem nostram necessaria et sufficiens. Non erat ignobilis theologus iste redactor. Intellige porro *thoram hanc* non tertiam orationem, quam nonnisi inde ab Esdra nomine thora inclusam esse comperimus, quaeque ineptius affirmetur continere *omnia verba* seu mandata ab Hebraeis observanda : sed intellige eam, quae antiquitus semper eo nomine designabatur, secundam orationem, cuius potis-

sima pars pentalogus reapse omnia illa verba habebat. Redactor gravem difficultatem expertus in tertia oratione restituenda, solamen, sibi et suis quaerit e facto, se thoram feliciter restituisse, reliqua vero saltem ita, ut observandae toti thorae abunde essent satis.

Supponebamus, verba v. 29 (28) profecta esse ab aliquo redactore, qui in trium orationum mosaicarum textu restituendo posuerit operam. Adscribi etiam potuere ab aliquo, qui soli tertiae orationis textui restituendo insudaret. Qui textus reliquis textibus videtur fuisse magis defiguratus. Et nos quidem non possumus non sentire lacunam post 29,21 (20), at minus sentimus lacunam post v. 28 (27) : 29,22-28 et 30,1-10 agunt de rebus quidem diversis, sed quarum altera priori non incommode subnectebatur. Verum sentiebat et graviter ferebat lacunam redactor ille, sive quod aliquam sui apographi partem evidenter praecisam esse deprehenderet, sive quod textum haberet ita defiguratum, ut de eo restituendo penitus desperaverit. Quare textum invitus omisit, suffecta in eius locum nota v. 29 (28).

Haud puto, excidisse tantum unam alteramve sententiam, quam facilius redactor celaturus aut expleturus erat, aut etiam omnino omissurus, quin gravius inde incommodum nasceretur « nobis et filiis nostris »; sed longiorem pericopen desiderari coniicio. Adverte cap. 29 *praeparare* restituti foederis solemnitatem, cuius celebrandae causa v. 10 sqq. *adstat* populus, et v. 16 sqq. de summo thorae officio, i. e. monolatria Iahve, et summatim de poenis apostasiae monetur. E contra textus 30,1-10 ideam cantici resumit, Iahven Hebraeos post poenitentiam in gratiam semper esse recepturum. Quam veniae promissionem dicebamus in foederis restituendi instrumento, thora non fuisse exprimendam, quod eiusmodi instrumentum pacti conditiones proponat, non vero pacti aliquando forte rupti veniam promittat. Ob eandem rationem negamus item, in ipsa foederis solemni cum sacrificiis restitutione eam veniam promitti potuisse. Potuit ea autem annuntiari, et apte annuntiabatur, sicut post thoram in cantico, ita immediate post restitutum foedus alloquio Moysis 30,1-10. Censemus igitur, post 29,28 (27) excidisse in nostro textu sacro descriptionem solemnitatis, qua foedus restituebatur. Quae certe habuit sacrificia et epulum sacrum, et fortasse peragebatur ritu affini ritus 27,11-26 : fortasse populus repetito Amen profitebatur, se, si a Iahve descivisset, divinarum maledictionum futurum reum, imo cum rege suo in exsilium abducendum.

III. ORATIO MOYSIS POST RESTITUTIONEM FOEDERIS DEUT. 30.

Arg. — Quoties post plagas Hebraei ex toto corde ad Iahven conversi fuerint, certissime reducentur in Chanaanitiden, benedictiones nanciscentur etiam maiores iis, quas patres eorum nacti sunt; modo Iahve mandata religiose servent. Omnino supponit haec pericope pericopen 28,1-46; supponit enim varias Israelitis apostatis a Deo praenuntiatas esse poenas, earumque extremam exsilium (cf. 28, 36 sq.).

Cap. XXX. Monet *Dillm.* perperam v. 1 adscribi vocem *benedictio*, cum sequentia solum eum spectent casum, quo populus *maledictionem* subiit. Cui respondet *Dr.*, rem referri historice, non supponi populum nunquam aliud laturum esse nisi maledictiones, sed primum aliquamdiu Iahve fideliter esse servituram et ab eo fore benedicendum, dein in idololatriam delapsum maledictionem esse laturum. In quam explicationem recidit fere sequens explicatio. « Benedictio et maledictio » Ios. 8,34 scribitur veluti titulus documenti Deut. 28. Sensus igitur est : Si aliquando illud documentum plenum in te effectum nactum fuerit, si impleta fuerint in te omnia quae habet, benedictiones primum, maledictiones postea, tum, quando pondere maledictionum opprimeris, si reversus fueris ad Iahve, veniam obtinebis. v. 1 « *Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo, et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit* » — *Hebr.* : *expulerit* — « *te Dominus Deus tuus* », v. 2 « *et reversus fueris ad eum* » (עד cf. 4, 30), « *et obedieris eius imperiis, sicut* » — *Hebr.* : *secundum omnia, quae* — « *ego hodie praecipio tibi, cum filiis tuis in toto corde tuo et in tota anima tua* », v. 3 « *reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit* ». Primum Israel v. 1 *vertere facit ad cor suum*, i. e. convertitur, et v. 2 *vertit ad Iahve*, i. e. ad cultum eius redit, dein v. 3 Iahve *vertit*, i. e. se vertit ad populum, *vertit et colligit*, quod alterum ישב poteris cum *Vulg.* vertere *rursum*. Colligit autem שבותך (*Hebr.*), *captivitatem tuam* ubi notes assonantiam inter hanc vocem a radice שבת petitam, et formas השבת, שב et v. 8 sqq. תשוב et ישוב a שוב derivatas. Porro *Sam.* legit שובתך, ergo *vertet versionem tuam* : cf. Iob 42,10; Ioel 3,1; Am. 9,14; Os. 6,11 et saepe apud Ier. Exaggeratur porro promissio v. 3 facta : nulla locorum distantia Iahven a reducendo populo cohibebit v. 4 : « *Si ad cardines* », ad extrema « *coeli* », ad regiones extremo firmamento

subiectas, « *fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus* », v. 5 « *et assumet atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam, et benedicens tibi maioris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui* ». v. 6 « *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua, ut* [*possis*] *vivere* », ut per eam dilectionem a ruina protegaris omnibusque bonis fruaris. Verbosa est constructio. Nota 29,4 conquestum esse Moysen, non dedisse Deum Israeli cor intelligens, quod idem est atque Lev. 26,41, Israelitas habuisse cor incircumcisum. Post Israelis conversionem erit religio in statu etiam florentiore eo, quo fuit Moyse superstite. v. 7 « *Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos et eos, qui oderunt te et persequuntur* ».

v. 8 « *Tu autem reverteris* », quae vox in sententia vix non eadem cum sententia v. 2, uti ib. accipienda est de reditu ad Iahven et, eo mediante, de reditu in terram sanctam : sc. v. 8 redit ad v. 2 et ea, quae v. 1-7 fusius tradebantur, v. 8-10 pressius repetuntur — « *et audies vocem Domini Dei tui, faciesque universa mandata, quae ego praecipio tibi hodie* »; v. 9 « *et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui et in fructu iumentorum tuorum, in ubertate terrae tuae* [*et*] *in* [*rerum omnium*] *largitate : revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in* [*omnibus*] *bonis* », — seu verte iterum : *in largitate* — « *sicut gavisus est in patribus tuis* ». Cf. 28,63. v. 10 « *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris praecepta eius et ceremonias, quae in hac lege* » — *Hebr.* : *in libro thorae huius* — « *conscripta sunt, et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua* ». Facit *Vulg.* v. 10 dependentem a v. 8 sq., ut inculcet *conditionem* tantae abundantiae obtinendae; potest tamen v. 10 etiam concipi, ut *rationem* exprimat eiusmodi abundantiae obtentae : *quia revera audies etc. Mandata et statuta* habentur non cap. 29 sqq., sed in ipsa thora seu secunda Moysis oratione : igitur v. 10 prodit, quo tempore Moyses sermonem cap. 30 habebat, iam scriptam exstitisse thoram, et « scripsit » 31,9 idem sonare atque « scripserat ».

Arg. — Mandatum Israelitis impositum non est res factu difficilis neque eminus arcessenda, sed in eorum cordibus et oribus reperitur, constat dilectione Dei, quae observatione mandatorum manifestatur. Quod custoditum largietur longaevitatem, foecunditatem et prosperitatem; neglectum inferet ruinam. Cuius rei testes invocantur coelum et terra.

v. 11 « *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est neque procul positum* ». Pro *supra Hebr.* : *non est nimis portentosum pro te*, נפלאת. Quae expressio synonyma est sequentis *non est procul*, quae v. 12 sq. duabus imaginibus explicatur : « non est in coelo, loco tam sublimi ad quem quis ascendere nequeat, neque est trans mare, in regione ita dissita quae adiri nequeat » (*Dr.*). Ergo non est res inaccessa, sed *prope abest* (v. 14), sc. *in corde*, ut intelligatur, *in ore*, ut verbis facile exprimatur. Dicitur igitur hoc mandatum non esse remotum ab hominis mente et ore, sicut sunt portenta seu mysteria, sed facile intellectu perspici et memoria retineri. Quibus verbis videtur refutari quorumdam opinio, 29,29 (28) affirmari, haberi in thora plura « mysteria ». At, Moyse proclamante legem esse facilem, quomodo affirmat S. Petrus Act. 15,10, fuisse legem patribus plane intolerabilem? Loquitur Moyses de thora, qualis a se condita est, quaeque ignorabat cap. 12-27; loquitur S. Petrus de thora his capitibus aucta. Habebat utique lex suas partes immutabiles et perpetuas, Librum Foederis prioris (cf. p. 289 sqq.) et thoram foederis secundi. Praeter has habebat lex Moysis ea, quae non erant plane immutabilia erantque per omnia aevo mosaico accommodata : erant ea eius aevi viris minime intolerabilia. Venit Samuel et in suo collectaneo horum plura adaptavit sui aevi necessitatibus : quae rursus aevi Samuelis hominibus nequaquam erant intolerabilia. Tandem collectaneo cum legibus mosaicis omnibus aequa et permanens attribuebatur auctoritas; ad decimam primam accedebat decima secunda, imo tertia; legibus omnibus circumducebatur sepes traditionum rabbinicarum : tum tandem lex intolerabilis evasit. v. 12 « *Nec in coelo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad coelum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus?* » v. 13 « *neque trans mare positum, ut causeris et dicas : Quis e nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere, quod praeceptum est?* » v. 14 « *Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum* ». Nullam excusationem habent Hebraei, ne mandatum hoc faciant.

v. 15 *Ecce posui*, seu ; « *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et* [*e contrario*] *mortem et malum* »; pro quibus 11,26-28 scribuntur synonyma *benedictionem* et *maledictionem* (cf. infra v. 19). Porro *vita, bonum, benedictio*, per *dilectionem* Iahve *mandatorum observatione* manifestatam, confert *longaevitatem, foecunditatem, prosperitatem* : v. 16 « *ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et custodias mandata*

illius ac ceremonias atque iudicia : et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam ». Textus *Vulg.* certe est mancus : praefigunt quippe *Hebr. Sam. Chald. Syr.* versui voces *quod ego mando tibi hodie*, quae constructionem praebent nonnihil abruptam; quam feliciter complent *LXX* praefixis aliis quibusdam : *Si audieris mandata Domini Dei tui* (seu *mandatum*, sc. mandatum dilectionis Dei), *quae ego mando tibi hodie*. Quae lectio, licet critice probabilior non sit, nobis videtur sensum oratoris clare exprimere, qui *vitam* et *mortem*, fructum observatorum et neglectorum mandatorum, v. 16-18 explicat: ergo a vocibus *et vivas etc.* orditur apodosis ad v. 16ª, sicut v. 18 apodosin habet pro v. 17. — v. 17 « *Si autem aversum fuerit cor tuum et audire nolueris atque* » *seductus*, pro quo *Vulg.* « *errore deceptus* », « *adoraveris deos alienos et servieris eis* », v. 18 « *praedico tibi hodie, quod* » *certissime* « *pereas* », idque explicatur : «[*et*] *parvo tempore moreris in terra, ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam* ». *Hebr.* emphatice : *non prolongabitis dies etc.* v. 19 « *Testes invoco* » *vobis* « *hodie coelum et terram* », — verbotenus uti 4,26 — « *quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem : elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum* ». Et explicatur, in quo *vita* illa eligenda consistat : v. 20 « [*et*] *diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, et illi adhaereas, ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua iuravit Dominus patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob, ut daret eam illis* ».

IV. ULTIMA MOYSIS IN EADEM CONCIONE ACTA DEUT. 31,1-13.

Huius capitis plures sunt difficultates, quas ut clarius perspicias, summario primum hoc caput ob oculos ponimus.

v. 1-13. *Moyses* post absolutos praecedentes sermones, Hebraeos commonefacit de imminenti sua morte, Iosuen futurum ducem demonstrat, faustum expeditionis successum praedicit, bono animo omnes esse iubet. Advocatum Iosue item iubet bono animo esse. Scriptam *thoram* tradit « sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini », praecipitque ut haec thora annis sabbaticis publice praelegatur.

v. 14-22. *Iahve* Moysen de imminente morte commonefacit. Eum cum Iosue ad tabernaculum accersit, ubi apparet gloria Iahve, praeceptum tamen, quod v. 14 Iosue dandum affirmabatur, non exprimitur. Praedicit Iahve futuram populi defectionem poenasque eidem

infligendas, iubetque describi *canticum*, quod futurum sit permanens testimonium pro Iahve contra Hebraeos.

v. 23-30. *Iahve* Iosuen iubet bono animo esse. Scriptam *thoram*, quae et ipsa affirmatur in testimonium esse servanda, asservandam tradit Moyses « levitis, qui portabant arcam foederis Domini ». Coacta concione pronuntiat omnia verba *cantici*.

Hos tres articulos non efficere unam continuam narrationem, patet vel obiter legenti cap. 31. Iosue bono animo iubetur esse bis v. 6 sq. 23, verbis vix non iisdem. Scripta thora bis traditur filiis Levi v. 9. 24. Primum a Moyse futurus dux declaratur Iosue et bono animo esse iubetur, postea a Iahve : verum id Iahven primum declarasse, necnisi a Iahve declaratum promulgasse Moysen, patet cum per se, tum e narratione historica Num. 27,12 sqq. Quod horum eventuum ordo invertatur Deut. 3,21. 28 sq., fit e ratione rhetorica, quae h. l. non obtinet. Cur thora v. 9 traditur « sacerdotibus filiis Levi » et v. 25 « levitis », quibus diversis nominibus iidem « portatores arcae » designantur? v. 23 habentur verba, quae non possunt esse nisi Iahve loquentis : tamen subiectum v. 23 non exprimitur (sola *Vulg. Dominus*), et grammatice supponendum esset esse idem atque v. 22, sc. Moyses.

Ad solvendas difficultates adverte, v. 23 sq. legi loco non suo, sed transferendos esse ad calcem v. 15. Sic solvitur ea, quam modo attingebamus, difficultas quoad subiectum v. 23 : subiectum v. 23 idem est atque v. 15, sc. Iahve. Dixerat Iahve v. 14, se « praeceptum » daturum esse Iosue : hoc praeceptum dat v. 23, iubens Iosuen bono animo esse eique faustum successum promittens. Perspicitur nunc, ad quem finem v. 15 apparuerit columna nubis, sc. ad auctoritatem addendam verbis v. 23. Post v. 22 non iam habetur illud alloquium Iahve ad Iosue, quod nunc ibi praeter omnem contextum legitur. Sed cum v. 23 item v. 24 transferendus est ad calcem v. 15 : quo tollitur ea, quae nunc habetur ambiguitas, agaturne v. 25 sqq. de thora an de cantico; liber v. 26 iam non est liber thorae v. 24, sed liber descriptum habens v. 22 canticum, quod v. 26 aeque atque v. 19 affirmatur futurum esse in testimonium. Habet autem v. 24 versui 16 antepositus hunc sensum planissimum, nonnisi *post* totam descriptam thoram iussum esse a Iahve Moysen, etiam canticum scribere. Igitur ordo versuum est hic : v. 1-15. 23 sq. 16-22.25-30. *Prior capitis pars agit de thora, altera agit de cantico.*

Nunc vero illud, quaeso, attendas. In toto ante cap. 31 Deuteronomio non habetur illud, quod libri priores constanter agebant, ut directe recitentur Dei alloquia ad Moysen facta (« Locutus est Iahve ad

Moysen dicens »). Priores libri fere constanter tradebant verba Iahve, Deut. totum est in tradendis verbis, monitis, orationibus Moysis. *Hac re Deut. plurimum differt a praecedentibus libris.* Verum inde ab 31,14 rursum habentur directa Iahve ad Moysen alloquia : v. 14.23. 16-21; 32,48; 34,4.

Recole porro, quae p. 169 sqq. dicebamus, Deut. 1,3 haberi descriptum diem mortis Moysis; illum versum primitus immediate annexam habuisse narrationem de actis supremi illius diei; aliquem inter 1,3 et inter haec acta totum fere Deut. inseruisse, Moysis orationes valedictorias. Perspicies profecto, cap. 31 deprehendi suturam inter recentiorem et antiquiorem narrationem; ad illam pertinere v. 1-13, quae acta Moysis, non Iahvae referant, historiam thorae absolvant narrando, quomodo ea descripta fuerit, asservata suisque temporibus praelecta; ad hanc spectare 31,14-32,52; 34, fortasse etiam cap. 33. Haec primitus immediate consequebantur textum 1,3. Ultimo vitae die narrabatur Moyses canticum Deut. 32, fortasse etiam benedictiones Deut. 33 recitasse, dein monente Iahve montem conscendisse ibique mortuus esse.

Igitur narrationes 31,1-13 et 14-30 e diversis documentis petitae, sunt veluti parallelae, eventus eiusdem fere temporis describunt. Iahve ante tabernaculum in columna nubis apparens Iosuen bono animo esse iussit (v. 14 sq. 23); quod Moyses (v. 7 sq.) « coram omni Israel » publice repetiit, praemissis in eadem sane concione verbis v. 2-6. Thoram quam, sicut canticum (v. 22.30), credendus est ante conscripsisse, quam illam coram populo pronuntiaret, sacerdotibus v. 9-13 tradidit asservandam et praelegendam. Quae thora tum erat liber a cantici libro v. 26 diversus. Post scriptam thoram (v. 24) iussus a Iahve scripsit canticum, tradidit levitis, in populi concione pronuntiavit. Vides, duas illas narrationes habere unum eventum fere communem, alloquium ad Iosue factum, reliquos perquam affines inter se, non tamen eosdem; priorem narrationem res referre ut acta Moysis potius, posteriorem ut acta Iahve.

Arg. — Praenuntiata sua morte felicique expeditionis successu Iosue duce, Moyses populum et ipsum Iosue bono animo esse iubet. Scriptam thoram Levitis et senioribus tradit custodiendam et annis sabbaticis populo praelegendam, ut is in fide erga Iahven confirmetur.

Cap. XXXI v. 1 « *Abiit itaque Moyses* » — non a colloquio cum Deo 3,28 habito (*Dillm.*), cum illud nimio intervallo a nostro versu separetur, neque sufficiens appareat ratio nostri versus ad illud colloquium referendi; non « perrexit in coepto sermone » (*Malv.*), ne-

que « abiens dixit, coetum dimittens » (*Calm.*), cum eae significationes a voce וילך alienae sint. Scribitur ea vox quandoque specie tenus otiose (cf. *Tost.*), novo ordiente narrationis capite. Cf. Ex. 2,1 : ivit et accepit uxorem; cf. item Gen. 35,22. Verum, si v. 1 adstruas introducere novum Moysis sermonem, tum *verba haec* erunt alloquium v. 2-6, nimis pompose hoc breve alloquium demonstrabitur verbis *omnia verba haec*, fere abundabunt verba v. 2 *et dixit ad eos*, quorum loco aptius scribebatur לאמר (cf. *Dr.*). Ob quas rationes reapse praeferenda videtur lectio *LXX* συνετέλεσε λαλῶν, ויכל לדבר pro וילך וידבר, licet ab ea dissentiant reliqui omnes, etiam *Aq. Symm. Theod.* : ergo *complevit Moyses loqui omnia verba haec*, sc. quae praecedunt (*Tost.*), proxime cap. 29 sq., et his completis *dixit ad eos*, quae habentur v. 2-6. Sc. cap. 29 sq. erat iustae molis oratio, quam cap. 31,1-13 excipiunt minora quaedam. Lectiones differunt fere sola duarum consonantium transpositione, et lectio LXX totum contextum reddit perspicuum. Cf. *Klost.* p. 134 — « *et locutus est omnia verba haec ad universum Israel* » in ea concione, quam 29,2 (1) Moyses convocasse referebatur.

Locutusne est in *eadem* concione ea, quae 31,1-13 referuntur? Textus id non definit. Sensus is est, absoluta solemnitate restituti foederis alia quaedam Moysen locutum esse et egisse; sed non dicitur, eademne concione egerit an alia, eodemne die an alio. Dixit utique et egit in aliqua concione, cum thorae traditio utique peracta sit publice et solemniter. Neque illud affirmatur, unico die et unica concione acta esse, quaecunque 31,1-13 habentur. Auctor libri bipartiti adhaeret ordini chronologico eventuum : idem de narratore 31,1-13 demonstratum non habemus. Neque plane constat, quis ille narrator sit. Quae antecedunt orationes utique sunt Moysis. Quis vero scripserit narrationem 31,1-13 et eam, quae post 29,28(27) excidisse videtur, solemnitatis descriptionem, traditum non accepimus. Scripsit fortasse idem, qui 5,1 et 29,2(1) historice refert, conciones a Moyse esse coactas. Quaestionem vix dirimet quisquam, cum tandem pericope 31,1-13 fere tota constet verbis a Moyse pronuntiatis. Ille narrator, quisquis fuerit, extremo sermoni cap. 30 pro appendice adiecit quaedam, quae historiam thorae et restituti foederis compleant, verba Moysis valedictoria, librum thorae conditum et reconditum. Verba valedictoria, quod eventum respiciant eundem, quem tradit liber bipartitus v. 14 sq. 23, censeo pronuntiata esse ultimo die vitae Moysis. Sed non puto necessario esse concedendum, non ante illum diem thoram traditam esse Levitis et senioribus, quod perquam commode fieri potuit ipsa extrema concione 29,2(1)-

30,20; potuit item fieri alio die post eam concionem, sed ante diem mortis Moysis.

v. 2 « *Et dixit ad eos : Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi* », omnia quae necessaria sunt praestare (cf. ad Num. 27,17). — Quaeres, quomodo id constet cum 34,7, oculos Moysis non caligasse neque dentes eius motos esse. Respondet *Est.*, oculorum vivacitatem et dentium robur non excludere generale virium decrementum, quo senex incapax fiat ad arduos labores subeundos — « *[praesertim] cum [et] Dominus dixerit mihi : Non transibis Iordanem istum* ». Haec est altera ratio, Deum non esse illi concessurum in hac re robur praeter naturae vires.

v. 3 « *Dominus ergo Deus tuus transibit ante te, ipse delebit [omnes] gentes has in conspectu tuo et possidebis eas; et Iosue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus* ». *Hebr.* : *Iahve Deus tuus, ipse transiens ante te delebit etc.; Iosue ipse transiet ante te etc.* Traiicient Iahve et Iosue Iordanem ante populum, sed solius Iahve est virtus delendorum inimicorum. Copulam ante *Iosue* habent *Sam. LXX Vulg.* v. 4 « *Facietque Dominus eis, sicut fecit Sehon et Og, regibus Amorrhaeorum, et terrae eorum, delebitque eos* ». v. 5 « *Cum ergo [et] hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut praecepi vobis* ». Cf. Ex. 34,11 sqq.; Num. 33,51 sqq.; Deut. 7,2 sqq. Demonstrabat Deus v. 4, quid ipse facturus esset; monet eos v. 5, quid ipsis faciendum, v. 6, quomodo agendum. v. 6 « *Viriliter agite* » — idem verbum, quod v. 7 vertitur « confortare » — « *et confortamini; nolite timere nec paveatis ad conspectum eorum, quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, et non dimittet nec derelinquet te* ».

v. 7 « *Vocavitque Moyses Iosue et dixit ei coram omni Israel : Confortare et esto robustus; tu enim introduces* » — תביא : ita *Sam. Syr. Vulg.* contra *Hebr. LXX* תבוא — « *populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum iuravit Dominus, et tu eam sorte divides* ». v. 8 « *Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum; non dimittet nec derelinquet te. Noli timere nec paveas* ».

v. 3 populus exprimitur numero singulari (tuus, possidebis etc.), v. 5.6^a numero plurali (vobis etc.), qui transitus a singulari ad pluralem, interiecto imprimis v. 4, ubi de gentibus numero plurali est sermo, sat facile intelligitur. Sed v. 6^b reditur ad singularem. Adverte, v. 8 verbotenus consonare versui 6^b, paucis adiectis : sc. in medio v. 8 לפניך הוא יהוה, et in fine לא תירא ולא תחת. Populo idem, quod v. 6^b, iam dicebatur v. 2.6^a. Ergo non est improbabile, v. 6^b unum esse cum v. 8 textum, et verba haec primitus dicta esse ad Iosuen, non vero ad populum. Potest tamen difficultas etiam solvi ex ea, quam p. 110 explicabamus, suffixorum in textu permixtorum ratione.

Narrator noster non refert Moysen thoram scripsisse iubente Iahve (cf. 31,19), parcit divinis alloquiis.

v. 9 « *Scripsit itaque Moyses legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel* ». Ad arcam ex officio portandam Num. 4,15; 10,21 destinabantur levitae Caathitae. Quo non praecludebantur ab arcae gestatione sacerdotes, sicut etiam in religione christiana non excluduntur sacerdotes ab officiis diaconorum implendis. Neque mirum est solemnioribus occasionibus (cf. Ios. 3,6; 3 Reg. 8,4) sacerdotes arcam gestasse. Nolim tamen cum *Cai.* affirmare, gestare arcam ex officio fuisse sacerdotum, in articulo necessitatis etiam levitarum : id enim nimis aperte dissonat a Num. 4,15. Ii, *qui* ex officio *portabant arcam foederis,* fuere levitae, non sacerdotes. At, quomodo id h. l. tribuitur *sacerdotibus*? Nota, textum parallelum v. 25 ignorare *sacerdotes*. Moyses librum tradidit levitis et senioribus, futuris libri recitatoribus; quodsi enim religio etiam christiana agnoscit ordinem lectorum a sacerdotibus distinctorum, curnam in V. T. recitatio necessario imponenda fuerit sacerdotibus? At recentior quidam Iudaeus, aegre ferens id honoris non deferri sacerdotibus, v. 9 pie magis quam sapienter vocem כהנים inseruerit. v. 10 « *Praecepitque eis dicens : Post septem annos* », — *Hebr.* : *in fine septem annorum*, i. e. « anno septimo » (*Cai.*), « *anno remissionis* ». שמטה legitur item Deut. 15,9 (cf. v. 1 sq. et etiam Ex. 23,11). *Hebr.* : *in conventu anni remissionis* : post designatum annum, definitur anni tempus primum universim, ut sit conventuum unus, dein specialius, ut sit festum tabernaculorum — « *in solemnitate tabernaculorum* », v. 11 « *convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus* », — sed *Dominus* praeter *LXX* ignorant omnes, et יבחר intelligi potest indeterminate : *quem elegerit aliquis*, seu qui fuerit electus. Locus eligetur Deo utique providente, sed non necessario eius prae ceteris loci electionem ipso suggerente — « *leges* [*verba*] *legis huius coram omni Israel, audientibus eis* ». — *Sam. LXX* יקרא, *leget aliquis* — v. 12 « *et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant impleantque omnes sermones legis huius* »; v. 13 « *filii quoque eorum, qui* [*nunc*] *ignorant, ut audire* [*possint*] *et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur* » — *Hebr.* : *vos vivetis* — « *in terra, ad quam vos Iordane transmisso pergitis obtinendam* ». Populus cum suis parvulis h. l. opponitur posteris *qui non noverunt* : ergo illi, etiam parvuli, *noverunt*. Sc. verbum

ידע scribitur h. l. significatione sua primigenia *immediatae experientiae* : cf. Gen. 3,7; Ex. 2,4; Is. 40,21 etc. Generatio nunc vivens lectione renovabit memoriam eorum, quorum partem saltem ipsa experta est; sequentes generationes omnes credent ex audita lectione tantum.

ACTA ULTIMAE DIEI VITAE MOYSIS

DEUT. 31,14-34,12

1. *Iosue dux deputatur Deut.* 31,14 sq. 23.

Arg. — Iahve, Moysi imminentem mortem indicens, eum cum Iosue ad tabernaculum accersit, Iosuen ducem deputat, et bono esse animo iubet in negotio terrae sanctae subigendae.

Quod h. l. narratur, partim idem est cum eventu v. 7 sq. (cf. p. 490). Estne etiam idem cum eventu Num. 27,15-23, ubi item v. 20 (19), uti h. l. v. 14. 23, habetur verbum צוה, deputare? Cf. quae p. 92 sqq. suggerebamus, Num. 27 excidisse, quam Moyses tum petierit et Iahve concesserit, permissionem foederis solemniter restituendi, ubi simul Iahve Iosuen futurum ducem deputavit. Hic, absoluta narratione illius solemnitatis, rursum deputatur Iosue. Crediderim Num. 27,22 sq. breviter anticipari narrationem, quo ritu Iosue deputatus sit, rem reapse actam esse supremo vitae Moysis die, post restitutum foedus. Quo die primum Iahve Moysen cum Iosue ad se accedere iussit (Deut. 31,14 sq. 23) et Iosuen deputavit ducem, dein Moyses, mediator inter Iahven et populum, deputationem coram populo exsecutus est pronuntiatis verbis Deut. 31,1-6, postea impositis Iosue manibus Num. 27,32 et pronuntiatis verbis Deut. 31, 7 sq.

v. 14 « *Et ait Dominus ad Moysen : Ecce prope sunt dies mortis tuae* ». Sed *Hebr.* : *appropinquant dies tui*, i. e. vita tua, *morti*; imminet tua mors. Non affirmantur plures adhuc futuri esse dies vitae : dies 1ª mensis 11ⁱ (1,3) est ipsa dies mortis. « *Voca Iosue, et state in tabernaculo testimonii, ut praecipiam ei* », ut deputem eum ducem (cf. CN p. 329). *LXX* (etiam v. 15) : *in ostio tabernaculi* foederis. Sc. ipsi, uti alii interpretes plures, censebant haud esse ferendum, ut Iosue non sacerdos tabernaculum sit ingressus. Sed memento, Iosuen seligi ad honorem omnino insignem ac fere dixerim unicum. Sensus verborum obvius utique is est, Iosuen cum Moyse ingressum esse intra tabernaculum, ibi illis visam esse columnam nubis, ac tandem eandem in omnium conspectu e tabernaculo veluti prorumpentem

1. *Iosue dux deputatur Deut.* 31,14 sq. 23.

Arg. — Iahve, Moysi imminentem mortem indicens, eum cum Iosue ad tabernaculum accersit, Iosuen ducem deputat, et bono esse animo iubet in negotio terrae sanctae subigendae.

Quod h. l. narratur, partim idem est cum eventu v. 7 sq. (cf. p. 490). Estne etiam idem cum eventu Num. 27,15-23, ubi item v. 20 (19), uti h. l. v. 14. 23, habetur verbum צוה, deputare? Cf. quae p. 92 sqq. suggerebamus, Num. 27 excidisse, quam Moyses tum petierit et Iahve concesserit, permissionem foederis solemniter restituendi, ubi simul Iahve Iosuen futurum ducem deputavit. Hic, absoluta narratione illius solemnitatis, rursum deputatur Iosue. Crediderim Num. 27,22 sq. breviter anticipari narrationem, quo ritu Iosue deputatus sit, rem reapse actam esse supremo vitae Moysis die, post restitutum foedus. Quo die primum Iahve Moysen cum Iosue ad se accedere iussit (Deut. 31,14 sq. 23) et Iosuen deputavit ducem, dein Moyses, mediator inter Iahven et populum, deputationem coram populo exsecutus est pronuntiatis verbis Deut. 31,1-6, postea impositis Iosue manibus Num. 27,32 et pronuntiatis verbis Deut. 31, 7 sq.

v. 14 « *Et ait Dominus ad Moysen : Ecce prope sunt dies mortis tuae* ». Sed *Hebr.* : *appropinquant dies tui*, i. e. vita tua, *morti*; imminet tua mors. Non affirmantur plures adhuc futuri esse dies vitae : dies 1ª mensis 11[1] (1,3) est ipsa dies mortis. « *Voca Iosue, et state in tabernaculo testimonii, ut praecipiam ei* », ut deputem eum ducem (cf. CN p. 329). *LXX* (etiam v. 15) : *in ostio tabernaculi* foederis. Sc. ipsi, uti alii interpretes plures, censebant haud esse ferendum, ut Iosue non sacerdos tabernaculum sit ingressus. Sed memento, Iosuen seligi ad honorem omnino insignem ac fere dixerim unicum. Sensus verborum obvius utique is est, Iosuen cum Moyse ingressum esse intra tabernaculum, ibi illis visam esse columnam nubis, ac tandem eandem in omnium conspectu e tabernaculo veluti prorumpentem

stetisse in introitu tabernaculi. « *Abierunt ergo Moyses et Iosue, et steterunt in tabernaculo testimonii* »; v. 15 « *apparuitque Dominus ibi* », pro quo *Hebr. in tabernaculo*, « *in columna nubis, quae stetit in introitu tabernaculi* ». Quo clarius perspiciatur contextus, illico subiicimus v. 23 sq., quorum nativus est locus inter v. 15 et v. 16. — v. 23 « *Praecepitque* [*Dominus*] *Iosue filio Nun* », i. e. *deputavit* eum, « *et ait : Confortare et esto robustus, tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum* ». Felicis successus certo obtinendi ratio una divina promissio, ratio altera praesens Dei auxilium. Merito, secundum sensum, inseruisse *Vulg.* vocem *Dominus* docent voces *pollicitus sum* et *ego ero*. Falso *LXX* : *pollicitus est Iahve* et *ipse erit tecum*. Tamen vox *Dominus* in textu non est, subiectum v. 22 est Moyses. Et quid sibi volunt ista Domini ad Iosue v. 23 verba, inter v. 22 qui de cantico, et v. 24 qui de thora agit? Habet autem v. 23 praecise illud, quod post v. 15 desiderabatur, *praeceptum* illud, quod se Iahve dixerat *praecepturum*. Ergo ad calcem v. 15 adscribendus v. 23, et cum illo v. 24 (cf. p. 489) : ambo versus una e nativo contextu excidere.

2. *Moyses edit canticum Deut.* 31,16-32,47.

a. Editi cantici ratio Deut. 31,16-30.

Arg. — Iahve praevidens futuras populi infidelitates iubet conscribi canticum, quod prope arcam reponatur, sitque contra populum in testimonium. Quod canticum, concione populi convocata, Moyses pronuntiat ac demum levitis tradit prope arcam reponendum.

Pericope orditur a v. 24, cum v. 23 ad calcem v. 15 transferendo : « *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atque complevit* » *ea*, i. e. proxime verba, completis verbis etiam volumen legis seu thorae — apodosin autem habes v. 16 : *dixit Iahve ad Moysen.*

Sensus verborum planus. In hoc documento, a narratione deuteronomica (cf. v. 9) distincto, affirmatur thora a Moyse scripta esse, et tota quidem, atque nonnisi post totam hanc thoram scriptam monuisse Deus Moysen de cantico concinnando; supponitur item canticum esse documentum a thora distinctum, non thorae pars. An fortasse praeterea suggeritur canticum non eiusdem plane esse auctoritatis atque thora? Sane, in quantum perspectas habemus Hebraeorum de sacris libris opiniones, affirmare possumus eos thoram sanctiori semper loco habuisse quam alios libros, etiam inspiratos.

Ergo etiam alias praeter secundam orationem Deut' partes, v. g. canticum, quamdiu eas thorae nondum accenserent, habuerint Hebraei pro minus sacris atque verendis quam ipsam thoram. Scriptor ideo etiam adscripserit v. 24, ut de hoc lectores moneret. Si sua thorae intacta servanda erat auctoritas, oportebat accurate definire, quid ad thoram pertineret, quidve non pertineret.

Verum, ut totam v. 24 vim exhauriamus, dispiciamus oportet, a quo ille scriptore profectus sit. Opinio magis obvia haec est, scriptum esse ab ipso narratore v. 14-30, cuius narrationi insertus conspicitur. En tibi igitur narrationis deuteronomicae optatissimam confirmationem profectam a narratore actorum Moysis novissimorum 31,14-34,12. Illa prolixam recitabat thoram affirmabatque v. 9 eam a Moyse scriptis esse mandatam : hic v. 24 meminit thorae cuiusdam a Moyse scriptae, quam non facile negaverit quis eandem esse atque illam v. 9, cum v. 1-13 et 14-30 de eventibus agant partim iisdem et partim valde affinibus inter se. Deinde acta Moysis novissima continuatio sunt actorum Ex.-Num., quae servato temporum et locorum ordine enarrabantur : ergo si acta novissima affirmant canticum concinnatum esse *post* descriptam totam thoram, ex indole eorum actorum habemus novam rationem defendendi, v. 24 accuratam rationem temporis exprimere. Tandem recordare, librum bipartitum primitus fuisse scriptum a Deut. 1,4-31,13 distinctum; quod scriptum non haberet v. 24 mentionem libri thorae a Moyse conscripti, nisi antea aliquam de eo libro tradidisset narrationem, diversam ab ea quae 31,1-13 habetur et ad librum bipartitum non spectabat. Ergo confirmatur rursus, quod p. 91 sq. affirmabamus, librum bipartitum habuisse primitus ipsum quoque aliquam restituti foederis et conditae thorae narrationem.

Coniecerit tamen aliquis, v. 23 primitus narrationi v. 14-30 non infuisse, versum additum esse a collectore quodam vel redactore. Cuiusmodi additamenta ad sacros textus quandoque facta esse, quis ignorat? At cur collector ille non adscripsit v. 24 immediate post v. 13, extrema priore pericope? Perspiciebat fortasse collector ille id, quod perspicimus nos, eundem narrari eventum v. 14 sq. 23 et v. 2-8. *Post* quem eventum affirmabat v. 9 scriptam esse thoram; neque poterat collector, v. 24 inserens ante v. 14, affirmare thoram scriptam esse *ante* eundem eventum. Inseruerit igitur verba, quo primo loco prudenter inserere potuit, i. e. post v. 14 sq. 23. Haec igitur hypothesis supponit v. 24 et loco suo post v. 15 cum v. 23 excidisse, et esse adiectitium : censemus, v. 24 loco utique una cum v. 23 excidisse, sed non esse adiectitium. Nullo argumento demonstratur serius v. 24 esse adscriptus. Thorae mentio inde explicatur, quod liber bipartitus etiam habuerit primitus aliqua de thora. Praeterea acta haec supremae diei vitae Moysis assidue inculcant Moysen singula, quae tum egerit, ad finem perduxisse : complevit canticum 31,30; complevit universos ad populum sermones 32,45; similiter 31,24 affirmatur complevisse ad finem usque scriptionem thorae.

Sequitur porro alterum ad Moysen divinum alloquium, quod alloquium v. 14 si non immediate, at certe brevi intervallo consecutum est, cum Deut. 31-34 sint acta extremae diei vitae Moysis. Videatur tibi ea dies fuisse occupatior, praeter aliqua Iahve et populi alloquia habens canticum conscriptum et recitatum, benedictiones pronuntiatas. Nec erat cur ea die aut Moyses parceret sibi, aut Iahve Moysi. Suprema vitae die scaturit insueto vigore et abundantia prophetiae vena. Fluit e calamo canticum, quin operose requirantur neque verba neque caesurae, convocatur populus, disponuntur chori, canticum solemniter recitatur. Monitus deinde montem conscendere Moyses benedictiones pronuntiat, tandem vegetus et fortis (24,7) montem conscendit, non fax defervescens, sed sol occiduus. — Initio utriusque alloquii v. 14.16 (cf. v. 2) Deus Moysi mortem proxime affuturam in memoriam revocat : est quippe hic dies supremus. Et nota, duo negotia Iahven eo die expedienda Moysi imposuisse, Iosuae deputationem et canticum : est ergo canticum hoc et ipsum res supremi momenti.

v. 16 « *Dixit Dominus ad Moysen* : *Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra* », — reliqui *terrae* — « *ad quam ingreditur, ut habitet in ea* » ; — pro quo inciso *Hebr.* : בקרבו:, quod *Dillm.* trahit ad *deos alienos*, ergo deos alienos qui erunt in *medio eius*; sed vox *deos* longe abest neque efficax est comparatio cum Gen. 35,2; Ios. 24,23. Melius *Keil* vocem trahit ad *ad quam ingreditur*, ergo *in medium eius* : populus hebraeus terram ingrediens erit in medio gentium ib. habitantium atque deorum illarum : aderit igitur superstitionis tentatio. Consonat *Vulg.* — « *ibi derelinquet me et irritum faciet foedus, quod pepigi cum eo* ». v. 17 « *Et irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem; invenient eum omnia* » — reliqui *multa* — « *mala et afflictiones ita, ut dicat in illo die* : *Vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala* ». *Hebr. Sam. Chald.* : *Deus meus*; quod explicant *LXX* : *Iahve Deus meus*. v. 18 « *Ego autem abscondam et celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quae fecit, quia secutus est deos alienos* ».

Reliqui post *faciem meam* legunt *ab ipsis* : ergo v. 18 idem edicit, quod v. 17. Aut igitur habetur mera repetitio, aut dicendum erit cum *Keil*, verba v. 17 *et dicent in illo die etc.* edicere delicti agnitionem, non vero pœnitentiam : verum, si is revera sit sensus, clarius ille exprimi et potuit et debuit. Potuit autem illud מהם v. 18 efformari ad imitationem v. 17, ut sensus v. 18 sit hic : illis ad poenitentiam conversis, avertam et ego faciem meam *quoad* omnia mala etc., ergo *ab* illis malis: poenitentia secuta reconciliabor.

v. 19 « *Nunc itaque scribite vobis canticum istud* » cap. 32, tu et Iosue, inquit *Kn.*; tamen v. 22 solus Moyses refertur canticum scripsisse; sc. Moyses illud scripsit, alii descripsere, ut e pluribus apographis totus populus doceretur, immediate non a solo Moyse sed ab aliis etiam ab ipso constituendis; « *et docete filios Israel, ut* [*memoriter teneant et*] *ore decantent* ». *Hebr.* : *pone in ore eorum*, sed copulam praemittunt *Sam. LXX*, quam bene *Vulg.* reddit coniunctione *ut* : ita docendi sunt, ut habeant in ore, ergo multo magis in memoria : « *et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel* ». « Quando pro iniquitatibus suis punivero eos, non poterunt allegare, quod non praemonui eos » (*Tost.*). Erronee *LXX* e v. 21 huc transsumunt לפניו. v. 20 « *Introducam enim eum in terram, pro qua iuravi patribus eius, lacte et melle manantem; cumque comederint et saturati crassique fuerint* », — etenim « abundantia rerum cor extollit et beneficiorum immemores facit » (*Tost.*) — « *avertentur ad deos alienos et servient eis, detrahentque mihi* », despicient, abiicient me, « *et irritum facient pactum meum* ». v. 21 *Et erit*, « *postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui* ». Quando populus, similiter atque homines illi 29,24(23), mirabitur et conqueretur de tantis malis, hoc ei canticum *in faciem* (*LXX* לפנים; *Hebr.* לפניו) respondebit, et testabitur *mihi* (v. 19), i. e. in meum favorem, ostendens mala illa omnia esse iustam scelerum poenam. *Hebr.* : *Quia non oblivioni dabitur ex ore seminis eius* : docebitur (v. 19) atque ideo memoria tenebitur et tamquam testis illos confundet. Textus evidenter supponit, licet de ea re non tradatur explicitum mandatum, canticum statutis diebus fore recitandum, fortasse uti thoram in festo tabernaculorum. « *Scio enim cogitationes eius, quae facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum* ». Nequit (*Men.*) *hodie* trahi ad *scio*. Verte : *Profecto scio imaginationes eius, quas imaginatur nunc, adhuc antea quam etc.* Quia Deus *indolem*, populi perspectam habet, qua is iam *nunc* agit, inconstantem atque mundanam, ideo ex hac indole universim praevidet plura futurae inconstantiae peccata, et ob haec praevisa canticum iubet nunc scribi et doceri, quo recitato et audito postmodum Hebraei a peccatis revocentur. v. 22 « *Scripsit ergo Moyses canticum* » *in die illo* « *et docuit filios Israel* ».

(Explicationem v. 23 sq. habes p. 498 sq.).

Postquam canticum scripsit Moyses docuitque populum, v. 25

« *praecepit levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens* » : — iisdem atque v. 9, neque tamen simplicibus levitis omnibus, sed Caathitis, qui soli portabant arcam. Obiicit *Tost.*, his non fuisse fas ingredi tabernaculum. Respondeo, id omnino fuisse fas Caathitis; hi sc. arcam tegumentis obvolutam et tabernaculo efferebant et in illud inferebant Num. 4,15; poterant tum volumen « capsa » aliqua (*Ps. Ion.*) inclusum seponere « ad latus arcae » tegumento obvolutae. Sed, num erant vasa sanctuarii tegumentis obvoluta tum, quando hoc mandatum v. 26 Moyses dedit? Respondeo, in renovatione foederis a Iosue celebrata Ios. 8,33 certe « portabatur » arca tegumentis involuta : ergo credi potest eadem obvoluta fuisse tum, quando in terra Moab celebrata est restitutio foederis. Sicut sacrificia renovationis Deut. 27,5 non fiebant in altari aeneo, sed in altari lapideo ad id specialiter constructo, ita multo minus sacrificia restitutionis. Sacra mosaica tum, uti Ios. 8,33, credenda sunt coram adfuisse contecta suis involucris. Quam coniecturam h. l. omnino confirmant verba Moysis « levitas » iubentis facere illud, quod levitis facere nefas, quamdiu arca non esset obvoluta tegumentis.

Expressio v. 26 *in latere* per se est ambigua (*Bonfr.*) : merito latus exterius interpretantur *Tost.* aliique; etenim in latere interiore seu intra arcam, et secus duas tabulas lapideas volumen reponere, non levitis tantum sed simplicibus item sacerdotibus nefas fuisset. Docemur etiam 3 Reg. 8,9 in arca praeter duas tabulas lapideas fuisse nihil, secundum quem textum explicandus est locus Hebr. 9,4. Verum, *in quo latere* arcae reponendus erat liber? non enim censendus est Moyses rem tanti momenti Caathitis permisisse determinandam. *Ante* et *pone* non exprimunt Hebraei voce מצד. Ps. 90 (91), 7 ea vox certe significat latus *sinistrum*, crediderimque eundem esse vocis h. l. sensum. Cur non reponebatur canticum in latere dextro? Quia in eo loco honestiore reposita erat thora. Etenim thoram quoque in latere arcae repositam esse mihi certum est, licet v. 23 sq. ad calcem v. 15 translatis, id iam non explicite affirmet textus. Habebat primum liber bipartitus narrationem restitutionis foederis et thorae, quae thoram referebat ad dexteram arcae esse repositam : cuius rei indicium est mihi v. 26 vox מצד, quae nequit intelligi de aliquo indeterminato latere : ergo designat latus sinistrum in oppositione, uti Ps. 90 (91), 7, ad latus dextrum; in latere dextro erat thora. v. 26 « *Tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium* ». *Hebr.* : *in te* seu *quoad te*, sed v. 27 ostendit recte verti *contra te*. Praeter *Vulg.* omnes habent התורה, ergo *librum hunc thorae*. Quam tamen vocem credo

perperam irrepsisse, postquam v. 23 sq. delapsi sunt inter eos versus, qui nunc sunt v. 22 et 26; tum quippe fere necessarius evasit error, ut idem censeretur liber v. 26 qui v. 24, ergo liber thorae. At illis versibus in nativum suum locum post v. 15 restitutis, contextus inter v. 22 et v. 25 sq. evidenter demonstrat, non agi de libro thorae, sed de libro cantici. Textum non mansisse intactum suggerunt aliqui codices hebraei pro הזה legentes הזאת, quibus suffragantur *LXX* : sc. ubi adscripta est vox התירה, scribae aliqui ei voci etiam conformavere pronomen. — Emphatice v. 27 suam Moyses appellat experientiam (*Dillm.*) : « *Ego enim scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me* [*et ingrediente*] *vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis cum mortuus fuero?* » Vox *hodie* correspondet alteri *hodie* v. 21, ergo non est trahenda ad praecedentia (*LXX*), sed cum *Vulg.* (*semper*) ad sequentia : hodie rebelles vos estis contra Iahve, animo rebelli. v. 28 « *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras atque doctores* », seu verius *scribas* : cf. Ex. 5,6 sqq.; Num. 11,16; Deut. 20,9; 29,9 etc. et CN p. 91. Certe non contra solos seniores et scribas invocantur coelum et terra; v. 30 et 32,44 canticum proloquitur Moyses ad universum populum. Porro pro *senibus tribuum* et *scribis* habent *LXX vestros principes, senes, iudices, scribas.* Pro זקני legebant זקניכם, perperam etiam pro שבטיכם legebant שפטיכם. Fuerit genuina lectio *tribus vestras, senes vestros et scribas vestros*. Id fere exigit contextus. « *Et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos coelum et terram* », testes eorum quae dicturus sum (cf. 32,1), itemque meae vindictae ministros. Ad extremum v. 27 redit v. 29, agens de iis, quae mortuo Moyse eventura sint : « *Novi enim, quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis* [*cito*] *de via, quam praecepi vobis : et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum* ». v. 30 « *Locutus est ergo Moyses, audiente universo coetu Israel, verba carminis huius* [*et*] *ad finem usque* [*complevit*] ». עד תמם, eadem expressio atque v. 24.

b. Canticum Moysis Deut. 32,1-43.

α. Praenotanda.

1. *Cantici structura.* Quoad cantici structuram sequimur *I. K. Zenner S. I.* : Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. B. 1896, p. 76 sqq.; paucis quibusdam, uti speramus, in melius emendatis. Etenim, ubi v. 43 Hebraeus habet unicum versum, ibi LXX legunt

« *praecepit levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens* » : — iisdem atque v. 9, neque tamen simplicibus levitis omnibus, sed Caathitis, qui soli portabant arcam. Obiicit *Tost.*, his non fuisse fas ingredi tabernaculum. Respondeo, id omnino fuisse fas Caathitis; hi sc. arcam tegumentis obvolutam et tabernaculo efferebant et in illud inferebant Num. 4,15; poterant tum volumen « capsa » aliqua (*Ps. Ion.*) inclusum seponere « ad latus arcae » tegumento obvolutae. Sed, num erant vasa sanctuarii tegumentis obvoluta tum, quando hoc mandatum v. 26 Moyses dedit? Respondeo, in renovatione foederis a Iosue celebrata Ios. 8,33 certe « portabatur » arca tegumentis involuta : ergo credi potest eadem obvoluta fuisse tum, quando in terra Moab celebrata est restitutio foederis. Sicut sacrificia renovationis Deut. 27,5 non fiebant in altari aeneo, sed in altari lapideo ad id specialiter constructo, ita multo minus sacrificia restitutionis. Sacra mosaica tum, uti Ios. 8,33, credenda sunt coram adfuisse contecta suis involucris. Quam coniecturam h. l. omnino confirmant verba Moysis « levitas » iubentis facere illud, quod levitis facere nefas, quamdiu arca non esset obvoluta tegumentis.

Expressio v. 26 *in latere* per se est ambigua (*Bonfr.*) : merito latus exterius interpretantur *Tost.* aliique; etenim in latere interiore seu intra arcam, et secus duas tabulas lapideas volumen reponere, non levitis tantum sed simplicibus item sacerdotibus nefas fuisset. Docemur etiam 3 Reg. 8,9 in arca praeter duas tabulas lapideas fuisse nihil, secundum quem textum explicandus est locus Hebr. 9,4. Verum, *in quo latere* arcae reponendus erat liber? non enim censendus est Moyses rem tanti momenti Caathitis permisisse determinandam. *Ante* et *pone* non exprimunt Hebraei voce מִצַּד. Ps. 90 (91), 7 ea vox certe significat latus *sinistrum*, crediderimque eundem esse vocis h. l. sensum. Cur non reponebatur canticum in latere dextro? Quia in eo loco honestiore reposita erat thora. Etenim thoram quoque in latere arcae repositam esse mihi certum est, licet v. 23 sq. ad calcem v. 15 translatis, id iam non explicite affirmet textus. Habebat primum liber bipartitus narrationem restitutionis foederis et thorae, quae thoram referebat ad dexteram arcae esse repositam : cuius rei indicium est mihi v. 26 vox מִצַּד, quae nequit intelligi de aliquo indeterminato latere : ergo designat latus sinistrum in oppositione, uti Ps. 90 (91), 7, ad latus dextrum; in latere dextro erat thora. v. 26 « *Tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium* ». *Hebr.* : *in te* seu *quoad te*, sed v. 27 ostendit recte verti *contra te*. Praeter *Vulg.* omnes habent התורה, ergo *librum hunc thorae*. Quam tamen vocem credo

perperam irrepsisse, postquam v. 23 sq. delapsi sunt inter eos versus, qui nunc sunt v. 22 et 26; tum quippe fere necessarius evasit error, ut idem censeretur liber v. 26 qui v. 24, ergo liber thorae. At illis versibus in nativum suum locum post v. 15 restitutis, contextus inter v. 22 et v. 25 sq. evidenter demonstrat, non agi de libro thorae, sed de libro cantici. Textum non mansisse intactum suggerunt aliqui codices hebraei pro הזה legentes הזאת, quibus suffragantur *LXX* : sc. ubi adscripta est vox התורה, scribae aliqui ei voci etiam conformavere pronomen. — Emphatice v. 27 suam Moyses appellat experientiam (*Dillm.*) : « *Ego enim scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me* [*et ingrediente*] *vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis cum mortuus fuero?* » Vox *hodie* correspondet alteri *hodie* v. 21, ergo non est trahenda ad praecedentia (*LXX*), sed cum *Vulg.* (*semper*) ad sequentia : hodie rebelles vos estis contra Iahve, animo rebelli. v. 28 « *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras atque doctores* », seu verius *scribas* : cf. Ex. 5,6 sqq.; Num. 11,16; Deut. 20,9; 29,9 etc. et CN p. 91. Certe non contra solos seniores et scribas invocantur coelum et terra; v. 30 et 32,44 canticum proloquitur Moyses ad universum populum. Porro pro *senibus tribuum* et *scribis* habent *LXX vestros principes, senes, iudices, scribas.* Pro זקני legebant זקניכם, perperam etiam pro שבטיכם legebant שפטיכם. Fuerit genuina lectio *tribus vestras, senes vestros et scribas vestros*. Id fere exigit contextus. « *Et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos coelum et terram* », testes eorum quae dicturus sum (cf. 32,1), itemque meae vindictae ministros. Ad extremum v. 27 redit v. 29, agens de iis, quae mortuo Moyse eventura sint : « *Novi enim, quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis* [*cito*] *de via, quam praecepi vobis : et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum* ». v. 30 « *Locutus est ergo Moyses, audiente universo coetu Israel, verba carminis huius* [*et*] *ad finem usque* [*complevit*] ». עד תמם, eadem expressio atque v. 24.

b. Canticum Moysis Deut. 32,1-43.

α. Praenotanda.

1. *Cantici structura*. Quoad cantici structuram sequimur *I. K. Zenner S. I.* : Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. B. 1896, p. 76 sqq.; paucis quibusdam, uti speramus, in melius emendatis. Etenim, ubi v. 43 Hebraeus habet unicum versum, ibi LXX legunt

integram stropham. v. 14 cum Zenner membrum e Sam. supplemus. v. 2.17 videtur abundare aut versus aut stichus : maluimus tamen textum qualis est relinquere, quam incerta coniectura quidquam expungere. Geminatae unius textus lectiones haud ita raro in s. libris iuxta positae deprehenduntur; neque est, cur eiusmodi a canticis exsulare quisquam infitietur. Sed versum 9, qui et ipse abundare videtur, crediderim post singulas sectiones strophae mutatoriae v. 8-14 pro versu intercalari esse repetitum; eiusmodi versus intercalares nostrates etiam, quando carmina describunt, semel tantum adscribere consuevere.

Cum v. 7 moneatur populus antiqua Dei beneficia a senibus exquirere, et cum v. 9-14 eadem beneficia reapse enarrentur, ergo v. 8-14 accipimus pro una carminis parte, fortasse a choro senum decantanda. Quae praecedunt, sponte in duas strophas dilabuntur, quarum prior v. 1-4 de Iahve, altera v. 5-7 de Israelis defectione agit. Rursum v. 15-21 sunt duae strophae, quarum prior v. 15-18 Israelis defectionem, altera v. 19-21 Iahvae indignationem explicat. Quam indignationem amplificat altera stropha mutatoria v. 22-27. Stropha v. 28-31 inimicorum stultitiam, anti-stropha v. 32-35 eorumdem malitiam exaggerat. Stropha mutatoria v. 36-39 iudicium Iahve prope imminere annuntiat. Claudunt canticum strophae duae, quarum prior v. 40-42 Iahven introducit iuramento affirmantem se ad iudicium esse processurum, altera v. 43 (sec. LXX) coelum et terram ad iubilum provocat.

1. *Stropha* : *laudes Iahve.*

I	v. 1 Audite coeli, quae loquor,	auscultet terra verba oris mei.
	v. 2 Fluat instar pluviae doctrina mea,	stillet instar roris eloquium meum,
	Instar imbris super viretum,	instar guttarum super gramina.
	v. 3 Etenim nomen Iahve pronuntio :	date magnificentiam Deo nostro.
	v. 4 Petra — perfectum est opus eius,	et omnes viae eius iudicium;
	Deus fidelis, improbitatis expers,	iustus et rectus ipse.

1. *Antistropha* : *Israelis defectio.*

II	v. 5 Praevaricati sunt in eum non-filii eius, macula sua,	generatio prava et perversa.
	v. 6 Haeccine reddis Iahve,	popule stulte et non-sapiens?
	Nonne ipse est pater tuus, qui genuit te,	ipse factor tuus, qui conservat te?
	v. 7 Memento dierum aevi,	perpende annos a generatione ad generationem;
	Interroga patrem tuum et indicabit tibi,	senes tuos et dicent tibi.

1. *Stropha mutatoria : antiqua Iahve beneficia.*

I v. 8	Quando Elion distribuebat gentibus (fines),	quando separabat filios Adam,
	Attribuit terminos populorum	paucis filiis Israel.

[*Versus intercalaris*].

v. 9	Quia pars Iahve est populus eius,	Iacob haereditas ei obveniens.
II v. 10	Sufficientiam praebuit ei in deserto,	et in iubilationibus incrassavit eum.
	Protexit eum et novit eum,	et custodivit quasi pupillam oculi sui.
I v. 11	Sicut aquila excitans nidum suum	super pullos suos volitat,
	Extendit alas suas et sumit eum,	et portat ope pinnae suae.
II v. 12	Iahve solus eum pavit,	neque erat cum eo deus alienus.
v. 13	Deduxit eum super excelsa terrae,	cibum ei dedit proventus campi.
I	Sugere eum fecit mel de rupe	et oleum de caespite petrae;
v. 14	Butirum armenti et lac,	greges cum lacte agnarum,
II	Arietes filios Basan, et hircos,	cum medulla tritici,
	Sanguinem uvae bibit abundanter :	manducavit Iacob et saturatus est.

2. *Stropha : Israelis defectio.*

I v. 15	Incrassatus est Ieschurun et recalcitravit,	incrassatus, impinguatus, obesus.
	Dereliquit Eloah factorem suum,	et stulte abiecit petram salutis suae.
v. 16	Provocaverunt eum in alienis,	et abominationibus irritaverunt eum,
v. 17	Sacrificaverunt geniis non-Eloah,	diis quos fuerant non experti.
	Novi funditus advenere :	non coluerant eos patres eorum.
v. 18	Petram, qui te genuit, dereliquisti	et oblitus es El, qui te generavit!

2. *Antistropha : Iahve indignatio.*

II v. 19	Vidit Iahve et reprobavit	ob indignationem filios suos et filias.
v. 20	Et ait : Abscondam faciem meam ab eis,	videbo quae novissima eorum.

	Generatio enim prava ipsi,	filii in quibus non fides est.
v. 21	Ipsi provocaverunt me in non-El,	irritaverunt me in inanitatibus suis :
	Provocabo igitur ego eos in non-populo,	in gente stulta irritabo eos.

2. *Stropha mutatoria : Iahve indignatio describitur.*

I v. 22	Profecto, ignis accensus est in ira mea,	et ardebit usque ad ima inferni.
	Et vorabit terram et germen eius,	et montium fundamenta comburet.
II v. 23	Multiplicabo super eos mala,	sagittas meas exhauriam in eos.
v. 24	Exsuga fames, devorate	pestis luesque amara
I	Dentem bestiarum immittam in eos,	cum veneno serpentium in pulvere.
v. 25	Foris vastabit gladius	et in cubilibus pavor.
II	Iuvenem et virginem,	lactantem cum viro canuto
v. 26	Cogitabam flatu meo absumere,	delere memoriam eorum ex hominibus.
I v. 27	Nisi irritatio inimici —	Desistam, ne superbiant hostes eorum,
	Ne forte dicant : Manus nostra excelsa,	et non-Iahve fecit haec omnia.

3. *Stropha : inimicorum stultitia.*

II v. 28	Profecto, gens expers consilii sunt ipsi,	et non est in eis scientia.
v. 29	Utinam saperent et intelligerent haec,	et attenderent novissima sua!
v. 30	Quomodo fuget unus mille,	et duo persequantur decem millia,
	Nisi petra eorum vendidisset eos	et Iahve tradidisset eos?
v. 31	Etenim non sicut petra nostra petra eorum,	inimici autem nostri sunt stulti!

3. *Antistropha : inimicorum malitia.*

I v. 32	Profecto, de vite Sodomae vitis eorum,	et de agro Gomorrhae;
v. 33	Uva eorum uva fellis,	et racemi amari ipsis.
	Virus draconum est vinum eorum,	et venenum aspidum forte.
v. 34	Nonne id reconditum est mecum,	obsignatum in archiviis meis
v. 35	In diem vindictae — et fiet retributio! —	in tempus, quo labatur pes eorum.

3. *Stropha mutatoria : futurum Iahve iudicium.*

II		Profecto, propinquat dies perditionis eorum.	festinat, quod paratum est ipsis.
	v. 36	Profecto, populi sui ius tuebitur Iahve	et servorum suorum miserebitur.
I		Quando videbit elanguisse robur	et defecisse ligatum et solutum,
	v. 37	Tum dicet : Ubi sunt dii eorum,	petra ad quam confugerant?
II	v. 38	Qui adipem victimarum eorum comedebant,	et vinum libationum eorum bibebant,
		Assurgant et opitulentur vobis,	et erit super vos protectio!
I	v. 39	Videte, quia ego, egomet sum,	et non est deus mecum.
		Ego occido et vivifico, percutio et idem sano,	neque est qui eripiat de manu mea.

4. *Stropha : Iahvae de futuro iudicio iuramentum.*

II	v. 40	Profecto, ad coelum levo manum meam,	et loquor : Quam vere aeternum vivo,
	v. 41	Quando acuero fulgur, gladium meum,	et arripuerit iudicium manus mea (pro scuto),
		Reddam ultionem hostibus meis,	et osoribus meis retribuam,
	v. 42	Inebriabo sagittas meas sanguine,	et gladius meus comedet carnes,
		Propter cruorem occisorum et captivorum	detraham coronas de capite inimici.

4. *Antistropha : iubilus coeli et terrae.*

I	v. 43	Iubilate coeli cum populo eius,	et adorate cum omnes angeli Dei;
		Iubilate gentes cum populo eius,	et fortiter agite illi omnes filii Dei :
		Quia sanguis servorum eius ultionem nactus est,	ultus est, ultionem retribuit inimicis suis,
		Et osoribus retribuit,	et propitiatus est Iahve terrae populi sui.

Notat anonymus in « Expository Times » X, 1 p. 8, Edinburgh 1898, canticum Moysis fuisse valde familiare S. Paulo, qui sequentes textus citet vel ad eos alludat : v. 43 (sec. LXX), quocum cf. Rom. 15,10 « Laetamini gentes cum plebe eius », et Hebr. 1,6 « et adorent eum omnes angeli Dei »; v. 17, quocum cf. 1 Cor. 10,20 « daemoniis immolant, et non Deo »; v. 25, quocum cf. 2 Cor. 7,5 « foris pugnae, intus timores »; v. 35, quocum cf. Rom. 12,19 « Mihi vindicta et ego retribuam eis », itemque Hebr. 10,30 (vide, quae dicemus infra); et ad *petram* צור censet alludi 1 Cor, 10,4 « petra autem erat Christus ».

2. *Cantici indoles*. Vel obiter inspicienti canticum evidens est, falso asseri a *Dillm*. p. 392, vatem historiam Israelis *usque ad determinatum aliquod punctum* prae oculis habere. Unde falso ipse post *Kn*. censet canticum specialius esse referendum ad tempora Benhadad et Hazaelis regum Syriae, alii ad extrema tempora Samariae, ad tempora Salmanassaris vel Nabuchodonosor etc. Otiose aliqui inquirunt, quaenam gentium Hebraeis inimicarum fuerit prae reliquis *stulta*, cum non de inimicis stultissimis, sed de inimicis stultis agat textus. Sc. canticum adamussim praestat illud, quod 31,16 sqq. 26 sqq. promittebatur : *agit de eventibus futuris*. Quoties Hebraei a cultu Iahve ad idololatriam deficientes in potestatem venturi erant alienigenarum, hoc cantico erigendi erant ad fiduciam. Ad ripam Iordanis cum exercitu Hebraeorum constitutus vates persuasum habet breve post tempus Hebraeos traiecto flumine in Chanaanitide esse consessuros. Eo se mente transfert ibique decantandum fingit carmen : quod fictionis genus ecquis poetae vitio verterit? Hebraeorum in illa regione prosperitatem, defectiones, tribulationes describit *generatim plane*, ita ut verba adaptentur quibusvis futuris Hebraeorum vicissitudinibus a Chananaeis, Amalecitis, Moabitis, Syris, Assyris etc. etc. profectis.

Et nos quidem omnino defendimus vatem per prophetiam gnarum fuisse futurae Hebraeorum historiae, quatenus ea *generatim omnino* in cantico panditur. Verum, etsi quis rationalista prophetiam respuat, non est illi ideo ius negandae cantici antiquitatis. Etenim post feliciter ex Aegypto ad Iordanem perductum populum, post gloriosam regum Sehon et Og stragem, exspectabat sane vates, exspectabant Hebraei confidentissime et pro certo futura habebant Chanaanitidis subactionem, norat vates gentes ethnicas idololatriae esse deditas neque ab ea recessuras, expertus erat 31,29 indolem populi hebraei ad idololatriam misere proni : potuit ergo, etiamsi a prophetia abstrahamus, futuras Hebraeorum defectiones et tribulationes certo praesagire et pro illis canticum, quale in Deut. legitur, ante concinnare. Ergo exinde, quod canticum futuros eventus respiciat, ne rationalistis quidem efficax suppeditatur ratio antiquitatis carminis negandae.

Neque seram cantici originem inde fas est inferre, quod vates v. 8-14 eventus aevi mosaici tamquam « diutissime ante » (*Dillm*. p. 393) actos describat. Describit non diutissime ante sed solummodo ante actos, a patribus v. 7 mediate vel immediate discendos. Cum autem eos patres per omnia futura tempora inducat filiis suis acta aevi mosaici enarrantes, inducit eos haec enarrantes non tamquam

testes oculatos, sed tamquam testes sive mediatos sive immediatos, ergo *generalissime tantum.*

Autumant tandem *Kn., Klost.* p. 225 paucique alii, canticum Deut. 32 *natum esse ex alio aliquo antiquiore carmine denuo pertractato.* Adverte, canticum Deut. 32 habere accuratam strophicam structuram et, quod mox demonstrabimus, ideam artificiose illustratam. Ut illud ex antiquiore carmine natum esse affirmetur, non sufficit mera coniectura, sed demonstranda quae fuerit antiquioris carminis idea et structura, et quomodo haec se habeat ad nostri cantici ideam et structuram. De qua re illi auctores altum servant silentium.

Quaeritur porro, *quisnam a sacro vate hoc canticum pronuntiare effingatur.* Introducitur quidem loquens *Iahve* v. 20-31, 37-42; at in reliquis non est Iahve subiectum loquens. Is v. 3 non dixerit « Deo nostro », non locutus sit tertia persona de se ipso; v. 34 et 35ª non esse Iahvae loquentis, infra explicabimus. Licet *Moyses* a Deo 31,19 iussus canticum descripserit, et fortasse Deo aspirante ipse illud concinnaverit, atque ita verba cantici sint verba Moysis tamquam *auctoris*, hinc nondum sequitur Moysen introducere se ipsum tamquam personam cantici verba proloquentem : potest quippe auctor effingere canticum veluti ab aliis pronuntiatum. Iubetur porro 31,16 sqq. 27 sqq. Moyses illud canticum describere, non tam pro aequalibus suis, quam potissimum pro posteris, intuitu eventuum quorumdam futurorum, quorum nulla omnino pars ipse Moyses esset futurus : atqui in eiusmodi cantico non est adstruendus Moyses veluti praesens loqui, nisi id ex ipso textu colligatur. Non enim consuevere homines ad eos verba coram facere, qui longo post se tempore victuri sint. Dices, Moysen 31,30 (cf. 32,44) « locutum esse verba carminis audiente universo coetu Israel », ergo primum illa utique prodiisse ex ore Moysis nomine suo loquentis. Verum illa tum Moyses pronuntiabat non ut sua ad populum vel coram populo verba, sed praefabatur popularibus, ut discerent et memoria tenerent (31, 19) ac postea ut sua ipsorum verba decantarent. Ergo ii, qui canticum universim profantur, sunt *Israelitae* seu, cum illud sine dubio solemnibus occasionibus publice decantaretur, sunt *cantorum chori* nomine vel suo vel totius populi loquentes.

Igitur stropham et antistropham primam loquuntur chori nomine suo. Ad chorum referantur suffixa v. 1 et formae « loquor », « pronuntio »; v. 6 sq. chorus se a populo discernit populumque alloquitur; v. 7 invitantur Hebraei, ut a patribus suis seu senibus inquirant de antiquis Iahve erga populum beneficiis. Cum antistropha prima v. 8-14 responsum ad hanc quaestionem habeat, apte inferimus

2. *Cantici indoles*. Vel obiter inspicienti canticum evidens est, falso asseri a *Dillm.* p. 392, vatem historiam Israelis *usque ad determinatum aliquod punctum* prae oculis habere. Unde falso ipse post *Kn.* censet canticum specialius esse referendum ad tempora Benhadad et Hazaelis regum Syriae, alii ad extrema tempora Samariae, ad tempora Salmanassaris vel Nabuchodonosor etc. Otiose aliqui inquirunt, quaenam gentium Hebraeis inimicarum fuerit prae reliquis *stulta*, cum non de inimicis stultissimis, sed de inimicis stultis agat textus. Sc. canticum adamussim praestat illud, quod 31,16 sqq. 26 sqq. promittebatur : *agit de eventibus futuris*. Quoties Hebraei a cultu Iahve ad idololatriam deficientes in potestatem venturi erant alienigenarum, hoc cantico erigendi erant ad fiduciam. Ad ripam Iordanis cum exercitu Hebraeorum constitutus vates persuasum habet breve post tempus Hebraeos traiecto flumine in Chanaanitide esse consessuros. Eo se mente transfert ibique decantandum fingit carmen : quod fictionis genus ecquis poetae vitio verterit? Hebraeorum in illa regione prosperitatem, defectiones, tribulationes describit *generatim plane*, ita ut verba adaptentur quibusvis futuris Hebraeorum vicissitudinibus a Chananaeis, Amalecitis, Moabitis, Syris, Assyris etc. etc. profectis.

Et nos quidem omnino defendimus vatem per prophetiam gnarum fuisse futurae Hebraeorum historiae, quatenus ea *generatim omnino* in cantico panditur. Verum, etsi quis rationalista prophetiam respuat, non est illi ideo ius negandae cantici antiquitatis. Etenim post feliciter ex Aegypto ad Iordanem perductum populum, post gloriosam regum Sehon et Og stragem, exspectabat sane vates, exspectabant Hebraei confidentissime et pro certo futura habebant Chanaanitidis subactionem, norat vates gentes ethnicas idololatriae esse deditas neque ab ea recessuras, expertus erat 31,29 indolem populi hebraei ad idololatriam misere proni : potuit ergo, etiamsi a prophetia abstrahamus, futuras Hebraeorum defectiones et tribulationes certo praesagire et pro illis canticum, quale in Deut. legitur, ante concinnare. Ergo exinde, quod canticum futuros eventus respiciat, ne rationalistis quidem efficax suppeditatur ratio antiquitatis carminis negandae.

Neque seram cantici originem inde fas est inferre, quod vates v. 8-14 eventus aevi mosaici tamquam « diutissime ante » (*Dillm.* p. 393) actos describat. Describit non diutissime ante sed solummodo ante actos, a patribus v. 7 mediate vel immediate discendos. Cum autem eos patres per omnia futura tempora inducat filiis suis acta aevi mosaici enarrantes, inducit eos haec enarrantes non tamquam

testes oculatos, sed tamquam testes sive mediatos sive immediatos, ergo *generalissime tantum.*

Autumant tandem *Kn., Klost.* p. 225 paucique alii, canticum Deut. 32 *natum esse ex alio aliquo antiquiore carmine denuo pertractato.* Adverte, canticum Deut. 32 habere accuratam strophicam structuram et, quod mox demonstrabimus, ideam artificiose illustratam. Ut illud ex antiquiore carmine natum esse affirmetur, non sufficit mera coniectura, sed demonstranda quae fuerit antiquioris carminis idea et structura, et quomodo haec se habeat ad nostri cantici ideam et structuram. De qua re illi auctores altum servant silentium.

Quaeritur porro, *quisnam a sacro vate hoc canticum pronuntiare effingatur.* Introducitur quidem loquens *Iahve* v. 20-31, 37-42; at in reliquis non est Iahve subiectum loquens. Is v. 3 non dixerit « Deo nostro », non locutus sit tertia persona de se ipso; v. 34 et 35ª non esse Iahvae loquentis, infra explicabimus. Licet *Moyses* a Deo 31,19 iussus canticum descripserit, et fortasse Deo aspirante ipse illud concinnaverit, atque ita verba cantici sint verba Moysis tamquam *auctoris*, hinc nondum sequitur Moysen introducere se ipsum tamquam personam cantici verba proloquentem : potest quippe auctor effingere canticum veluti ab aliis pronuntiatum. Iubetur porro 31,16 sqq. 27 sqq. Moyses illud canticum describere, non tam pro aequalibus suis, quam potissimum pro posteris, intuitu eventuum quorumdam futurorum, quorum nulla omnino pars ipse Moyses esset futurus : atqui in eiusmodi cantico non est adstruendus Moyses veluti praesens loqui, nisi id ex ipso textu colligatur. Non enim consuevere homines ad eos verba coram facere, qui longo post se tempore victuri sint. Dices, Moysen 31,30 (cf. 32,44) « locutum esse verba carminis audiente universo coetu Israel », ergo primum illa utique prodiisse ex ore Moysis nomine suo loquentis. Verum illa tum Moyses pronuntiabat non ut sua ad populum vel coram populo verba, sed praefabatur popularibus, ut discerent et memoria tenerent (31, 19) ac postea ut sua ipsorum verba decantarent. Ergo ii, qui canticum universim profantur, sunt *Israelitae* seu, cum illud sine dubio solemnibus occasionibus publice decantaretur, sunt *cantorum chori* nomine vel suo vel totius populi loquentes.

Igitur stropham et antistropham primam loquuntur chori nomine suo. Ad chorum referantur suffixa v. 1 et formae « loquor », « pronuntio »; v. 6 sq. chorus se a populo discernit populumque alloquitur; v. 7 invitantur Hebraei, ut a patribus suis seu senibus inquirant de antiquis Iahve erga populum beneficiis. Cum antistropha prima v. 8-14 responsum ad hanc quaestionem habeat, apte inferimus

choros haec tamquam a senibus dicta proferre. Cum v. 15 sqq. eius quaestionis limites excedant, non cogimur ea accipere quasi a senibus sint prolata. Loquuntur igitur v. 15-17 chori nomine suo, ita tamen ut inde a v. 20 Iahven introducant loquentem. v. 28-39 rursum loquuntur ipsi chori (v. 31 « petra nostra », « inimici nostri », v. 36 « Iahve »), sed inde a v. 37 rursum introducunt Iahve loquentem. Iuramentum suum v. 40-42 ipse Iahve proloquitur. v. 43 (sec. LXX) coelum et terram ad iubilum provocat idem, qui v. 1 illos appellaverat, sc. chorus.

Quaeritur etiam, *ad quosnam dirigatur oratio*. Specie tenus utique ad « coelum et terram », « angelos et gentes » : cum v. 1 cf. v. 43 (sec. LXX). Solum v. 6 sq. oratio fit directe ad Israelem, veluti ad reum coram adstantem. Non invitantur coeli et terra, ut iudicum partes agant inter Iahven et Israelem (cf. Is. 5,3), sed ut testes sint oeconomiae Iahve in Israelem, quam Iahve explicat, et imprimis solemnis iuramenti, quo Iahve eandem confirmat. Apte porro testes invocantur ii, qui huius oeconomiae constanter futuri sunt instrumenta : coeli et terra plagas Israeli inflicturi, angeli et gentes iudiciorum Iahve ministri futuri. Tamen, quod coeli et terra testes invocentur, figura est sermonis, pondus addens orationi. Canticum non est conditum pro gentibus, illis quantum novimus non est communicatum, totum intendit Hebraeorum animos movere.

Idea cantici haec est : *Israel a Iahve ad idola deficiet, et a Iahve punietur, non tamen funditus interimetur*; *sed tempore sibi placito Iahve populum salvabit et idola confundet*; *id se facturum Iahve solemni iuramento confirmat*. Affectus canticum excitat primum *pudoris*, quod defecerit populus a numine tam excellenti, a quo tot tantaque antea beneficia acceperit; quodque defecerit ad idola tam inania. Excitat *agnitionem*, quam iustae sint poenae inflictae, quam uni tribuendae Iahve auctori, minime vero instrumentis eius creatis. Excitat potissimum *spem salutis obtinendae*, cum ob perspectam universam Iahve in populum suum oeconomiam, tum ob Iahve de ea re explicitum iuramentum. Erit igitur canticum antidotum contra peccatum illud, quod alias saepe et severe in Israele reprehenditur, ut populus Iahve *non credat,* in eo *fiduciam non habeat* : cf. quae dicebamus ad Num. 20,13. Hoc sensu 31,19 est canticum « testimonium in filios Israel », quod eos pusillanimitatis coarguat et ad fiduciam invitet.

Ergo perperam *Klost.* p. 270 affirmat, v. 3 vatem ut « summam » sermonis statuere « nomen Iahve », verba v. 4 brevi formula enuntiare « thema » dicendorum.

Haec gratuito asseri perspiciet, quisquis vel obiter canticum perlegerit. Vates non est philosophus, qui primum totam suam thesin pronuntiat, dein argumentis eandem confirmat; sed est poeta, qui pronuntiato primum nomine Iahve, ut de quo agatur innotescat, v. 4 Iahve causam proponere orditur.

Ut autem plenius cantici idea perspiciatur, attendendae sunt expressiones aliquae, quae iterantur et invicem opponuntur. Igitur *indoles Iahve* v. 4 duabus qualitatibus describitur, ut sit « fidelis sine improbitate » et « iustus et rectus », quippe haec duo unum sunt. A qua plurimum differt *indoles Israelis* (cf. 31,16 sqq. 26 sqq.), quae v. 5 sq. item duabus qualitatibus oppositis describitur, ut sit Israel « pravus et perversus » (haec duo unum sunt), sitque item « stultus et non sapiens ». Nota illas expressiones per negationem contrariorum : « non improbitas », « non sapiens »; plurimae quippe hae sunt in nostro cantico.

Porro duo hi indolis tam diversae non sunt alieni inter se, sed sunt *pater* et *filius* : v. 6 « Nonne ipse est pater tuus, qui genuit te, ipse factor tuus, qui conservat te? » Et v. 18 : « Deum (צור), qui te genuit, dereliquisti et oblitus es El, qui te generavit ». Cf. v. 15 : et fortasse notare iuverit, v. 43 *LXX* pro « servorum » legere « filiorum ».

Pater igitur contra filium profert *accusationem*, expressam summatim v. 5, accuratius v. 15 sqq. Scilicet Israel, cum « perversus » esset (v. 5), « dereliquit », cum « stultus » esset (v. 6), « stultificavit » Iahven (v. 15). Quae explicantur v. 16 : « ad invidiam provocaverunt eum in alienis », יקנאהו בזרים, etenim ut « alienus » in propria se ingerat, illud excitat invidiam; « irritaverunt eum in abominationibus », בתועבת יכעיסהו, etenim « abominatio » stomachum movet. Quod peccati genus missis metaphoris explicat v. 17 : « Sacrificaverunt geniis non-Eloah, diis quos non fuerant experti : novi funditus advenere : non coluerant eos patres eorum ». Ubi notes expressiones negativas « non-'Eloah », « non experti », « non coluerant ». « Genii » seu « dii » iidem sunt, qui v. 16 « alieni » dicebantur, « abominatio » illa est idololatria.

Prolata accusatione annuntiatur *poena*, « novissima eorum » (v. 20). Quia illi sunt « generatio prava », « filii, in quibus non est fides » (v. 20; cum לא אמן cf. v. 4 אמונה), plectentur poena, quae adamussim respondebit eorum delicto. « Ipsi ad invidiam provocaverunt me in non-Deo » (= « non-Eloah » v. 17, = « alienis » v. 16) : « ego ad invidiam illos provocabo in non-populo »; « ipsi me irritaverunt inanitatibus suis » (הבל = v. 16 « abominationibus ») : « ego irritabo eos in gente stulta » (נבל). Ergo « indignationem » v. 19, quam sibi movere « filii », ulciscitur Iahve tradens illos in manus gentis stultae.

Verum indidem patet, eos non tradi penitus perimendos : repugnat quippe naturae Iahve, ut stultitiae plenum concedat triumphum. Igitur gens illa rursum ad invidiam provocabit Iahven et « irritabit » eum (v. 27), victoriam de Hebraeis sibi, non illi adscribens. Eorum stultitia et perversitas v. 28-31. 32-35[a] integris strophis describitur : quorum poenam et ipsi in « novissimis » suis (v. 29) experientur, quando v. 37 ostensurus est Iahve, eorum deos nullibi esse seu, quod idem est, esse non-deos; tum penitus illae gentes contercentur.

Una nobis discutienda superest vox, צוּר, *petra,* quae ita in hoc cantico prominet, ut quidam interpretes illud appellaverint « canticum petrae ». Haec igitur vox (praeter v. 13, ubi utique agitur de petra materiali) refertur ad Deum vel deos : cf. v. 15.18.30, ubi צוּר parallele scribitur ad אלה, אל, יהוה. Non est *nomen* aliquod *proprium*, uti nomen Iahve, nam praefigitur articulus; nomine Iahve tam emphatice v. 3 appellato, haud credi potest auctor illico aliud nomen proprium subiungere; neque quidquam compertum habemus de nomine aliquo proprio Dei צור, neque apud Hebraeos neque apud alias gentes. Est ergo *nomen* Dei *appellativum*, quod *LXX Vulg.* vertere *Deus*, *Targ. fortis*, quodque reperitur in nominibus virorum aevi mosaici Surisaddai, Phadassur, Elisur, Suriel (cf. CN p. 210). Non tamen hoc nomen Dei appellativum immediate petitur a proprietate aliqua divina, uti nomina fortis, omnipotens; sed a *metaphora* aliqua, quae ipsa utique aliquam proprietatem divinam refert. Quaenam est haec divina proprietas? Cum totum canticum eo potissimum tendat, ut Israelem vel errantem ad *fiduciam* provocet, vocatur Deus צוּר, *petra,* quatenus in ipso reperitur fundamentum talis fiduciae propter eius « *fidelitatem* improbitatis expertem » v. 4. Pulcherrime profecto haec metaphora ideae cantici adaptatur. Quo sensu v. 15 dicitur Israel « stulte repudiasse petram salutis suae »; et dii gentium comparantur Iahvae, sicut petrae petrae, v. 31 : « etenim non sicut petra nostra, petra eorum », et v. 37 : « ubi sunt dii eorum, petra ad quam confugerunt? » Sunt vero textus aliqui, quibus metaphora petrae videtur parum esse apta. Cf. quae dicemus ad v. 4. 18. 30.

Aliis etiam textibus צוּר ad Deum refertur. Quibusdam ea vox parallele scribitur ad *Iahve* vel *Deus* : 1 Reg. 2,2; 2 Reg. 22,32 (= Ps. 17[18],32); Ps. 91(92),16;72 (73),26; Is. 44,8; Hab. 1,12; ita ut quandoque oratio minime adhaereat tropo petrae. Cf. Ps. 27 (28),1 : « Ad te Iahve clamo, petra mea, ne obmutescas mihi »; 143(144),1 : « Benedictus Iahve petra mea, qui docet manus meas proelium ». Is. 30,29 « petra Israel » aut est appellatio Dei, aut idem sonat atque « mons Iahve ».

Sed in plerisque textibus Deus petra exhibetur ut *fundamentum spei* : 2 Reg. 22,3 (= Ps. 17,3 : et nota ibi una legi סַלְעִי, « petra mea »); Is. 26,4. Quo sensu Ps. 18 (19),15 et 77(78),35 copulantur expressiones « petra mea et redemptor meus ». Vocatur Deus « petra salutis » 2 Reg. 22,47; Ps. 61(62),3. 7; 88(89),27; 94(95),1; et « petra refugii » Ps. 30(31),3 (« in petram refugii et in habitaculum munitum »); 61(62),8 (« petra roboris mei, refugium meum »); 70(71),3;93(94),22 (« in locum excelsum et in petram refugii »); Is. 17,10. — Quod vero versiones vocem צור quandoque reddant vocibus κτίστης, πλάστης etc., non efficit eas illam a radice צור vel יצר derivasse significatione *effictor* aut, si ita derivasse supponantur, eam derivationem esse genuinam. Quae regulis etymologiae non videtur satisfacere et, si Deut. 32,31 ea admittatur, sensus erit : Et non sicut effictor noster, effictores eorum; cum tamen vates hebraei alium gentium quam Hebraeorum effictorem seu creatorem agnoscant numquam. Neque e scriptis rabbinicis illam derivationem confirmari, disce ex *A. Wiegand* : Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft. Giessen 1889, p. 85 sqq.

3. *De cantici origine et stilo.* « Plurimum », inquit *Holz.* p. 236, « differunt inter se doctorum virorum de cantico opiniones ». Consentiunt tamen fere in hoc recentiores critici, quod illud Moysi auctori denegent. Quorum potissima argumenta haec sunt (cf. *Holz.* p. 236 sqq., *Dr.* p. 345 sq., etc.).

Argumentum primum. Nihil in ipso cantico Moysen prodit auctorem.

Respondeo : 1) Moysen auctorem affirmat cantici praeambulum 31,15-30.

2) Cantici idea est sane omnino mosaica : eam Moyses, utique magis succincte, explicat 4,25-31 ; 30,1-10.

3) Quod Iahve celebretur ut *petra, fiduciae fundamentum*, magnam habet affinitatem cum duobus insignibus portentis Ex. 17 et Num. 20, quae altera quidem narratio petram exprimit voce סלע, sed prior (v. 6) ipsa voce צור. In priore apud Massam portento defecit populus pusillanimitate, in altero apud Me Meribah populus, sed potissimum ipse Moyses. Utrumque portentum fuit aquae e petra eliciendae. Haud mirum, dum tot annis Moyses Cadesae detineretur, ac duos illos gravissimos eventus moerens et poenitens animo volveret, altissime animo illi insedisse illud de *Deo petra* cogitatum, cui firmissima fiducia tamquam inconcusso fidei fundamento esset inhaerendum.

Argumentum secundum. Cantico docemur, auctorem cantici vixisse diu post exodum et cisiordanicae ingressum, quo tempore Hebraei iam in idololatriam essent prolapsi, et gravissimas idololatriae poenas ferrent; unum in cantico est, quod tum *futurum* speraret populus, salutem a Iahve efficiendam.

Respondeo. Auctor cantici non *se ipsum* producit loquentem, sed

choros verba cantici pronuntiantes. Choros utique poetice fingit in cisiordanica constitutos, longiore post exodum tempore, quando populus in poenam idololatriae vexationibus hostium subiiceretur. Vult auctor, ut illis praecise futuris temporibus populus audito cantico erigatur : quare choros inducit illis futuris temporibus ad eorum temporum homines loquentes; supponit iam incubuisse mala, quae tum incumbent, unam pro futuro tempore in votis esse salutem. Cf. *Klost.* p. 355 sqq. Res est simplicissima.

Argumentum tertium. E cantico clare perspicitur, qui sint illi hostes, qui Hebraeos opprimere describantur, sc. nationes quaedam, quae pluribus post Moysen saeculis floruere.

Respondeo. Quam clare illud e cantico perspiciatur, doceris sequentibus. Inimicos designari censet *Dillm.* Syros Benhadadi et Hazaelis, *Reuss* § 226 Assyros ante destructam Samariam; *Kamphausen* p. 299 canticum concinnatum censet non ante 700 a. C., *Kue.* p. 246 « 630 a. C., fortasse etiam 610-600 », *Dr.* p. 347 c. 630, aevo Ieremiae et Ezechielis, *Cornill* p. 64 et *Bertholet* p. 95 circa finem exsilii, fortasse recentius. De facto canticum nullum *particulare* describit aevum, nullos particulares inimicos, sed descriptione continetur plane *generali.*

Argumentum quartum desúmitur e cantici stilo.

Respondeo : 1) e tabellis apud Holz. mira efficitur de stilo cantici consensio, quod *Dillm.* tribuit I, *Wellh.* IE, *E. Meyer* E; *Kue.* facit nonnihil antiquius quam IE, *Corn.* recentius quam D, dum *Stade* iudicat : « Quia 31,16-22 non pertinet ad E, ideo neque 32,1-43 pertinet ad E ».

2) *Corn.* p. 64 censet, « habere quidem canticum plura idiomata sibi uni propria, nihil tamen habere novarum idearum » (entbehrt in den Gedanken ieder Originalität), « sed esse veluti compendium theologiae prophetarum, et constanter ad antiquiorum prophetarum effata revocare animum ». *Bertholet* p. 95 « fatetur, poetam non de suo sensus profundere, sed esse discipulum prophetarum,... eum praeterea, qui canticum narrationi inseruerit, eius nativum sensum perperam intellexisse ». Quibuscum non plane consentit *Dr.* p. 345 : « Cantici formam poeta profundit de suo » (the song shows great originality of form), « exprimit cogitata poetarum eo semper sermone, cui quod in V. T. comparemus non reperimus... Poeta thema evolvit eximia arte, comparationes verae sunt et insignes, parallelismus excellit symmetria et vigore. Totum canticum pervadit et animat vehemens mentis instinctus ». — Canticum esse plane eximium, vel tiro perspexerit : sed critici suo praeiudicio, illud esse prophetis recentius, inducuntur, ut ei nullam concedant « originalitatem ».

3) *Dillm.* enumerat idiomata 15, quae praeter canticum nusquam, et alia 11, quae raro secus reperiantur. Ceterum, fatentibus criticis, tota haec de cantici origine quaestio non dirimitur idiomatibus cantici propriis. Sed habet praeterea canticum idiomata et ideas, quae in Deut., apud Ieremiam (cf. *Kamph.* p. 296 sq.), Isaiam, Michaeam, imo apud Osee reperiuntur. Ubi *Dillm.* pronuntiat, cogitata potissima Osee et expressiones plures e cantico fluxisse, ergo sane canticum esse Osee antiquius. *Dr.* explicat, « in paucis tantum canticum dictis prophetarum verbotenus consonare, sed cantici generalem indolem, cogitata potissima certe magis affinia esse prophetarum aevi Chaldaeorum, quam prophetarum antiquiorum Amos, Isaiae, Michaeae ». Et *Corn.* : « Plures, quae observantur, affinitates plane singulares » (frappant) « cum Osee, et aliquae cum Isaia et Michaea *nihil probant*; habentur vero sat multa idiomata ieremiana, quae *indubie probant* canticum esse Ieremia recentius ». In quibus verbis praeiudicium loco logices est. Ad quae perpendas, cantici quoad stilum et cogitata affinitatem quandam cum prophetis, non efficere per se solam canticum esse prophetis aut recentius aut antiquius : potuere illa e prophetis derivari in canticum, sed potuere item e cantico derivari in prophetas. Teste Deut. 32,22 scripsit Moyses canticum, fuit illud documentum post thoram sacerrimum : haud mirum, prophetas canticum novisse, eius lectione et meditatione animum pavisse, eius expressionibus esse locutos; haud mirum magis etiam quam prophetas antiquiores id egisse prophetas recentiores, qui toti essent in scriptis mosaicis defendendis, in perversis hominibus terrendis eorum scriptorum minis, in piis hominibus erigendis eorumdem monitis.

β. Commentarius.

Stropha et antistropha prima : causa proponitur v. 1-7.

Arg. — Coeli et terra cum suis incolis testes dicendorum invocantur. Optat vates, ut verba sua audientium animos percellant. Res quippe summi momenti proponitur, Iahve opus seu oeconomia in regendis fatis populi Israel, qui a Iahve, patre, factore et benefactore suo, ad idololatriam defecit.

Cap. XXXII v. 1 « *Audite coeli quae loquor, audiat terra verba oris mei* ». Res gravis agitur universalisque momenti : quare coelum et terram praesentes alloquitur vates veluti *testes* intellectu praeditos (cf. Is. 1,2 sqq.; Mich. 6,1 sqq.; Ps. 49[50], 4; item Deut. 31,28; 30,19; 4,26), eosdemque morte nullo unquam tempore ad silentium redigendos (*Ps. Ion.*). Ceterum, cum v. 43 (sec. LXX) ad hanc testium

invocationem redeat, ibique coelis copulet angelos et loco terrae gentes scribat, erunt etiam v. 1 intelligendi coeli et terra cum suis incolis, imo hi potissimum (cf. *Sa*), cum illi tandem per solam prosopopoeiam invocentur; et cum per totum canticum gentes Israeli opponantur, Israel voce *terra* non, aut certe minus directe includitur (cf. *Klost.* p. 269): Israel utique supponitur praesens adesse et omnia, quae dicuntur, audire, non tamen ut testis, sed quodammodo ut reus. Testes autem illi invocati confundant oportet Israelem, si is in spiritu suo rebelli (31,21.27) perseverans a Deo postmodum defecerit.

v. 2 ערף secus *decollare*, solum hic et 33,28 ad *aquas* refertur. *LXX* προσδοκάσθω, quo verbo Ps. 103(104),27;118(119),166 vertunt verbum שבר. *Chald.* יבסם *suavis sit*, ergo יערב (Prov. 20,17; Cant. 2,14). E comparata lectione LXX et Chald. probabile apparet, lectionem genuinam esse יעבר *rapide fluat*. Item 33,28 pro יערפו legebant *LXX Vulg.* יערבו, *caligabunt*, συνέφης, *Chald.* יעבדו : ergo rursum probabilis lectio יעברו. Ergo primum incisum 32,2 *vehementem* potius pluviam edicit. — לקח sensu *doctrina* legitur Prov. 4,2;7,21; Iob 11,4; Is. 29,24, non in libris historicis. — שעירם sensu *imbris* est ἅπαξ λεγόμενον.

v. 2 « *Concrescat* », i. e. *rapide fluat*, « *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillae super gramina* ». « Quemadmodum ros, imber, pluvia paulatim defluunt et penetrant terram, ita huius cantici saepius decantati eloquium animos ipsorum penetret et afficiat; quemadmodum ista densis et frequentibus guttis decidunt, ita eloquium hoc meum sententiarum et verborum pondere densum sit et spissum » (*Bonfr.*). Nota tamen, verba non esse restringenda ad Israelem, sed praeprimis respicere coelum et terram, quos *alloquitur* vates (v. 1). Cupit is, ut hi verba eius non audiant tantum, sed penitus intelligant et in animis suis asservent; ut verba sua in eorum animos descendant ea *efficacia*, qua pluvia et ros descendere consueverint, non vero praecise ea *suavitate*; licet enim ros suaviter descendat, at voces יערף vel יעבר, שעירם non exprimunt suavitatem.

Ab exordio transit vates ad cantici argumentum explicandum. v. 3 « *Quia nomen Domini invocabo* », *Chald. oro*, sed verius *LXX* ἐκάλεσα, *pronuntio*. Commode ut auscultent coeli et terra invitantur, commode eloquentissima verba sibi exoptat vates : agitur de re, quae ad Iahven refertur, ideoque ab eius pronuntiando nomine orditur oratio. Non « celebrabo » (*Vat.*), etenim v. 4 non celebrat *nomen* Iahve, sed Iahven ipsum. « *Date magnificentiam Deo nostro* », « Deum magnificate seu magnitudinem eius praedicate » (*Bonfr.*). Appellato nomine Iahve, illico omnes ad eius laudes invitantur.

Quid vero de Iahve dicendum nactus est vates? Eius ad Israelem rationem breviter describit v. 4 : « *Dei perfecta sunt opera* ». *Hebr.* : הצור cum articulo emphatice praefixo : Iahve est *petra*, ἡ πέτρα, in qua una fundatur Israel, unicum igitur fundamentum spei eius. Quid vero est *opus* petrae et *viae* petrae, cum petrae non operentur, non loco moveantur? Ubi *Klost.* p. 271 sq. *opus* accipit passive : petra, opus perfectum, perfecta in genere petrae. Sed recte monet *Dillm.* petrae naturam, structuram exprimendam fuisse non voce פעל, sed voce מעשה (Ez. 1,16 sq.). Distinguunt Hebraei animalia perfecta et imperfecta, vites bonas et malas, non distinguunt rupes perfectiores ab imperfectioribus. Igitur vocem הצור construe absolute; qua voce prolata abrumpit vates sententiam pergitque, missa metaphora petrae, ostendere quale se Iahve Israeli exhibuerit fundamentum : sc. ipse pater et factor (v. 6) *opus* aliquod, et quidem *perfecte*, operatus est pro Israele : porro v. 27 *opus* eius פעל, vocatur universa eius circa Israelem oeconomia, qua Israelem delinquentem in potestatem tradit inimicorum; huius operis indoles simul et *perfectio* toto cantico explicatur. « *Et omnes viae eius iudicia* », *iudicium, iustae*. Pro *et Hebr.* כי, vel causale : perfectio constat iustitia; vel explicativum : perfectum est opus eius, i. e. iustum. Ubi tamen sensus non est necessario hic, totam perfectionem sola iustitia constare.

Rursum Iahve excellentia alio disticho describitur : « *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus* » *ipse*. Non est iners petra Iahve, sed *petra Deus*. Est Deus *fidelitatis* seu *fidelis sine improbitate* : perfectio per negationem magis effertur, agitur de absoluta fidelitate. Porro *fidelis improbitatis expers*, missa metaphora, idem videtur edicere, quod per metaphoram edicebat *petra*; et sicut secundo sticho perfectio Dei per *iudicium* illustrabatur, ita quarto eius sticho fidelitas item adiectivo *iustus* illustratur, quod adscripto synonymo *et rectus* magis effertur, ita ut *iustus et rectus* idem sonet atque *omnino iustus*, *iustus sine obliquitate*.

v. 5 textus misere corruptus probabili coniectura est restituendus. Pro *Hebr.* שחת cum reliquis lege שחתו, quae ceteroqui diversitas potius est punctationis quam lectionis. *Peccarunt* utique *ei* i. e. Deo, ergo praeferenda lectio *Hebr. Vulg.* לו לא lectioni *Sam. LXX Chald. Syr.* לא לו, quae eadem sensu caret. לא בניו cf. cum v. 21 לא אל aliisque similibus (v. s.). Pro בניו habent *Sam. LXX Chald. Syr.* בני. Potuere quidem ambae primitus voces in textu esse : *non filii eius, filii maculae suae*. Sed ita longior habetur stichus. *filius maculae* est metaphora valde audax, *filius maculae suae* fere est metaphora absurda. Ergo expuncto בני verte : *non filii eius, macula sua* seu *macula sibi*.

Postquam paucis stichis quis sit Iahve descripsit vates, breviter

item Israelis defectionem adumbrat, et duobus quidem stichis ipsum *factum* attingit, octo stichis facti *foeditatem* exaggerat. v. 5 « *Peccaverunt ei [et] non filii eius [in] sordibus* ». Verte : *Peccaverunt ei non-filii eius, macula sua.* Uti Deus est *perfectus in opere suo* (v. 4), ita illi in operibus suis toti sunt *macula*, et quidem *macula sua* : id suum habent, ut sint macula. Tales autem cum sint, utique non sunt *fideles* et *iusti*, sed « *generatio prava atque perversa* », per omnia dissimiles Dei, ideoque profecto *non-filii.*

v. 6 « *Haeccine reddis* » — reliqui *redditis* : etiam v. 7 textus misere dissonant quoad numeros verborum — « *Domino, popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* » Intimius constructione iunguntur duo extrema verba : *factor tuus, qui stabilivit te*, quibus fere exprimuntur beneficia creationis et conservationis. Hinc item cum *Vulg.* intimius iungenda duo priora verba : *pater tuus, qui te acquisivit.* Illud autem *acquisivit* non refertur ad redemptionem e captivitate aegyptiaca (*Cai.*), cum v. 8 sqq. eventus attingant illa captivitate longe antiquiores, et ad eventus cum illa connexos transeatur tandem v. 10 sqq. : sed ad *generationem*, qua Deus factus est Israelis *pater*. Si enim primi parentis primogenitus appellatus est Cain a קָנָה, *acquirere*, cur non h. l. קֹנֶךָ designet illud *acquisitionis* genus, quod generatione paterna constat? v. 7 « *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas* », *Hebr.* : *annos generationis et generationis.* Non solum *dies antiqui* universim spectati, sed singulae *generationes*, imo singuli *anni* divinis beneficiis distinguuntur, inde a prima v. 6 populi productione. Porro, sicut prior stropha v. 1 ordiebatur ab invocato testimonio coeli et terrae, ita extrema antistropha audientes remittit ad testimonium *patrum* et *senum* : « *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, maiores tuos et dicent tibi* ».

Stropha mutatoria prima : senum de pristinis Dei beneficiis testimonium v. 8-14.

Arg. — In ipsa gentium dispersione determinavit Elion amplos fines Israeli, tamquam haereditati suae, aliquando attribuendos. In deserto boni pastoris partes egit, sicut aquila pullum Israelem fovit. Solus ipse, nunc Iahve appellatus, induxit eum in Chanaanitiden, regionis pinguedine pascendum.

Tria beneficia haec omnia *Chanaanitiden* respiciunt, quae primum Hebraeis divino decreto *attribuitur*, ad quam Deo providente *perducuntur*, quam Deo duce victores *obtinent* : canticum igitur scribitur pro Hebraeis post Moysen Chanaanitiden ingressis. Beneficia poetice

describuntur, sed omnino *generaliter*. v. 8 « *Quando dividebat altissimus gentes* », — *Hebr.* : *quando Elion gentibus* (sedes) *distribuebat*; quo verbo revocamur ad Gen. 10 (cf. v. 5.32), tempus dispersionis Noachidarum (*Ps. Ion.*) — « *quando separabat filios Adam* » postdiluvianos, — neque tamen *Adam* sumendum pro nomine appellativo (*Syr. Chald.*), sed pro nomine proprio (*LXX Vulg.*), propter oppositionem ad *filios Israel* (*Klost.*) — « *constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel* »; pro portione futuri numeri Israelitarum praedefinivit terminos terrae promissae, eos tamen interim populis quibusdam (Iebusaeis etc.) occupandos permisit (*Tost.*, *Bonfr.*). Cum מִסְפָּר etiam *paucos* exprimat (Gen. 34, 30; Num. 9,20; Deut. 4,27), felicius vertit *Klost.* h. l. : constituit terminos populorum, paucis illis filiis Israel; terminos illos tam late patentes, qui pluribus illis gentibus (Iebusaeis etc.) satis essent, praeassignavit Israelitis, qui comparatione tam pauci futuri essent; sufficitque id referre ad Israelitas Iosue aequales. Ex nostro textu nata videtur fabula, quam h. l. refert *Ps. Ion.*, in dispersione populorum tot fuisse distinctas gentes totque angelos gentium (cf. *LXX* ἀγγέλων θεοῦ), quot postmodum Israelitae Aegyptum essent intraturi, i. e. septuaginta. v. 9 rationem explicat tantae Dei de Israele sollicitudinis : «*Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus haereditatis eius* », haereditas ei veluti decempeda seu funiculo attributa. Cf. Ps. 104 (105), 11.

v. 10 « *Invenit eum in terra deserta* », — sed quomodo *invenit* in deserto, quem saltem iam in Aegypto ante invenerat? *Dillm.* « praesentem habuit », sed is non est sensus verbi. *Sam.* יאמצהו, *roboravit eum*. Cum מצא ל secundum Num. 11,22 omnino significationem induat *satis esse*, verte cum *LXX Chald.* : *sufficientiam praebuit ei in deserto*, in hoc paternum v. 6 affectum demonstravit, ut ne in deserto quidem ei defuerit. « Testatur historia scripta a Moyse, quod Deus providit populo ad sufficientiam victus et vestitus annis quadraginta, quamvis fuerit in terra deserta et vacua frugibus » (*Cai.*) — « *in loco horroris et vastae solitudinis* ». Probabilius cum *Sam.* verte : *et in iubilationibus incrassavit eum*, quae versio aptissime utique consonat versui 15.

ובתהו ילל ישמן. Ἅπαξ λεγόμενον ילל ignorant *Vulg. Syr.*, dum illud *Aq. Ps. Ion.* vertunt *ululatus* = יללה, quae tamen vox solum ululatum hominum, non ferarum exprimere consuevit. Quid sibi velit *LXX* καύματος, non liquet. Sed *LXX* ἐν δίψει, cui consonant *Targ.*, videtur revocari ad lectionem בתלאובה pro בתהו ילל; cf. Os. 13,5. *Symm.* pro ילל scribit ἀοικήτῳ, qua voce LXX Deut. 13,16(17) vertunt hebraeum תל : an hoc forte item revocamur ad lectionem תלאובה vel similem aliquam?

ישימון imprimis nomen est deserti ad aquilonem Maris Mortui circa Iordanem siti, ubi Deus Israelem certe non *invenit*; transfertur tamen etiam nomen ad alia deserta. Praeferenda autem nobis videtur lectio *Sam.* : ובתהללות ישמנהו, *et in iubilationibus incrassavit eum*. Alia lectio Sam. ישיבנהו (ap. Klost. p. 287 sq.) mutat consonantem, quem omnes textus unanimes scribunt, et versio « per devia reduxit eos » nominis significationem repetit a radice aethiopica Hebraeis haud usitata.

« *Circumduxit eum* » — sed verius cum *LXX* vertas *cinxit eum, amplexatus est* amanter, quem sensum verbum habet Ps. 31(32), 10; 25(26), 6; cuius rei effectum fortasse describit *Chald.* : *requiescere fecit circumquaque*. Amplificatur sc. imago boni *pastoris*, qui sufficientia pascua gregi in deserto monstret, quo is pinguescat, nunc magna sollicitudine gregem amplectatur — « *et docuit* » — hoc verbi בין palpel est ἅπαξ λεγόμενον. quod uti Vulg. vertere *LXX Chald.*; *Syr. dilexit eum*; sed significatio verbi nativa est *considerare*, *nosse*, vox Hebraeis usitata ad pastoris sollicitudinem exprimendam : Cf. Io. 10,14.27 etc. — « *et custodivit quasi pupillam oculi sui* ». Tria igitur haec verba asyndeta et quasi synonyma magnam pastoris sollicitudinem depingunt.

v. 11 non est prodosis ad v. 12 (*Klost.*), sed sententia completa in se, similitudini pastoris subiungens alteram *aquilae* comparationem : cf. Ex. 19,4, ubi eadem repraesentat Deum ad montem Sinai cum populo agentem; ergo v. 10 sq. comparationibus pastoris et aquilae universam Dei in deserto, v. 13 sq. nulla adhibita comparatione Dei in terra promissa circa populum oeconomiam explicat. v. 11 « *Sicut aquila provocans [ad volandum] pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis* ». Quatuor verbis asyndetis comparatio explicatur, quae poteris vertere coordinata : *excitat nidum suum, super pullos suos volitat, extendit alas, sumit eum* — *Dillm.* populum : comparationi magis consonat intelligere pullorum unum, ceteris fortasse debiliorem, timidiorem — *et portat eum ope pennae suae*, i. e. pennae robustioris, cui potissimum inest volandi robur. Non agi de fabula aquilae pullum alis suis imponentis, dicebamus ad Ex. 19,4 : iisdem aquila *portat*, quibus *sumpserat* seu prehenderat, sc. ungulis. Solum ad brevem primum volatum aquila pullum provocat : ergo ne quaesieris, *quo* pullum comportet. Ubi suggerit *Dillm.*, portari in nidum i. e. in terram sanctam : sed nonne ex eodem nido proficiscebatur pullus? Populus vero secundum Ex. 19,4 proficiscebatur ex Aegypto. *Klost.* v. 11 iungit cum v. 13 sq. : portat aquila pullum in excelsa ibique nutrit. An nutrit melle, butiro etc.? Sc. v. 13 sq. a comparatione aquilae prorsus recedit.

v. 12 « *Dominus solus dux eius fuit, et non erat cum eo Deus alienus* ». *Requiem praestare* (*Hebr.*) dici consuevit de ea requie, quam populo suo concedit Iahve tributa illi pacifica terrae sanctae possessione : ergo v. 12 intime iungendus sequentibus. v. 13 « *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo* ». *Hebr.* : *Incedere eum fecit super excelsa terrae*, instar regis seu triumphatoris : cf. Is. 58, 14; item Mich. 1,3; Am. 4,13; Iob 9,8; Is. 14,14. Sc. Israeli adscribitur *incessus* regius et *cibus* regius.

Pro ויאכל legunt *Sam. LXX Syr. Chald.* ויאכילהו; cf. Is. 58,14; Ps. 80(81),17. Reapse praestat hoc verbum uti reliqua legi coniugatione hiphil, et haec verba coordinari inter se uti illa v. 10 sq. — חלמיש, incertae derivationis, vertunt fere *saxum, rupem*. Habetur ergo pleonasmus h. l. *de saxo rupis*, itemque Deut. 8,15 *de rupe saxi*. Quae duae voces etiam alias copulantur : Ps. 113(114),8; Iob 28,9 sq. Unde non sequitur esse illas significationis eiusdem, sed affinis, חלמיש aut esse ipsam rupem aut aliquid cum rupe connexum. Fluit quidem *mel* sylvestre de fissuris etiam petrae, at non indidem fluit *oleum* neque ib. olivae radices figunt. Si חלמיש reapse (?) derivetur a חמש, *pinguem esse*, crediderim eam vocem designare non rupem sed *caespitem*, humum feracem rupis radicibus circumpositam. Quo admisso illico perspicitur, quomodo h. l. oleum sugatur de caespite rupis, in quo sc. oliva radices habeat; quomodo 8,15 fons prosiliat de rupe caespitis, i. e. caespiti superposita; quomodo Iob 28,9 sq., qui gemmas quaerat, describatur remoto primum caespite ipsam rupem secare; quomodo Ps. 113(114),8 Deus dicatur vertere petram in stagnum aquarum et caespitem in fontem aquarum; quomodo Is. 50,7 is, qui in divino auxilio confidat, dicatur ponere faciem suam instar caespitis (florentis), quod sc. sciat se non esse confundendum. — v. 14 ter habetur vox חלב, quae diversa punctatione et *lac* significat et *adipem*. Tertio loco vertenda est *adeps*, sed sumenda sensu metaphorico : sc. excellentissimum triticum non solum, uti Num. 18,12, dicitur *adeps tritici* sed, cum renum adeps sit exquisitissimus, dicitur *adeps renum tritici*. Primo loco intelligi *lac*, ostendit proxime praecedens חמאת seu חמת (*Sam.*), *butyrum*. Secundum חלב *adipem* punctavere *Masor.* itemque vertere *LXX Vulg. Syr.* : sed adipem sensu proprio nequaquam Israeli pro cibo attribuebat Moyses : ergo rursum vertendum *lac*.

Inde a tertio sticho v. 13 usque ad tertium v. 14 unicum legitur verbum *sugere fecit* : sed carnes, triticum non suctione hauriri consueverunt. Sc. auctor recensitis pluribus, quae suguntur : melle, oleo, butiro, lacte vaccarum, alia subnectit solidiora, verbi *sugere fecit* veluti oblitus. Et primum quidem, post *butirum et lac armenti*, non scribit *lac gregum* minorum, sed *greges cum lacte agnarum* atque ita carnes etiam agnorum et caprarum pro cibo recenset, quarum illico excellentissimas effert *arietum* et *hircorum*, et quidem *arietum Basan*. Dices, ita omitti carnes bubulas : omnino, sed non omnem cibum recenset auctor, sed excellentissimum tantum; carnes autem agnorum, arietum, hoedorum sapidiores habebantur et hospitibus offerebantur. — *Vulg. Syr.* : *arietum et hircos; LXX* : *arietum et hircorum*; sed verte : *arietes et hircos*.

Igitur extremo v. 13 verte *oleumque de caespite rupis*. Descriptio

cibi regii primum sequitur textus illos bene multos, quibus terra promissa exhibetur fluens lacte et melle. Quare extremo v. 13 recensetur *mel* fluens de petra, cui illico adiungitur alter liquor crassus, deliciosus, ex arboribus caespitis nascens, *oleum*. Celebratur v. 14ª *lac*, et quidem primum vaccarum בקר, dein gregum minorum animalium צאן, in quibus speciatim effertur lac agnarum. v. 14 « *Butyrum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum* ». Sed pro *cum adipe*, adhibita veriore punctatione verte *cum lacte*. Atque ita, celebrato primum lacte, breviter adnectit vates tria alia terrae promissae genimina *carnem*, *triticum*, *vinum*. Ergo pro « *et arietum filiorum Basan* » verte accusativum : *arietes filios Basan*, — « *et hircos*, *cum medulla tritici*, *et sanguinem uvae biberet meracissimum* ». Ultima vox חמר potius vertenda *abundantiam* vel *abundanter*; ex Is. 27,2 significatio *merum* nequaquam demonstratur, cum Keri lectionem habeat חמד fortasse praeferendam. *Sam.* additas habet voces יאכל יעקב וישבע : manducavit Iacob et saturatus est.

Stropha et antistropha secunda : Israelis defectio et Iahve indignatio v. 15-21.

Arg. — Vates v. 15 commemorat Israelis stultam defectionem, breviter sed distinctius quam v. 5; dein v. 16-18 exaggerat foeditatem idololatriae, qua alienus, non-Deus, adventitius praeferatur Deo parenti. Quam Iahve se ulturum pronuntiat poena delicto omnino correspondente, ut sc. et ipse avertatur ab Israele eumque potestati permittat inimicorum, qui sint non-populus et gens stulta.

ישרון semper *Israel* circumscribunt *Chald. Syr.*, item h. l. *Iacob LXX*. *Vulg. dilectus, LXX* 33.5.26 ἠγαπημένος; quod videtur cum *Grotio* explicari posse, ut sit diminutivum iocosum et affectuosum ab ישראל : Ἰσραελίσκος, « lieb Israel ». Sed *Vulg.* 33,5.26 *rectissimus*, ergo a ישר : fere « der Brave » (*C. Siegfried* u. *B. Stade* : Hebr. Wörterbuch, Leipzig 1893), item nomen affectuosum, adulatorium. — Ἅπαξ λεγόμενον כשה, *Vulg. dilatatus*, sane eundem sensum exprimit atque duo alia verba *incrassatus, impinguatus* : tribus synonymis exprimit textus, quantopere Iahve pastore providente profecerit dilectus ille vitulus Israel; quae tria *Hebr.* scribit secunda persona *incrassatus es etc.*, Israelem alloquens.

v. 15 « *Incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo* ». *Hebr.* : *petra salutis eius*, et cf. quae p. 512 sq. dicebamus de צור. v. 16 *Ad invidiam* « *provocaverunt eum in* [*diis*] *alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt* ». זר merito de *diis* accipiunt versiones : cf. v. 12 נכר; etiam Ps. 43 (44), 21; 80ª

(81), 10; Is. 43,12; Ier. 2,25; 3,13 vox ad deos refertur; iidem 4 Reg. 23,13; Is. 44,19; Ez. 16,36 *abominationes* audiunt. Notat *Dillm.*, verba punctari quidem pluralia ad instar verborum v. 17 sqq., sed posse etiam instar verborum v. 15 pro singularibus accipi. v. 17 « *Immolaverunt daemoniis* [*et*] *non Deo* », — שדים, cf. Ps. 105 (106), 37 : secundum etymon *potentes* designat, et assyrum *sidu* genios designat bonos aeque ac malos, ergo recte *LXX* δαιμονίοις. Copulam praeter *LXX Vulg.* omnes ignorant. Cum לא אלה cf. v. 21 לא אל et לא עם : daemonia sunt *non Deus* — « *diis, quos ignorabant* », *quos non noverant* (*Hebr.*) experientia, dum Iahven esse Deum tot argumentis fuerant experti. « *Novi recentes*[*que*] *venerunt, quos non coluerunt patres eorum* »; ita etiam *LXX*, contra reliquos : *patres vestri*. *LXX* πρόσφατοι, uti Eccle. 1,9, ergo מקרב ad tempus retulere; a brevi tempore, *recentes*. Ubi conferas Is. 13,6; Ier. 23,23; Ez. 7,7; Ion. 1,15. Vox sic accepta idem fere dicit atque praecedens *novi*. At, cur non mutata punctatione vertas *ab intimo*, ergo *funditus novi*. Etiam Iahve Ex. 6,2 sqq. Deus fuerat quadamtenus sed non funditus novus, novus sc. quoad nomen, sed quoad substantiam idem atque Deus Hebraeorum avitus. At dii illi erant novi toti quanti. Nervose rursum Israelis infidelitatem exprimit v. 18 : « *Deum, qui te genuit, dereliquisti et oblitus es Domini creatoris tui* ». Quia v. 15 usus fuerat vates duabus appellationibus *Eloah* et *petra*, hic item scribit *petra* et *El*; et quia h. l. uti v. 6 Israelis scelus inde exaggerare intendit, quod sit illud in parentem commissum, ideo voci *El* adscribit *qui te generavit*, et voci *petra* adscribit *qui te genuit*. Quo adscripto utique manumittit metaphoram petrae.

v. 19 « *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est* », *Hebr. reprobavit, quia* « *provocaverunt eum filii sui et filiae* ». *Hebr.* מכעס בניו ובנתיו, quod verti potest *propter indignationem filiorum et filiarum*, interpretanturque *Vulg. Chald. Syr. indignationem, quam ei movere filii et filiae*. Sed aeque cum *Cai.* verti potest *propter indignationem contra filios et filias*. Sed cur adscribuntur *filiae*? Idololatria potissimum imputatur viris, quorum sceleri, cum minus resistere valeant mulieres, minus etiam ipsae culpabiles apparent. Ergo melius cum *Bonfr.* construas : *propter indignationem, filios et filias*, sc. reprobavit (licet נאץ quandoque etiam sine accusativo scribatur; cf. Ier. 14,21). Ergo *propter indignationem* exprimit reprobationis motivum, *filios et filias* obiectum. Neque claudicat (*Dillm.*) hoc obiectum interposita voce מכעס : annuntiata reprobatione eiusque motivo, subiungit Iahve reprobationem fore universalem : non solum qui maxime rei sunt reprobabuntur; sed *filii et filiae*, tota gens,

omnes. v. 20 « *Et ait : Abscondam faciem meam ab eis* », « eorum preces non audiam » (*Calm.*), hinc « misereri et benefacere desinam » (*Men.*), « *et considerabo novissima eorum* », « nulla miseratione tactus aspiciam, eorumque exitum ridebo » (*Calm.*). Cf. v. 29. Est expressio anthropomorphica, quam supprimunt *LXX* punctantes hiphil. *Hebr.* : *quid novissima eorum*, « quid in suo fine patientur » (*Vat.*) : novissima apostasiae est ruina apostatis inflicta, quam utique consequetur venia poenitentibus concessa; vox *novissima* hic uti alibi designat id, quod relative, non quod absolute ultimum erit. « *Generatio enim perversa est* » (cf. v. 5) « *et infideles filii* » Dei fidelis (v. 5).

Sequitur poena illis a Deo infligenda. v. 21 « *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis : et ego provocabo eos in eo, qui non est populus et in gente stulta irritabo illos* ». Unum idemque sunt cultus *non-Dei* et idololatriae *inanitates*, itemque *non-populus* et *gens stulta*. Antithesis est in repetitis verbis קנא et כעס, in oppositis invicem לא אל et לא עם, הבל et נבל; cum נבל h. l. cf. item וינבל v. 15 : stulti cum sint, stulte agunt. Poena igitur haec erit, ut, sicut Israel Deo in terra sancta praetulerit non-Deum, ita ib. Deus Israelem subiecturus sit *non-populo* et, sicut Israel *stulte abiecerit* Deum, ita Deus subiecturus sit Israelem *genti stultae*. Hunc obvium textus sensum etiam tuetur S. Paulus Rom. 10,19 (cf. *R. Cornely*). Alienigenarum *stultitia* explicatur v. 28-31. Quomodo autem iidem *non-populus*? Sane populus et nonpopulus h. l. re idem est (*Tost.*) atque « populus meus » et « nonpopulus meus » : loco populi sui electi dominium terrae sanctae transferet Deus in populum, quem sibi specialiter non elegit.

Stropha mutatoria secunda : Iahve in Israelem indignatio describitur v. 22-27.

Arg. — Ignis divini furoris ad omnem locum pertingit, omnis generis mala infligit, totum omnino populum consumeret, nisi id unum Iahven cohiberet, tantam ruinam inimicos non Iahve, sed suis viribus fore attributuros.

Oratio v. 22 orditur כי explicativo. Verba scribuntur formae praeteritae, ut comminatio quasi iam effecta, ergo certissime efficienda exhibeatur. Quas ob formas *Dillm.* v. 22 accipit pro generali sententia, quae dictorum v. 21 rationem e furoris divini violentia repetat : Utique provocabo eos, etenim ignis a me accensus devorat etc. Id non necessario adstruitur, et orationem cantici reddit impeditiorem. v. 22 « *Ignis accensus est in furore meo* » — « furor meus in

asperam vindictam erumpet ad modum ignis succensi, quae omnia quaecunque corripuerit vastat et consumit » (*Bonfr.*). Ignis hic certe etiam bella significat (*Calm.*: cf. Num. 21,28), sed non necessario sola bella; egregie, sed non unice, haec comminatio implebatur (*Proc.*, *Beda*) incendio Ierusalem sub Tito facto — « *et ardebit usque ad inferni novissima* » seu *infima*, — « ac si dicat, supra et infra conflagrabit, ut praesentibus futurisque fructibus priventur » (*Malv.*). Putabat iam *Beda* his designari ipsius inferni ignes; sed verius monet *Tost.*, agi de sola poena temporali et sermonem esse metaphoricum; imo est idem etiam hyperbolicus (*Bonfr.*) — « *devorabitque terram cum germine suo* », quo germine per metaphoram exprimitur populus terram incolens, « *et montium fundamenta comburet* ». Neque imis (inferni) neque summis parcet ille ignis, neque plebi neque principibus. Cur autem *fundamenta*? Fortasse, quod partes montium inferiores magis quam cacumina consitae sint arboribus, vineis, segetibus, quae pabulum praebeant incendio. An forte *montium fundamenta* intelliguntur infra terram esse demissa, atque eadem esse cum *infimis inferni*?

Missa porro metaphora, describitur eadem *provocatio* tamquam congeries malorum. v. 23 « *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* », pharetram *exhauriam in eos* (*Bonfr.*). Et iam singula enumerantur mala v. 24 : « *Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo* ». Vel cum *Sam.* : *Exsuga fames, devorate pestis luesque amarae.*

Textus obscurus. מזי et ברורי ἅπαξ λεγόμενα. *Hebr. Exsugati* (?) *fame, et devorati a peste* (Hab. 3.5) *et pernicie amara*. Exhibiturus nobis Deus singulas e pharetra sua sagittas, priores tres non in se ipsis exhibet sed in suis effectibus, populum demonstrat fame, peste, pernicie consumptum. Sed pro רשף, *peste* legebant *LXX Vulg. Chald. Syr.* שרף, quod *serpentem* et Is. 14,29;30,6 serpentem *alatum* sonat, ergo fere *draconem*. Praeplacet nihilominus lectio *Hebr. Sam.* : etenim minus apte in unum confunduntur devoratio proprie dicta per draconem (animal fabulosum) et metaphorica per luem, minus apte *dracones* a reliquis *bestiis* interiecta *lue* separantur, aptissime e contra copulantur *pestis* et *lues*. Planior ceteris lectio *Sam.* מזה רעב לחמי רשף קטף מרירם; ubi pro קטף utique corrigendum וקטב.

Aliae sagittae Domini demonstrantur : « *dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram* [*atque serpentium*] ». Verte : *cum veneno reptantium in pulvere*. Nullus tandem locus expers erit cladis v. 25 : « *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor* ». Quae sequuntur : « *iuvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene* », *Vulg.* ad praecedentia trahit, ut illas sagittas affirmetur nullus sexus, nulla aetas esse evasura. Melius videntur trahi ad se-

quentia v. 26, ubi « *Dixi* » eo, quem saepe verbum habet, sensu sumendum est : *cogitabam*. « *Ubinam sunt?* » Igitur *Vulg. Syr. Aq.* videntur ita characteres distinxisse : אף אי הם, *imo* seu *etiam ubi sunt*? Penitus absorpti sunt plagis meis, iuvenes illi et virgines etc. Ubi fere abundat אף. *Sam. Chald.* אפי הם, *ira mea sunt ipsi*, obiectum irae meae sunt iuvenes illi et virgines etc. : ergo exterminandi. *LXX* recurrebant ad verbum aliquod פאה, derivatum a פאה, *angulus*, ergo : in omnes angulos disiiciam, *dispergam*, διασπερῶ αὐτούς. Sed alii alias verbo פאה significationes attribuunt, sc. *diffindere* vel probabilius *flatu tollere* (germ. wegblasen). Ergo : iuvenes et virgines etc. cogitaveram flatu oris mei absumere et memoriam eorum delere. « *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum* ». Quoad sensum, v. 26 accipi potest pro apodosi, cuius prodosis habeatur v. 27 (*Kn.*) : nisi deflexissem, absorpti essent; quoad constructionem autem v. 26 et 27 sunt sententiae independentes, secus oratio evadit languida et obvoluta.

Quominus autem illos penitus destruat, prohibetur Deus ratione suae apud alias gentes aestimationis. v. 27 « *Sed propter iram inimicorum distuli* », — גיר non est *differre* (*Symm. Vulg.*), sed *deflectere, declinare*, neque consuevit hoc verbum transitive construi : « Si non timebo iram inimicorum » (*Cai.*). Neque אגיר derivandum est a verbo אגר, *colligere* : *nisi ira inimici collecta esset* (*Chald.*; similiter *Syr.*). Sicut v. 21 *indignatio Iahve* est ipsa, quam Iahve persentit, in Hebraeos idololatras indignatio, et *indignatio Israelis* est ipsa, quam Israel experitur, de divinis plagis indignatio, ita h. l. *indignatio inimici* non est Iahvae contra inimicum indignatio (*Dillm.*), sed ipsius inimici, quo Deus instrumento utitur ad puniendum Israelem, contra Israelem indignatio. Certe ab *hac* indignatione non *deflectit* Deus, eam non timet. Ergo sententia est apocopata : *Nisi indignatio inimici — desistam*. Haec inimicorum indignatio tot continuis Hebraeorum plagis usque augebitur, in summam etiam in Iahven insolentiam excrescet, sibi, non illi, ut eorum proxime sequens effatum testatur, ruinam Israelis attribuent. Quod ne fiat, *desistam*, inquit Iahve, ab Israele funditus perimendo — « *ne forte superbirent hostes eorum* », *Hebr.* : *ne forte non intelligant hostes eorum*, me esse horum omnium potissimum auctorem, « *et dicerent : Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia* ».

Stropha et antistropha tertia : inimicorum stultitia
et malitia v. 28-35ᵃ.

Arg. — Inimici non intelligunt Israelem ideo vinci, quod destitua-

tur a Deo petra sua, sed victoriam tribuunt petrae suae, i. e. sibi ipsis vel diis suis, eoque suam produnt stultitiam. Praeterea Israel illos expertus est radicitus malos, ideoque eorum certo praestolatur futuram ruinam.

Rursum orditur oratio a כי explicativo : v. 28 *Quoniam « gens absque consilio est et sine prudentia »*. Loquitur vates (cf. v. 30), non Deus; loquitur non de Hebraeis (*Malv.*), sed de inimicis (*Vat.*) : ille quippe unus v. 30, qui, Iahve a populo suo recedente, persequitur mille, evidenter inimicus est, non Hebraeus. v. 29 « *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent* ». Sententiam esse conditionalem, ostendunt verborum tempora mutata (*Dillm.*) : *Si saperent, intelligerent hoc*, sc. oeconomiam illam divinam v. 15-27 explicatam, *et attenderent novissima sua*; sicut v. 20 novissima Israelis sunt plagae ei per gentem stultam infligendae, ita novissima huius gentis sunt ruina, qua tandem haec plectetur, Israel redintegrabitur. Intelligerent imprimis, suas de Israele victorias acceptas potissimum referri debere Iahvae, qui a populo suo iratus recesserit : v. 30 « *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus* » — צורם, *petra eorum* — « *vendidit eos, et Dominus conclusit* », i. e. *tradidit* (cf. 23,15[16]), « *illos?* » « Tradidit venditos » (*Tost.*), « aliis dominis vendidit » (*Malv.*), tamquam servos sibi inutiles. Ille *unus*, uti patet, non est Israelita (*Cai.*), sed hostis (*Tost.*). « Vel ex hoc satis colligere possunt, se non suis viribus adscribere debere Iudaeorum eversionem : qui enim fieri posset, ut unus ex hostibus mille Iudaeos persequeretur?... Nonne ideo, quia Deus suus decrevit eos inimicis tradere? » (*Bonfr.*). Vates rursum parallele scribit appellationes *petra* et *Iahve*, sed metaphorae petrae minime adhaeret : nisi petra eorum vendidisset eos. An forte verbum מכר a significatione *vendendi* ad aliam significationem descendit, quae etiam de petra tamquam subiecto praedicari queat? v. 31 « *Non enim est Deus noster ut dii eorum* »; reliqui : *non enim sicut petra nostra petra eorum*, ubi merito mireris loco צורם non scribi צוריהם : sc. vates unam iam gentem inimicam prae oculis habet, quae in uno supremo idolo confidat. Rationem vates assignat, cur tam illustres illae de Israele victoriae vel a gentilibus victoribus adscribi deberent voluntati Iahve. Iahve sc. plene semper valet populum suum a clade inimicorum defendere, clades nonnisi eo permittente evenit; dum dii gentium gentes sibi devotas non valeant defendere, sed tota res pugnantium fortitudine dirimatur. Hoc discrimen possunt et debent gentes intelligere, sed non intelligunt quia *stultae* sunt (cf. v. 21) : « *et inimici nostri sunt iudices* ». Ita om-

nino vertendae sunt voces ואיבינו פלילים : at nullum haberi aptum sensum, et per se patet, et e commentatorum tentaminibus facile perspicitur. *Symm.* βίαιοι, qua voce idem Gen. 6,4 exprimit נפלים, *LXX* ἀνόητοι = נבלים, et hanc esse genuinam lectionem docet comparatus v. 21. Apte igitur concluditur stropha verbis : *inimici autem nostri sunt stulti.*

Antistropha v. 32-35, uti stropha v. 28-31, agit non de Hebraeis sed de eorum inimicis (*Calm.*); כי v. 32 parallele habet ad כי v. 31 (*Dillm.*). Traditur altera ratio, cur non debeant sibi adscribere inimici suas de Israele partas victorias : eorum perversitas morum, ob quam omni favore indigni sunt. v. 32 « *De vinea Sodomorum vinea eorum* », seu verius de *vite* Sodomorum *vitis* eorum, « *et de suburbanis* », i. e. de *campo,* « *Gomorrhae* ». Quae regio sterilis est (*Tost.*), nullum generosum gignens germen; si quae ibi vites nascebantur, erant sane tenuissimae. Praeterea « surculi maledictae radicis sunt, infamis eius urbis crimina imitantur » (*Calm.*); exprimitur affinitas morum, non sanguinis, sane non dicuntur illi inimici nati esse « ex pravis maioribus pravi filii » (*Mar.*), cum certe non supponantur e Sodomitis progenitoribus ortum duxisse. « *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi* ». Pro ענבמי *Sam.* ענביהם, et pro רוש item ראש; quod *Syr.* vertit *amara, LXX* uti *Vulg. fellis.* Videtur ראש esse planta saporis amari (Ier. 8,14; 9,15[14]; 23,15; Thren. 3,19); usurpatur etiam de veneno Iob 20,16. v. 33 « *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* », *Hebr. forte.* v. 34 « *Nonne haec* », i. e. perversa eorum indoles, « *condita sunt apud me* », — pro ἅπαξ λεγομένῳ כמס lege cum *Sam.* כנוס, quod recte expressere versiones *recondita,* asservata — « *et signata* », sigillo *obsignata,* « *in thesauris meis?* » אוצר locus est, ubi aliqua reconduntur, sive annonae (2 Par. 11,11), sive res pretiosae (Prov. 21,20), hic documenta. Ergo h. l. sunt *archivia,* qualia tempore exodi habebant non reges solum Aegypti et Babyloniae, sed reguli item Chanaanitidis et Syriae. Loquitur vates ad eos, qui bene norant quid archivia essent. v. 35 « *Mea est ultio* »; mihi ius est ultionis, et eam certissime exsequar, « *et ego retribuam in tempore, ut* » seu *quo* « *labatur pes eorum* ». « Quando venerit illud tempus puniendi, ego faciam quod labatur pes eorum, ut ipsi in terram corruant » (*Tost.*). Sed pro לי *Sam. LXX* ליום; ergo : *in die ultionis et retributionis*, nam ישלם non est *et ego retribuam*, sed *et retributionis*; vel, leviter mutata punctatione, *et retribuet aliquis,* seu *et fiet retributio.* Haec vero punctationis mutatio praeferenda, quia *dies ultionis et retributionis* tautologice dicitur, et incisum temporale v. 35ᵃ secus caret subiecto

et verbo. Omnino autem praeferenda est lectio Sam. ליום, quia sic tollitur gravis difficultas, quisnam haec omnia loquatur. v. 36 certe loquitur chorus, item v. 30 sq. : ubi ergo orditur loqui Deus? utrum v. 32, an v. 34, an v. 35? Secundum Sam. v. 28-36 continuo loquitur chorus. Dices suffixa v. 34 referri ad Deum : sed verba commode accipi possunt ut a choro profecta : nonne haec inimicorum perversitas mihi oppido nota est experientia, atque in tabulis memoriae meae recondita iacet?

Dices, lectionem Sam. admitti non posse propter S. Paulum dicentem Rom. 12, 19 : « Scriptum est enim : Mihi vindicta, et ego retribuam eis, dicit Dominus », et Hebr. 10,30 : « Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, et ego retribuam ». Sed perfecta similitudo solummodo habetur inter S. Paulum et versionem Vulgatam Deut. 32,35 : sc. S. Hier. versionem suam Deut. 32,35 conformavit effatis illis Paulinis. Illud « ego retribuam » Hebr. non habet, dum LXX ignorant illud « mihi vindicta ». Concedatur igitur oportet, S. Paulum aliquem vel aliquos s. textus *libere* citare. Potuit citare Deut. 32, ubi v. 35 *vindictae* et *retributionis* meminit, et v. 36 diserte statuit has esse penes Deum. Potuit citare Is. 34,8; Ier. 50,15;51,11; Eccli. 28,1 etc., qui omnes textus eandem veritatem exprimunt.

Stropha mutatoria tertia : Iahve de inimicis futurum iudicium annuntiatur v. 35b-39.

Arg. — Hoc iudicium, quod v. 35a breviter attigerat, certo futurum fusius annuntiatur. Post tribulationem non ita diuturnam, Israele plene humiliato, Iahve nullo negotio inimicos prosternet, eoque manifestabit deorum inanitatem suumque supremum vitae et prosperitatis dominium.

Confirmat igitur v. 35b id, quod de die iudicii modo fuerat dictum, augens etiam spem, quod eum diem non diu differendum demonstret : *profecto* « *iuxta est dies perditionis* » *eorum*, « *et adesse festinant tempora* ». *Vulg.* videtur legisse עתת, item *Aq.* καιρίως; reliqui עתדת = *Sam.* עתידות : *et festinant quae parata sunt eis*, novissima illa v. 29. — v. 36 *Profecto* « *iudicabit Dominus populum suum* », i. e. ius populi sui vindicabit, « *et in servis suis miserebitur* ». Id autem praestabit, quia et quando omne aliud auxilium exhaustum videbit : *quoniam* « *videbit, quod infirmata sit manus* », — « videbit eos omnes plane potentiam defecisse ad resistendum inimicis » (*Bonfr.*); sc. *manus* haud raro omne genus adiumenti designat — « *et clausi* [*quoque defecerunt*] *residuique consumpti sunt* ». *Hebr.* : *defecerunt ligati et soluti.* Qui *ligati* et qui *soluti* intelligantur, non satis liquet (cf. 3 Reg. 14,10; 21,21; 4 Reg. 9,8; 14,26), neque h. l. inquirere lubet, cum duae illae voces iunctae evidenter exprimant *omnes*. v. 37 « *Et dicet* » : — *Iahve* recte supplent *LXX* : cf. v. 39.

nino vertendae sunt voces ואיבינו פלילים : at nullum haberi aptum sensum, et per se patet, et e commentatorum tentaminibus facile perspicitur. *Symm.* βίαιοι, qua voce idem Gen. 6,4 exprimit נפלים, *LXX* ἀνόητοι = נבלים, et hanc esse genuinam lectionem docet comparatus v. 21. Apte igitur concluditur stropha verbis : *inimici autem nostri sunt stulti.*

Antistropha v. 32-35, uti stropha v. 28-31, agit non de Hebraeis sed de eorum inimicis (*Calm.*); כי v. 32 parallele habet ad כי v. 31 (*Dillm.*). Traditur altera ratio, cur non debeant sibi adscribere inimici suas de Israele partas victorias : eorum perversitas morum, ob quam omni favore indigni sunt. v. 32 « *De vinea Sodomorum vinea eorum* », seu verius de *vite* Sodomorum *vitis* eorum, « *et de suburbanis* », i. e. de *campo,* « *Gomorrhae* ». Quae regio sterilis est (*Tost.*), nullum generosum gignens germen; si quae ibi vites nascebantur, erant sane tenuissimae. Praeterea « surculi maledictae radicis sunt, infamis eius urbis crimina imitantur » (*Calm.*); exprimitur affinitas morum, non sanguinis, sane non dicuntur illi inimici nati esse « ex pravis maioribus pravi filii » (*Mar.*), cum certe non supponantur e Sodomitis progenitoribus ortum duxisse. « *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi* ». Pro ענבמו *Sam.* ענביהם, et pro רוש item ראש; quod *Syr.* vertit *amara, LXX* uti *Vulg. fellis.* Videtur ראש esse planta saporis amari (Ier. 8,14; 9,15[14]; 23,15; Thren. 3,19); usurpatur etiam de veneno Iob 20,16. v. 33 « *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* », *Hebr. forte.* v. 34 « *Nonne haec* », i. e. perversa eorum indoles, « *condita sunt apud me* », — pro ἅπαξ λεγομένῳ כמס lege cum *Sam.* כנוס, quod recte expressere versiones *recondita*, asservata — « *et signata* », sigillo *obsignata,* « *in thesauris meis?* » אוצר locus est, ubi aliqua reconduntur, sive annonae (2 Par. 11,11), sive res pretiosae (Prov. 21,20), hic documenta. Ergo h. l. sunt *archivia*, qualia tempore exodi habebant non reges solum Aegypti et Babyloniae, sed reguli item Chanaanitidis et Syriae. Loquitur vates ad eos, qui bene norant quid archivia essent. v. 35 « *Mea est ultio* »; mihi ius est ultionis, et eam certissime exsequar, « *et ego retribuam in tempore, ut* » seu *quo* « *labatur pes eorum* ». « Quando venerit illud tempus puniendi, ego faciam quod labatur pes eorum, ut ipsi in terram corruant » (*Tost.*). Sed pro לי *Sam. LXX* ליום; ergo : *in die ultionis et retributionis*, nam ושלם non est *et ego retribuam*, sed *et retributionis*; vel, leviter mutata punctatione, *et retribuet aliquis,* seu *et fiet retributio.* Haec vero punctationis mutatio praeferenda, quia *dies ultionis et retributionis* tautologice dicitur, et incisum temporale v. 35[a] secus caret subiecto

et verbo. Omnino autem praeferenda est lectio Sam. ליום, quia sic tollitur gravis difficultas, quisnam haec omnia loquatur. v. 36 certe loquitur chorus, item v. 30 sq. : ubi ergo ordilur loqui Deus? utrum v. 32, an v. 34, an v. 35? Secundum Sam. v. 28-36 continuo loquitur chorus. Dices suffixa v. 34 referri ad Deum : sed verba commode accipi possunt ut a choro profecta : nonne haec inimicorum perversitas mihi oppido nota est experientia, atque in tabulis memoriae meae recondita iacet?

Dices, lectionem Sam. admitti non posse propter S. Paulum dicentem Rom. 12, 19 : « Scriptum est enim : Mihi vindicta, et ego retribuam eis, dicit Dominus », et Hebr. 10,30 : « Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, et ego retribuam ». Sed perfecta similitudo solummodo habetur inter S. Paulum et versionem Vulgatam Deut. 32,35 : sc. S. Hier. versionem suam Deut. 32,35 conformavit effatis illis Paulinis. Illud « ego retribuam » Hebr. non habet, dum LXX ignorant illud « mihi vindicta ». Concedatur igitur oportet, S. Paulum aliquem vel aliquos s. textus *libere* citare. Potuit citare Deut. 32, ubi v. 35 *vindictae* et *retributionis* meminit, et v. 36 diserte statuit has esse penes Deum. Potuit citare Is. 34,8; Ier. 50,15;51,11; Eccli. 28,1 etc., qui omnes textus eandem veritatem exprimunt.

Stropha mutatoria tertia : Iahvae de inimicis futurum iudicium annuntiatur v. 35b-39.

Arg. — Hoc iudicium, quod v. 35a breviter attigerat, certo futurum fusius annuntiatur. Post tribulationem non ita diuturnam, Israele plene humiliato, Iahve nullo negotio inimicos prosternet, eoque manifestabit deorum inanitatem suumque supremum vitae et prosperitatis dominium.

Confirmat igitur v. 35b id, quod de die iudicii modo fuerat dictum, augens etiam spem, quod eum diem non diu differendum demonstret : *profecto « iuxta est dies perditionis » eorum, « et adesse festinant tempora »*. *Vulg.* videtur legisse עתת, item *Aq.* καιρίως; reliqui עתדת = *Sam.* עתידות : *et festinant quae parata sunt eis*, novissima illa v. 29. — v. 36 *Profecto « iudicabit Dominus populum suum »*, i. e. ius populi sui vindicabit, « *et in servis suis miserebitur* ». Id autem praestabit, quia et quando omne aliud auxilium exhaustum videbit : *quoniam « videbit, quod infirmata sit manus »*, — « videbit eos omnes plane potentiam defecisse ad resistendum inimicis » (*Bonfr.*); sc. *manus* haud raro omne genus adiumenti designat — « *et clausi [quoque defecerunt] residuique consumpti sunt* ». *Hebr.* : *defecerunt ligati et soluti.* Qui *ligati* et qui *soluti* intelligantur, non satis liquet (cf. 3 Reg. 14,10; 21,21; 4 Reg. 9,8; 14,26), neque h. l. inquirere lubet, cum duae illae voces iunctae evidenter exprimant *omnes*. v. 37 « *Et dicet* » : — *Iahve* recte supplent *LXX* : cf. v. 39.

Non *dicent* (*Sam.*). Quibus dicet? Hebraeis, deos quippe gentium vocat deos *eorum*, non *vestros*. Quando dicet? Post cladem gentium, etenim ante hanc dii gentium ibi sunt, ubi ante fuerunt, in aris suis fruentes adipe et libationibus (v. 38). Igitur clades illa futura h. l. minime describitur : ubi primum v. 36 Iahve ad iudicium prodit, dii illi iam defecerunt et gentes prostratae iacent, illustrem divinae omnipotentiae descriptionem — « *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* » *Hebr.* : *petra, in quam confugerant*. Demonstrat Deus Hebraeis inanitatem illorum deorum : ipso ad iudicium procedente, illico dii illi suo loco excidere, non reperiuntur, non sunt.

v. 38 « *De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libationis?* » Constructione et interpunctione *Vulg.* haec trahit ad praecedentia; *comedentes, bibentes* adstruit eosdem, qui v. 37 *fiduciam habebant*, cultores illorum deorum, gentiles. Sed *adipem comedere*, et multo magis *vinum libationis bibere*, non est eorum, qui deos colunt, sed ipsorum deorum, qui censentur adipis fumo et vino effuso delectari. *Masor.* *LXX* ad sequentia trahunt. Et *LXX* quidem : *De quorum victimis comedebatis adipes, et bibebatis vinum libationis, assurgant.* Sed habetur eadem, quae supra, difficultas et arbitrio mutatur persona verborum. *Masor.* ita : dii illi, *qui adipem victimarum eorum* (i. e. gentilium) *comedebant, et bibebant vinum libationum eorum, assurgant*. Ostendant, se aliud quid valere efficere, praeter manducare et bibere. « *Surgant et opitulentur vobis* », qui v. 16 sq. in illis fiduciam habebatis, « *et* [*in necessitate*] *vos protegant* ». *Hebr.* : *et erit vobis protectio*. Acerba ironia inest impersonali huic constructioni : surrexit Iahve ad iudicium, et *fuit* strages deorum; assurgant dii, et procul dubio *erit* vobis ab illis protectio, sine ulla mora aut difficultate protectionem nanciscemini. Cf. *Malv.* Tandem, missis figuris sermonis, nudam veritatem proclamat v. 39 : « *Videte, quod ego sim solus* »; *Hebr.* : *videte profecto, quia ego, ego illud sum*, sc. quia ego sum Deus, « *et non sit alius Deus praeter me. Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est, qui de manu mea possit eruere* ». Non est ratio adscribendi signi interrogationis. Cf. 1 Reg. 2,6; Iob 10,7.

Stropha et antistropha quarta : Iahvae iuramentum, coeli terraeque iubilus v. 40-43.

Arg. — Quod v. 35b-39 futurum nuntiaverat chorus, id futurum iuramento confirmat Iahve, ita firmissimum se praebens spei Israelis fundamentum. Chorus promissam salutem veluti praesentem aspiciens

in iubilum prorumpit coelumque et terram, ut iubilo accedant, invitat.

v. 40 *Profecto,* « *levabo* », seu verius *levo,* « *ad coelum manum meam, et dicam :* » — *dico* — « *Vivo ego in aeternum* », i. e. *quam vere ego aeternum vivo* (cf. Num. 14,21.28), — iurat Deus gestu et verbis (*Tost.*) — v. 41 « *Si* », seu potius *quando,* « *acuero* [*ut*] *fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea* », — *fulgur gladii mei* Nah. 3,3; Hab. 3,11 est *gladius fulgurans meus.* Potest autem etiam verti : *Si acuero fulgur, gladium meum, et apprehenderit manus mea pro scuto iudicium etc.*; ut describatur Deus ad bellum procedens — « *reddam ultionem hostibus meis et his, qui oderunt me, retribuam* ». Eaedem duae voces, atque initio v. 35. v. 42 « *Inebriabo sagittas meas sanguine et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum et* [*de*] *captivitate* », — verius *et captivitatis*, seu *et captivorum* — « *nudati inimicorum capitis* ».

Obscurum incisum מראש פרעות אויב, *de capite nudationum inimici,* ergo vel *de capite nudo inimici* (*Symm. Vulg.*), vel *de capite nudati inimici* (*Aq.* ἀποπετασμένων ἐχθρῶν, *extentorum inimicorum*). Significatio *princeps* (*LXX*) pro voce פרעות minime demonstratur, certe non e textu perobscuro Iud. 5,2. *Syr.* legebat מראש־עטרות אויב, *de capite coronarum inimici;* et *Chald.* fortasse legebat haec : מרש עטרות מראש אויב (cf. 28,42 verbi piel), *acquirens coronas de capite inimici.* Potuit עטרות corrumpi in פרעות, et duarum vocum מרש et מראש alterutra excidere. Debet autem ultimum incisum iungi paenultimo secundum Masor. et etiam secundum contextum, cum post *devorabit carnes* claudicet *de cruore.* Ergo textus fortasse ita erit vertendus : *Propter cruorem occisorum et captivorum* Israelis, quem antea effuderunt gentes, *acquirens coronas de capite inimici.*

v. 43 est cantici clausula, quam proloquitur chorus. Mirum apparet, ad laudes *populi* Israel invitari gentes, in quem canticum tam severe inveheretur : « *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur* ». Vocem יקם (*Sam.* contra Hebr. יקום) praeplacet punctare hophal, ita ut praecedens דם fiat subiectum : *quia sanguis servorum eius ultionem nactus est.* « *Et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terrae populi sui* ». Cf. Rom. 15,10.

Sed loco unius versus integram stropham legunt *LXX* : εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι (alii υἱοὶ) θεοῦ. εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ. ὅτι τὸ αἷμα τῶν υἱῶν (pro filiis *Hebr.* habet *servos* עבדיו) αὐτοῦ ἐκδικᾶται, καὶ ἐκδικήσει καὶ ἀνταποδώσει δίκην τοῖς ἐχθροῖς, καὶ τοῖς μισοῦσιν ἀνταποδώσει· καὶ ἐκκαθαριεῖ κύριος τὴν γῆν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. His correspondet sequens textus hebraeus.

הרנינו שמים עם עמו   וישתחוו לו כל מלאכי אלהים
הרנינו גוים עם עמו   ויתחזקו לו כל בני אלהים .
כי דם עבדיו יקם   ויקם ונקם ישיב לצריו
ולשנאים ישיב   וכפר יהוה אדמת עמו

Hic igitur textus simplici et probabili lectione, עם עמו loco עמו, eliminat difficultatem illam laudari *populum* Israel. Redit ad *coelos* v. 1 appellatos, itemque ad *terram* = *gentes*. Conclusionem cantici efficit longe solemniorem ea, quam Hebr. v. 43 habet, digrioremque cantico tam magniloquente. ויקם, immediate sequens vocem יקם, fortasse non est nisi huius vocis erronea repetitio. Strophae versionem v. p. 507.

c. Monitum valedictorium Deut. 32,44-47.

Arg. — Post explicatum canticum monet Moyses Hebraeos, ut omnia, quae ipse eis commendasset, animis recondant filiosque doceant; quo facto, a Iahve prosperitate sint remunerandi.

Critici, cui haec attribuant scriptori, ancipites haerent : ut plurimum, tribuunt uni alterive redactori. v. 44 « *Venit ergo Moyses et locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse et Iosue filius Nun* ». Ita omnes contra *Hebr.* : *Osee,* cf. Num. 13,9.17 (8.16), quod videtur esse per errorem scriptum. Versus re consonat cum 31,30; adscribit initio *venit ergo*; pro *omnis ecclesia Israel* scribit *populus*; omittit עד תמם, quod tamen omnino subintelligatur oportet. Neque tamen versus est mera tautologia, cum haec narratio actorum supremae diei vitae Moysis iterum iterumque inculcet, Moysen singula omnino ad finem usque peregisse : nonnisi completa thora 31,24 canticum scribere aggressus est; canticum eum totum explicasse affirmatur et 31,30 et 32,44; eum omnia tandem sibi a Iahve mandata ad finem perduxisse, effertur 32,45 : quibus omnibus completis, quid tandem superfuit, nisi ut a Iahve montem conscendere iuberetur? v. 45 « *Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel* ». Cf. 31,1 secundum LXX. Sed conferendus hic versus potissimum cum 1,3 : « die 1ª mensis 11ⁱ locutus erat », i. e. loqui compleverat, « Moyses ad filios Israel omnia, quae mandaverat ei Iahve », quaeque narratione Ex.-Num. recitabantur — 32,45 « complevit loqui ad omnem Israel sermones istos ». *Sermones* in utroque textu intellige eosdem, omnes sc. quos per Moysen Iahve ad populum locutus est, sed h. l. magis directe attinguntur thora et canticum, quae textus Num., qualis nunc est, ignorat. v. 46 « *Et dixit ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, quae ego testificor vobis* » — *Hebr.* : *in vobis*, coram vobis — « *hodie* ». Testificatus est *hodie* (cf. 31,21. 27; cf. etiam 32,48) thoram et canticum, illam enim inculcabat mandato 31,10-13. His advertant animos ipsi, haec doceant filios : rela-

tivum verte *et* potius quam *ut* : « *ut mandetis ea filiis vestris* ». Fructus vero animadversionis et mandati erit « *custodire et facere* [*et implere*] *universa, quae scripta sunt legis huius* », *Hebr.* : *universa verba thorae huius*. Finis omnium, etiam cantici, est observatio thorae. v. 47 « *Quia non incassum praecepta sunt vobis, sed ut* [*singuli*] *in eis viverent* ». *Hebr.* : *quia non verbum vacuum illud est a vobis, sed est vita vestra* ». דבר, uti secus in toto hoc contextu verte *verbum*, non *res* (*Dr.*). מכם non est vertendum comparative : « non enim est res vilior, i. e. minoris momenti, vobis, quam ut eam audiatis » (*Vat.*); ubi sensus esset « vilior quam vos »; sed verte : verbum non est vacuum, *procul a vobis* (cf. Num. 15,24 etc.). Quem esse sensum, confirmat oppositio ad *est vita vestra*. Verbum Moysis, seu verbum thorae, non est aliquid *vacuum*, sed est *vita*; non est aliquid *procul a vobis*, a vobis separatum, quod impune negligere possitis, sed est *vita vestra*, quae utique est in vobis vobisque maxime necessaria. « *Quae facientes longo perseveretis tempore in terra, ad quam Iordane transmisso ingredimini possidendam* ». *Hebr.* : *et in verbo hoc*, eo observato, *eritis longaevi etc.* Longaevitas, uti alias, supponitur comitem esse habitura prosperitatem.

3. *Moyses montem conscendere iubetur Deut.* 32,48-52.

Arg. — Imperat Iahve, ut Moyses mandatum, quod Num. 27,12-14 datum, sed dilatum fuerat, tandem impleat : conscendat montem Abarim ibique, visa cisiordanica, moriatur.

Textus fere idem est atque Num. 27,12-14; utramque pericopen critici attribuunt P. Reapse unum idemque iteratur mandatum, quod, ut differretur, Moyses Num. 27 impetraverat : nunc peractis omnibus, quae agenda supererant, mandatum iteratur. Nulla est ratio negandi, mandatum primitus in narratione scriptum fuisse bis.

v. 48 « *Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die* » (cf. Gen. 7,13; Ex. 12,17; etc.) « *dicens* » : v. 49 « *Ascende in montem istum Abarim* [*i. e. transitum*], *in montem Nebo* » (cf. Num. 33,47), « *qui est in terra Moab contra Iericho* ». Haec accuratior descriptio non habetur Num. 27,12; indicaverit Deus, in quam partem montis Abarim Moysen oporteret ascendere, sc. in montem Nebo : at nulla ratio erat Deo affirmandi, montem eum esse in terra Moab contra Iericho; id Moyses et oppido norat et oculis cernebat; potuit ea descriptio ab alio quodam adscribi. « *Et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam* ». Num. 27,12 non habetur neque *Chanaan* neque *obtinendam*. Sed, dum in sequentibus Num. 27,13

magis insistit aspectui cisiordanicae, hic textus magis insistit morti. « *Et morere in monte* », v. 50 « *quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis* », — cf. Num. 20,24 etc. : cognationi suae, maioribus suis; recentiores appellant eam, quae dicitur fuisse vocis עם primigenia significatio, *patruus*, hinc generatim *cognatio* — v. 51 « *quia praevaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad Aquas Contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificastis me inter filios Israel* », non meam sanctitatem testati estis (cf. CN p. 158 sq.), sed de mea sanctitate et longanimitate dubitastis. v. 52 « *E contra videbis terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel* ».

4. *Benedictiones Moysis Deut.* 33.

a. Praenotanda.

1. *Benedictionum structura.* Deut. 33 complectitur *exordium* v. 2-5, *epilogum* v. 26-29, et inter illa *eloquia* omnino decem ad tribus varias directa. Oratio fluit *distichis* vel *tristichis*.

Partes carminis graviores tristichis distinguuntur. Tristicho v. 5 exordium concluditur, orditur v. 26 epilogus. Benedictio Levi v. 8 sq. duobus tristichis, benedictio Ioseph v. 13 uno tristicho orditur; severa v. 20 sq. reprehensio Gad duobus tristichis constat et disticho uno; benedictio Nephthali unico tristicho v. 23 absolvitur ideo, quod pauca quae dicenda essent unius distichi limites excederent; benedictio Aser v. 24 tristichum habet ideo fortasse, quod ultima sit.

In eloquiis longioribus disticha vel tristicha in *strophas* coalescunt.

Iuda et Beniamin stropham quisque habent binorum distichorum. Levi tres strophas habet, quarum prior duobus tristichis, secunda tribus distichis, tertia duobus distichis constat. Ioseph habet duas strophas quaternorum distichorum. Epilogus duas strophas quaternorum distichorum habet. Exordium item. Est igitur exordium adamussim tantum, quantus epilogus, quanta quae medium fere carmen dividit benedictio Ioseph : disticha octona. Pro Ruben, Iuda, Levi habentur disticha (vel tristicha) decem, totidem pro Beniamin et Ioseph, totidem pro reliquis. In sequenti schemate D = distichum, T = tristichum.

		Summa distichorum vel tristichorum
Exordium v. 1-5	DD-DD-DD-DT	8
Ruben v. 6	D	10
Iuda v. 7	DD	
Levi v.8-11	TT-DDD-DD	
Beniamin v. 12	DD	10
Ioseph v. 13-17	TDDD-DDDD	

Zabulon et Issachar v. 18 sq.	DDD	10
Gad v. 20 sq.	TTD	
Dan v. 22	D	
Nephthali v. 23	T	
Aser v. 24 sq.	TD	
Epilogus v. 26-29	TDD-DD-DDD	8

Licet vero carminis partes potiores sint strophicae, tamen totum carmen strophis constare haud censemus. Alloquia Ruben, Dan, Nephthali, Aser seorsim sumpta certe non sunt strophae, neque cum aliis videntur esse commiscenda.

Exordium a nomine *Iahve* orditur, reperitur illud in eloquiis gravioribus omnibus : Iuda v. 7, Levi v. 11, Beniamin v. 12, Ioseph v. 13, Gad v. 21, Nephthali v. 23, item in epilogo v. 29. Desideratur idem quoad Ruben, Zabulon cum Issachar, Dan, Aser. In benedictionibus Iuda et Levi vates orationem dirigit ad Iahven; de Ruben, Beniamin, Ioseph, Dan, Nephthali tertia persona loquitur; item de Gad, sed affectu abreptus Gadum etiam directe increpat; Zabulonem et Issachar directe primum alloquitur, dein in tertiam personam delabitur.

2. *Benedictionum indoles. Deut.* 33 *non est prophetia.*

Non profitetur Moyses se annuntiaturum esse, quae eventura sint in diebus novissimis; non est in futuris praenuntiandis, sed in faustis apprecandis. Si quae futura praemonstrat, fuere ea iam ante praemonstrata. Ita v. 7 indicat futurum Iudae principatum (Gen. 49,8 sqq.); inclita fata Ioseph iam praesagierat Iacob Gen. 49,22 sq. verbis partim iisdem; Levi tessera Gen. 49,5 iam fuerat in melius mutata inde ab Ex. 29. Cf. etiam Moysis benedictiones in Zabulon cum Issachar, et in Aser collatas. Novit profecto auctor vaticinium iacobaeum aliasque antiquiores prophetias, pro certo habet, quod omnia inde ab exodo portenta et oracula profitebantur, cisiordanicam in manus venturam esse Hebraeorum : novas prophetias non edit; ubi non repetit priores prophetias, ibi eius verba vertenda sunt optativis, non futuris absolutis sive propheticis : v. 11.17.19.22.24 sq.

Deut. 33 tradit Moysis *benedictiones*. Neque tamen singulae tribus omnes benedictionem nanciscuntur.

Quoad *Ruben* confirmatur decretum Gen. 49,4 « non crescet », expressius etiam quam antea benedictio desideratissima denegatur, numerosa proles. Ipse sc. antiquum Gen. 35,22 scelus nequaquam piis deinceps actis luit (cf. Num. 16; 32). Severissime carpitur *Gad* ob acta Num. 32. *Simeon* penitus omittitur, cuius rei alii alias assignant rationes. Certe Simeonitae aliqui, fortasse plurimi peccavere Num. 25,14, at certe non Simeonitae soli. Plurimum numeris diminuti sunt Simeonitae a prima ad secundam in deserto numerationem (Num. 1,23;26.14), idque factum esse censet *Est.* ob eorum idololatriam, murmurationes etc. Diu cum reliquis substiterant Simeonitae circa Cadesam, in limine meridionali terrae sanctae suorumque

futurorum finium : an forte maior eorum pars in illis finibus invito Moyse substitit, ut Simeonitae illi, qui fideles illi adhaeserint (cf. Iud. 1,3), pauci admodum fuerint neque tribus nomine digni? Neque vero absentibus benedicturus erat Moyses. Offert se tamen et alia probabilis explicatio. In quatuor ternarum tribuum castra Num. 2 Israelitae distribuebantur, erant autem meridiem versus v. 10 sqq. castra illa, ubi Rubeno duce militabant etiam Simeon et Gad. Ergo *universa castra Ruben* Deut. 33 sine benedictione dimittuntur : videntur eae tribus in deserto exstitisse potissima rebellionum capita; non in transiordanica primum Gad cum Rubeno coniuravit. — Tandem *Manasse* propriam benedictionem non nanciscitur, sed benedictione Ioseph includitur; cuius benedictionis potissima certe pars Ephraimo obveniebat; quantum cessurum esset Manassaeis, quantum Manassaeis transiordanicis, non edocemur. Illi etiam minus affecti fuerant Moysi (cf. CEI. p. 6; CN p. 206). Iosue cum ceteris corporis custodibus Moysi sane fidem servavit in magna illa in deserto apostasia : quorsum vero reliqua tum tribus Ephraim aut Iosue adhaesit, aut consanguineorum Manassaeorum partes tuita est? Eam Moysis potius partes secutam esse (v. i.), licet fortasse inferre e sollemniori, quae ei tribuitur, benedictione.

Benedictiones singulis tribubus dantur non ordine originis ex Iacob, sed potissimum *ordine fidelitatis, quam Moysi in magna illa in deserto apostasia* exhibuere.

Dimisso sine benedictione Rubeno benedicitur *Iuda*, futurus a Iacob princeps designatus, cuius manus in deserto « pro populo decertaverat ». Benedicitur *Levi*, qui egregie ad Aquas Contradictionis fidem servaverit. Benedicitur *Beniamin*, qui ib. se Moysi dexteram seu « manum » exhibuerit. Sequitur *Ioseph*; in qua familia Iosue certe Moysi fidem servaverat, Manasse probabilius ab eadem defecerat, totus Ioseph ob fidem in deserto exhibitam non laudatur, tamen eidem confirmatur principatus a Iacob collatus, et specialis conceditur benedictio Iahve, « qui apparuit in rubo ». Quae omnia suadent, non solum Iosue, sed quadamtenus etiam tribum Ephraim in deserto de Moyse bene meritam esse. Dum igitur hae quatuor benedictiones illustriores merito affirmentur iis tribubus datae esse, quae Cadesae Moysi fidelius adhaeserint (Iuda, Levi, Beniamin, Ephraim), sequuntur v. 18-25 benedictiones quinque longe humiliores (Zabulon, Issachar, Dan, Nephthali, Aser, — Gad ferente maledictionem). Verum *maiorem* tribuum numerum Cadesae a Moyse defecisse, efficitur fere e v. 9 et Ps. 94(95), 8 sq. : ergo videntur ib. praeter Ruben, Simeon, Gad, Manasse, etiam illae quinque tribus ab eo secessisse.

Reapse benedictiones, quae secundum numerum distichorum (vel tristichorum) in tres denarios (v. s.) distribuuntur, si singularum benedictionum indoles perpendatur, distribuuntur in duas partes inaequales, ut duo denarii v. 6-17 sint earum tribuum, quae de Moyse melius, et unus denarius v. 18-25 sit earum tribuum, quae de Moyse minus bene meritae sunt. Ibi agmen ducit Iuda, hic, qui eius in castris socii fuere, Zabulon et Issachar. In altera parte reperiuntur tota *castra Dan*. Coniicio igitur, tribus eo fere ordine accipere suas benedictiones, quo magis minusve strenue in deserto Moysis partes tuitae sint, qui ordo quadamtenus coincidat cum ordine castrorum Num. 2. Fidissime per omnia Moysi adhaesit tribus Levi, inde ab Hesronis morte (CN p. 206 sq.) mox secuta item Calebo duce tribus Iuda. Beniamin videtur magis strenue egisse quam domus Ioseph, fortasse aliquamdiu ab ea est

divisus, dicens patri suo : Non considero etc. Zabulon et Issachar, fortasse aliquanto serius, exemplum secuti sunt fidei Iuda. Castra Dan, quod tam tenues ferant benedictiones, fortasse exstitere incertae et serae fidei. Sed castra Ruben Moysi fuere tota quanta infensa. Nota in singulis castris tribum unam ad locum praecedentiae veluti promoveri : in castris Iuda iam Zabulon antecedit Issachar, in castris Ephraim Beniamin antecedit universum Ioseph, in castris Dan Nephthali antecedit Aser. Domui Ioseph *praemitti* in benedictionibus eas tribus tres, quae post Salomonem effecere regnum Iuda, haud favet coniecturae recentiorum quorumdam, benedictiones editas esse ab auctore aliquo regni Israel incola.

Interpretes alii, etiam *Dr.*, ignorantes acta cadesiana, indolem nostri carminis minime sunt assecuti. « Benedictionum », inquit *Dr.*, « is est scopus indicare aliqua, quae cuiusque tribus indolem spectarent, studia, fines, essentque eius tribus maxime propria; imprimis adumbrare eius tribus in theocratia locum; item celebrare prosperitatem tam materialem quam spiritualem totius gentis, a Iahve in deserto inchoatam et in Chanaanitide auctam constanti sua protectione ». Haec finem carminis describunt perquam inaccurate : sc. Dr., antecessorum suorum vestigia secutus, benedictiones transformat in prophetias, et actorum cadesianorum ad carmen rationem vix non penitus ignorat.

3. *Benedictionum auctor* novit historiam apostasiae cadesianae, versatus erat in antiquis historiis Israelis, antequam ex illis acta cadesiana exciderentur (CN p. 213 sqq.; v. s. p. 166 sqq.) : profecto non est priore parte aevi regum recentior. Cap. 33 ita inter cap. 32 et 34 intercedit, ut, si tollatur, continuus tamen maneat eorum capitum contextus: id si unum perpendatur, non utique argumento est cap. 33 primitus eius narrationis fuisse partem; at neque argumento est, fuisse primitus ab eo contextu alienum; nulla quippe cernitur sutura, nullus hiatus. Si benedictiones primitus erant narrationi insertae, earum proprius locus erat post divinum mandatum conscendendi montis 32,48-52 et ante montis ascensum cap. 34. Uti alia pentateuchi documenta poetica, ita etiam cap. 33 esse reliqua narratione antiquius, facile concedunt etiam critici. Textus non prodit studium reddendi magis perspicuos archaismos; sunt plura ἅπαξ λεγόμενα, obscuritates plures. Fingat aliquis, hunc textum, qui elogium haberet Ioseph illustrius elogio Iuda, desiisse praelegi vel decantari, postquam domus Ioseph a regno Iuda secessit; tandem hoc documentum, quod vere mosaicum esset, in pentateuchum esse receptum. Tamen id ipse non affirmo, quod certiora rei argumenta non videam.

Distinguenda porro sunt cap. 33 *carmen* ipsum stichis digestum et *additamenta* prosaica : v. 1 et, quae singulis benedictionibus praefiguntur, notulae (« Levi quoque ait », etc.). Utique haec Moyses non pronuntiavit, dum tribubus benedicebat, sed vultu ad singulas tribus converso vel nomine pronuntiato, manifestabat, de quanam tribu

verba faceret. Tamen additamenta illa addita esse videntur, quando *primum* carmen scriptis mandabatur. Notulae v. 8.12 sunt omnino necessariae, ut perspiciatur, quemnam eae respiciant benedictiones; item notula v. 13, cum nonnisi prope finem sat longi eloquii nomen Ioseph scribatur. Qui primus carmen descripsit, debuit notulas illas describere, ut a lectoribus intelligeretur. Cf. *Dillm.*

Moysi auctori certe tribuunt *benedictiones* v. 1 et notulae illae, quae singulae Moysen supponunt subiectum. « Sine dubio is, qui scripsit v. 1, Moysen habebat carminis auctorem, eaque erat eius aevi communis opinio » (*Dillm.*). Moysen auctorem prodit item v. 23, ubi vates trans Iordanem subsistens Nephthali apprecatur sedes *occidentem* versus, incertus ipse eae sedes sintne attribuendae in parte *meridionali* an septentrionali cisiordanicae (v. i.). — Quod obiicit *Dillm.*, vatem supponere terram sanctam iam esse in potestate Hebraeorum, falsum est. Certissime fidit antiquis promissionibus; ceterum non eventura praenuntiat, sed fausta apprecatur. Vates aevo salomonico scribens (*Dillm.*) illustrius utique locutus esset de Iuda. Vates post aevum salomonicum scribens (*Ew.*, *Graf*, *Reuss* aliique) non ita extulisset Ioseph. Quae ratio illis temporibus erat tam severe invehendi in Gad? aut recolendi Iudae et Levi ad Aquas Contradictionis fortiter acta? Vates v. 8 sqq. de his rebus loquitur tamquam e recenti memoria.

Cum exstarent, inquiunt, benedictiones Iacob, conveniens visum est, ut traderentur etiam benedictiones aliquae a Moyse mox morituro profectae : ergo recentior aliquis eas concinnavit. Omnino concedo illud fuisse convenientissimum, ut post Iacob etiam Moyses populo benediceret : non est necesse recentiorem aliquem effingere, qui id perspexerit, cum Moyses ipse non potuerit id non perspicere. Praeterea, ubi primum innotuit, Moysen in montem abire iamiam moriturum, evidens est universum populum expostulaturum fuisse, ut sibi benediceret; quod si Moyses petentibus abnuisset, fuisset id maledictionis instar. Ergo praeter omne dubium benedixit Moyses populo : habet porro cap. 33 antiquissimas quasdam benedictiones, quas Moysi attribuit : ergo hae censendae sunt esse ipsae, quas Moyses pronuntiavit benedictiones, nisi eae iusto aliquo argumento demonstrentur non esse Moysis auctoris. Licet porro benedictiones Moysi tribuamus auctori, at non dicimus Moysen eas *scriptis* mandasse. Affirmatur is scripsisse thoram, canticum, non affirmatur scripsisse benedictiones. Quales a Moyse pronuntiatae erant, tales brevi post eas Iosue describendas curaverit.

Sed alia est quaestio, scripseritne Moyses *exordium* v. 2-7 et *epilo-*

gum v. 26-29, quae sunt iustae molis carmina habentia strophas binas. Iacob eiusmodi non adiecit suae benedictioni : neque tamen Moysi nefas fuit, hac in re parumper ab exemplo Iacob deflectere. Tamen verba v. 4 « thoram mandavit nobis Moyses », si a Moyse supponantur esse profecta, censeantur oportebit ab ipso esse concinnata ea mente, ut a choris recitarentur, dum ipse inter exordium et epilogum ipsas benedictiones esset pronuntiaturus. Habebis igitur Moysen, post acceptum divinum mandatum conscendendi montis, carmina condentem, choros instruentem, solemnitatem cum populo agentem : idque, postquam eodem die canticum solemniter explicavit. Videntur haec esse nimia, neque satis consonare divino mandato. Quando quem Deus iubet montem conscendere, licet ei utique amicis valedicere et benedicere, non vero carmina condere et solemnes scenas inaugurare. Fas igitur est dubitare, sintne exordium et epilogus a Moyse adscripta; quiquid defenderis, vera manent verba v. 1 « Haec est benedictio etc. ». Mox apud Hebraeos invaluerit mos earum benedictionum publice recitandarum. Quod quo solemnius fieret, concinnaverit propheta aliquis exordium illud et epilogum a choris pronuntianda. Habebis Deut. 33 benedictiones, quales post Moysen apud Hebraeos solemniter recitabantur, editionem non criticam, sed practicam et populi aedificationi magis accommodatam.

b. Commentarius.

Cap. *XXXIII* v. 1 « *Haec est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam* ». Est inscriptio generalis : singuli *filii Israel* deinceps appellantur; vel ex hoc patet, non potuisse h. l. scribi *omni Israel* (*Dillm.*), licet ea expressio 1,1 habeatur (qui versus non est auctoris D) et auctori D affirmetur esse usitatissima. Proxime voce *filii* intelliguntur tredecim patriarchae, utique cum tribubus ex ipsis natis. *Homo Dei* vocatur Moyses etiam Ios. 14, 6; Ps. 89 (90), 1; itaque vocantur *prophetae* Iud. 13,6.8; 1 Reg. 2,27; 9,6; 3 Reg. 12,22; 13,1 sqq. etc. De parentibus brevi morituris filios convocantibus eosque supremum alloquentibus et benedictionem largientibus dicebamus ad Gen. 49.

Exordium v. 2-5.

Stropha : Iahve a Sinai Cadesam usque acta v. 2.

v. 2. Iahve de Sinai venit, — et ortus est de Seir populo suo (?),
refulsit de monte Pharan, — et venit ad Aquas Contradictionis (?) Cades.
Ad dexteram eius ignis. . . . .
. . . . eis (?).

Antistropha : Iahve Cadesae Israeli reconciliatus v. 3-5.

v. 3. Profecto gratiam exhibuit populo suo, — sanctis suis omnibus benedixit : ipsi autem prehenderunt pedes eius, — et profecti sunt in medium desertum.
v. 4. Thoram mandavit nobis Moyses, — haereditatem ecclesiae Iacob;
v. 5. factusque est super Ieschurun rex — in reconciliatione capitum populi, — omnium tribuum Israel.

Arg. — Iahve a Sinai Cadesam usque processit portentis refulgens, [ibique Israelem apostatam iudicavit]. Postea Israelem in gratiam recepit, Israel ad Iahve obsequium rediit. Cui duo iam erga Iahven officia sunt praestanda, ut *legem* servet Iahvenque *regem* vereatur.

v. 2 « *Et ait : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia* ». Emphatice orditur oratio a nomine *Iahve*. Vel ipse parallelismus demonstrat, קדש non esse vertendum *sancti* (*Symm. Aq. Vulg. Chald. Syr.*), sed *Cades* (*LXX*), i. e. Cades Barnea Num. 20,1. Hinc rursum patet, רבבת non esse *myriades* (*Aq. LXX Vulg. Chald. Syr.*), sed similiter atque praecedens הר describere *locum*.

Erit igitur רבבות (*Sam.*; cf. ***Masor.***) fortasse forma fem. eiusdem significationis atque masc. רביבים (32,2), *fluenta;* atque ita revocamur ad portentum aquarum e rupe elicitarum ad Aquas Contradictionis prope Cadesam. Cum tamen illa forma fem. secus non legatur, perpendendae etiam sunt leves quaedam textus emendationes, quas varii proposuere. Pro מרבבת קדש *Ew.*, *Dillm.* במרבת קדש, ***de Meribah Cades***; quae emendatio videtur consonare parallelismo, quartum recensens locum, ***unde*** venerit Iahve; obscuratur tamen parallelismus eo, quod ***montibus*** tribus adscribatur locus quartus, cuius non elevatio sed aquae celebrari consuevere. Praeplacet fere emendatio *Wellh.* (Prol. p. 364) et *Dr.* מריבת קדש : de Sinai, Seir et Pharan venerunt ***Meribam Cades*** : ita edocemur tandem, non solum *unde*, sed etiam *quo* Iahve processerit. Tamen מריבה secus (excepto Ps. 94[95],8) semper praefixum habet מי : quare optima fortasse emendatio erit מי מרבה קדש, ***ad Aquas Contradictionis Cades.***

Ubi primum autem concesseris agi de loco *Cades*, lectionem *Hebr.* ואתה, *et venit*, anteferes lectioni vel potius orthographiae seu punctationi, *Sam. LXX Vulg. Chald. Syr.* ואתו, *et cum ipso*. Quam primum commendat parallelismus; et praeterea, quid sibi vult : et cum eo *de* sanctorum millibus (cf. *Aq. Syr.*)? Quod מ, *de* non expressere *LXX Vulg. Chald.* Habent porro medio versu *Hebr. Sam. Symm.* למו : ortus est *eis*. Sed quinam sunt illi *eis*, ad quorum commodum procurandum ortus est ille divinus sol? Utique Israelitae, sed dura constructio. Sensum certe clarius expressere, fortasse etiam genuinam lectionem sequuntur *LXX Vulg. Chald. Syr.* : לנו, *nobis*. Pro-

babilis item emendatio *A. v. Gall* (Altisr. Kultstätten, Giessen 1898, p. 11) לעמו, *populo suo*, quacum conferas עמו v. 3 secundum LXX.

Appellantur igitur itineris per desertum stationes quatuor, ubi maxime gloriose manifestatus est Iahve, non eo quidem ordine, quo Hebraei illas attigere, quod in poetica enumeratione nequaquam requirebatur : mons Sinai, mons Seir (Num. 20 sq.), desertum Pharan cuius pars potissimum septentrionalis collibus obsita est, tandem Cades. Iahve solis instar *oritur, refulget* atque ita gloriose incedens Cadesam pervenit. Et nota, uti Deut. 1, ita etiam h. l. describi iter non ab Aegypto, sed a Sinai Cadesam usque.

« *In dextera eius ignea lex* ». אש דת, *ignis legis*, expressio insueta, vocum ordo durus, דת vox persica post exsilium in sermonem hebraeum importata. Codices multi legunt unicam vocem אשדת, *montana, clivus* : sed statum constructum אשדת nequit excipere pronomen למו (*Hebr. Sam.*), quod a *Vulg. Syr.* omittitur, *LXX* legentibus עמו : quid autem sunt *montana populi sui*? Textus indubie est corruptus, truncatus; consentio ei, quod mihi suggerit *I. K. Zenner S. I.*, integram fere stropham h. l. excidisse. Sc. quandocunque Deut. 33 oratio incalescit, fluit illa strophis symmetrice dispositis. Iamvero in exordio, quale nunc legitur, deest symmetria : strophae quinque stichorum (v. 2), quae Iahve adventum cadesianum describit, opponuntur duae quaternorum stichorum strophae, quae eius in Israelem beneficia celebrant. Quatuor priores stichi v. 2 certe efficiunt stropham unam, quia eandem ideam parallelis stichis explicant : at quintus stichus, si eidem strophae attribuatur, prorsus claudicat, ab illa idea certe est alienus, ideoque neque considerari potest tamquam tertius stichus alicuius tristichi stropham primam concludentis. Neque ita difficile est indicare ideam, quam debuerit evolvere stropha illa, quae excidit.

v. 2^{a-d} nobis Iahven de Sinai Cadesam procedentem describit, v. 3-5 eius ib. cum Hebraeis redintegratum favorem, v. 2^{e} seu secunda stropha vocibus incipiens *in dextera eius ignis*, describebat Iahvae ib. in populum pervicacem severum iudicium, populi a Iahve apostasiam. Cuius strophae iam non supersunt nisi initium primi stichi (מימינו אש) et extremum quarti stichi (...דת למו). Praecisa est haec stropha, sicuti praecisam suggerebamus (CN p. 213 sqq.) narrationem Num. Potuere autem, quae excisa sunt, esse similia eorum, quae leguntur Am. 5,25 sq.

v. 3 « *Dilexit populos* ». Non agi de *populis* sed de *populo suo* (*LXX*; quod idem exprimit *Chald.* vertens *tribus*), totus contextus clamat : etenim *sancti* certe sunt soli Hebraei, ipsi soli *appropinquant pedi-*

bus etc. חבב ἅπαξ λεγόμενον, in linguis arab. et aram. significationem habens *diligendi* : *LXX* ἐφείσατο supponere videtur formam חנן (etiam Ex. 33,19 etc. cum accusativo), atque reapse literae ב et נ in antiqua scriptura simillimae sunt inter se. Ergo : *Profecto gratiosum se exhibuit populo suo.* — « *Omnes sancti* » *eius* (*Hebr. Sam. Syr.*) « *in manu illius sunt* ». *Syr.* ברך, *benedixit*, unde facile explicatur corruptio in בידך (*Hebr. Sam. LXX*) corruptionisque emendatio in בידי (*Vulg.*; cf. *Chald.*) : benedixit Iahve, benedicit iam etiam (v. 1) Moyses. Cf. Num. 23,8.

« *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius* ». Corruptus utique est textus, imprimis quoad suffixa. Variorum tentamina v. apud Dillm. והם תכו לרגלך ישא מדברתיך. Pro *pedibus eius* (*Vulg.*), quod utique contextui consonat, *Hebr. Syr. pede tuo, Sam. pedibus tuis.* Verbum תכה secus non occurrit. *Aq.* ἐπλήγησαν, cui respondet forma יכו a נכה; atque fortasse hoc verbum, similiter atque synonymum נגע, a *percutiendi* ad *prehendendi* significationem descendit (*Vulg. Syr.*). Pro ישא *Sam.* וישאי, unde colligitur genuina lectio וישאו, ad quam revocantur *Aq. Vulg. Chald. Syr.* Sed quid est *accipere de eloquiis* divinis (*LXX Aq. Vulg.*)? nonne *omnia* divina eloquia accipit Israel? נשא item intransitive construitur Ps. 88(89), 10; Nah. 1,5, significatione *assurgendi*, hinc *proficiscendi* (Num. 10, 33 etc.) : *profecti sunt ad verbum tuum* (*Chald.* et cf. 2 Par. 36,12). Supponenda erit forma fem. poetica דברה pro דבר, rursumque admirationem facit suffixum (*Hebr. Sam. tua, Chald. Syr. tuum, LXX Vulg. illius*). Stichus item exigit voces tres potius quam duas. Suggero levem emendationem וישאו תוך מדבר, *profecti sunt in medium desertum.* Hebraei 37 annis divisis castris substiterant circa Cadesam futurasque Simeonitarum sedes, in tractu minus deserto eo, qui Cadesa porrigebatur versus Sinai et Asiongaber (Num. 33,35). Redintegratam erga Moysen fiduciam eo potissimum testati sunt Hebraei, quod e locis fertilioribus rursus Moyse duce in loca magis deserta secesserint, ad Sinum Aelaniticum descenderint, montem Seir circumierint.

Ergo v. 2 sq. gravissima Iahve acta breviter et nervose resumit : imagine solis omnibus suam lucem affundentis exhibet beneficia Israeli a Sinai Cadesam usque collata; meminit severi iudicii Iahve in apostatas; restitutum Cadesae foedus atque inde resumptum per desertum iter commemorat. Alia minus gravia, cladem Sehoni inflictam etc. reticet vates, atque illico transit v. 4 sq. ad describendam post restitutum Cadesae foedus Israelis ad Iahven relationem : sc. duo potissimum emolumenta Israeli contulit Iahve, e quibus conse-

quuntur Israelis officia omnia, *legem* et *regnum*. Hebraei in Aegypto fuerant non-populus, caruerant lege et rege. Utrumque eis in Sinai monte concesserat Iahve, utrumque abiecerant Cadesae, utrumque post plurium annorum poenitentiam Iahve illis gratiose restituit. v. 4 « *Legem praecepit nobis Moyses* », — quod לנו commendat lectionem לנו v. 2, pro priore apud Hebr. למו — « *haereditatem multitudinis* » seu *ecclesiae* (*Hebr.*) « *Iacob* », « ad posteros transituram » (*Sa*). תורה non est lex indeterminate, sed concrete accepta, *thora*, documentum foederis restituti. Quae utique est etiam *tota* Israelis lex, cum quartum pentalogi mandatum omnes leges antea latas confirmet. Admirationem facit vox *Moyses*, quam omnes textus habent, quae tamen facillime oriri potuit corruptione vocis proxime sequentis : משה — מורשה. Sc. v. 3ᵃ.4 enarrantur, quae *Iahve* fecit pro populo. Tamen v. 4 etiam praeparat transitum ad sequentes benedictiones, quas Moyses proloquitur : quare non ausim vocem eliminare. v. 5 « *Erit apud rectissimum rex* ». Sed *Hebr.*, quem contra *LXX Vulg. Syr.* recte exprimunt *Sam. Theod. Chald.* : *Fuit*, constitutus est et consequenter nunc *est*. Non agitur de regno aliquando instituendo, sed de regno Iahve, qui iam in medio populi sui habitat tamquam rex. Porro per ישרון intelligi Israelem habes ex 32,15. Factus est autem Iahve rex, pro rege acceptatus est « *congregatis principibus populi cum tribubus Israel* », cum illi se contulissent ad montem Sinai, ibi de solemni foedere cum Iahve acturi; ab omnibus ibi libere agnoscebatur, ergo certissimum eius ius. Vel potius, cum v. 2 sq. iam habeamus populum a Sinai Cadesam devectum, ibique post apostasiam Iahvae reconciliatum, cumque v. 4 habeamus mentionem thorae post eam reconciliationem populo tandem concessae, referas verba non ad acta apud Sinai, sed ad reconciliationem cadesianam foederisque restitutionem : *quando in unum adunati sunt principes populi*, qui antea in factiones fuerant divisi, *universae tribus Israel*. Per apostasiam abiecerant Iahven *regem* eiusque foedus sinaiticum abdicaverant : in reconciliatione rursum Iahven agnovere *regem*, et *thoram* restituti foederis documentum accepere. Aequum profecto erat, ut rex, qui abiectus primum esset ac postea receptus, redintegrato foederi iam adnecteret *maledictionem* (29,12.14).

v. 4 מורשה inquit *Dr.*, secus solum adhibetur de possessione *terrae* : Ex. 6.8; Ez. 11,15; 25.4.10; 33,24;36,2.3.5; dum נחלה etiam de aliis praedicatur, cf. Ps. 118 (119),111. Textus illi sunt pauci, מורש Iob 17.11 certe non de terra scribitur. Non ergo ausim h. l. textum emendare. — Idem monet fem. קהלה solum legi 2 Esdr. 5,7 : omnino, verum in textu in pluribus defigurato neque placet propter unicum ת stichum confodere.

Ruben et Iuda v. 6 sq.

v. 6 Vivat Ruben et non moriatur, — sintque pauci viri eius.
v. 7 Audi, Iahve, vocem Iuda, — et ad populum suum perduc eum.
Pro eo decertavit manus eius : — ideo adiutor sit de inimicis eius.

Arg. — Confirmatur Iacobi Gen. 49,4 in *Ruben* sententia, ut perduret quidem tribus, sed numeris infirmetur, itaque vel ipsa etiam rerum natura a principatu excludatur. — Principatus *Iudae* promissus ut in effectum deducatur, rogatur. Pro causa Israelis in deserto fortiter defensa aequum est, ut Iuda ex officio constituatur Israelis defensor.

Apte versui 6 sq. praemittebatur v. 5. Sc. Israelis rex invisibilis est Iahve; regnum humanum nondum instituit, sed instituet : merito interim quaeritur, cuinam tribui regnum reservetur. Respondetur negative et positive : non Rubeno sed Iudae. Nihil Rubeno benedictionis confertur, praeter illud *non moriatur.* v. 6 « *Vivat Ruben et non moriatur* », « non deficiat in successione » (*Cai.*), tribus permaneat, « *et sit parvus in numero* ». *Hebr.* : *et sint viri eius numerus*, gens numerosa, inquit *Theodoret.* : sed expressio usitata ad exprimendum magnum numerum, est « non esse numerum », i. e. non posse numerari. *Sa* putat praecedentem negationem huc etiam esse trahendam : non moriatur neque sit parvus numero. Sed obest repetitum post negationem verbum יְהִי. Recte pronuntiat *Mar.*, Moysen alludere ad iacobaeum illud « non crescas ». Vaticinia iacobaea non emendat h. l. Moyses : vaticinium quippe in Levi editum Gen. 49, 5 sq. ante iam emendaverat ipse Deus vocans Levi ad cultum sanctuarii. Recte vertit Vulg.

Principatum non Rubeno reservari sed Iudae, distinctius enuntiaverat Iacob Gen. 49,8 sqq.; sed Moyses non edit vaticinium, sed benedictionem, vaticinium iacobaeum notum supponit ideoque rem brevius absolvit. v. 7 « *Haec est Iudae benedictio* ». *Hebr.* : *et hoc Iudae, et dixit*, constructio apocopata, quam emendavere *LXX* : *et hoc Iudae*, et *Syr.* : *et hoc dixit Iudae*. Prima haec particularis inscriptio pronomine demonstrativo introducitur : *hoc Iudae*; quia vero reliquae omnes a voce *dixit* ordiuntur, eadem vox etiam h. l. adscribitur. Hoc igitur incisum non est carminis pars. « *Audi, Domine, vocem Iudae* ». Emphatice rursum (cf. v. 2) nomen *Iahve* scribitur, qui ad tam celsam dignitatem iam per patriarcham Iacob Iudam vocaverat : debet sane *audire*, qui idem vocavit. « *Et ad populum suum introduc eum* ». *Hebr.* : *fac eum venire*. Edici putat *Chald.*, ut

Iuda e bellis parta victoria ad sua redeat. Bellorum nulla in textu habetur mentio. Neque sensus est, ut Iuda i. e. messias veniat ad populum suum (*Cai.*). Neque, ut Iuda parte terrae sanctae sibi promissa feliciter potiatur (*Mar.*) : aliud est terra, aliud est populus; populum suum i. e. Iudaeos habebat Iuda, etiam antequam finibus potiretur; an non aequo iure id cuilibet tribui apprecaturus erat Moyses? Verba supponunt, Iudam ad populum suum nondum venisse : non ideo respiciunt tempus regnorum Iuda et Israel, quo pius quisque ut Iuda omnibus rursum tribubus imperaret exoptabat. Neque verba produnt factum (*Graf*), Roboamo rege proprie non Israelem a Iuda, sed Iudam ab Israele defecisse, h. l. exprimi desiderium, ut Iuda ad officium redeat et rebellionem componat : etenim hoc factum totum est fictum. Utique « praenuntiatur regnum davidicum » (*Theodoret.*). Agitur de principatu, quem non fore Rubeni modo insinuaverat Moyses; notum supponit vaticinium iacobaeum Iudae principatum promittens : ergo totus Israel est populus Iudae, ei tamquam principi subditus destinatus : Introduc eum tamquam regem ad populum suum.

Verum, quaenam est illa *vox* Iudae, quam Iahve ut *audiat* rogatur? *Chald.* interpretatur Iudae orationem pro felici belli eventu, *Men.* pro obtinendis finibus propriis, *Cai.* desiderium messiae, *Tir.* desiderium promissi principatus. Merito supponitur Iuda hunc principatum sibi promissum totis votis expetere. Ita arctior habetur parallelismus inter primum et secundum stichum : idem re est audire seu exaudire, et perducere. Ceterum non omnia eius aevi facta nobis sunt satis perspecta. Quodsi, uti CN p. 206 sq. suggerebamus, Caleb Iudaeus plurimum contulit paci Cadesae redintegrandae, eoque duce veluti *vox Iudae* alias tribus ad officium revocavit, belle vicissim rogatur Iahve, ut audiat vocem Iudae expetentis promissum sibi principatum. Sed haec non satis certa.

« *Manus eius pugnabunt pro eo* ». ידיו רב לו; *Sam.* ידו ריב לו. E contra *LXX Symm. Aq. Vulg. Syr. Chald.* vertunt optativum : *manus eius pugnet pro eo*, manus sc. Iudae pro populo suo, « *et adiutor illius contra adversarios eius erit* », *sitque* Iuda *adiutor de hostibus eius*, sc. populi. Praeeat in bello, quod potissimum regis est. Fateor tamen versionem illam LXX etc., quod sit facilior, critica suspicione haud carere; imo fortasse LXX etc., idem adamussim legentes atque Hebr. Sam., analogia duorum verborum praecedentium et verbi immediate sequentis inducti sunt, ut verbum etiam רב interpretarentur optativum. Textus porro Hebr. Sam. vertendus erit ita : *Manus eius* (Iudae) *pugnavit pro eo* (pro populo suo) : ideo *sit* idem

Iuda *adiutor* populi sui *de inimicis eius*, insignitus sceptro illi a patriarcha Iacob praenuntiato; seu, quod in idem recidit : *quia manus eius pugnavit pro eo, ideo etc.* Quaeres, ubinam Iuda pugnaverit pro populo : annon id praestitit in magna illa in deserto apostasia, quando duce Calebo fideliter adhaesit Moysi et Iahve (cf. CN p. **206** sq.)? Ergo, sicut v. 8 sqq. propter fidelitatem in ea apostasia laudatur Levi, ita v. 7 ob similem fidem laudetur Iuda.

Levi v. 8-11.

Stropha 1ª : Urim et Thummim creditur Levi v. 8.9ª.

v. 8 Thummim et Urim tuum viro favoris tui, — quem probasti apud Massa, — pro quo sententiam tulisti apud Me Meribah;

v. 9 qui dixit patri suo et matri suae : Non considero, — et fratres suos non respexit, — et filios suos nescivit.

Stropha 2ª : Munus docendi et ad altare litandi creditum Levi v. 9ᵇ.10.

Quia custodierunt eloquium tuum — et foedus tuum servaverunt,
v. 10 docebunt iudicia tua Iacobum — et thoram tuam Israelem,
ponentque thymiama in nares tuas — et holocaustum super altare tuum.

Stropha 3ª : Benedictio pro Levi rogatur v. 11.

v. 11 Benedic, Iahve, Levi — et opus manuum eius acceptum habe;
percute dorsum assurgentium in eum — et osores eius ita, ut non resurgant.

Arg. — Levi apud Aquas Contradictionis, postpositis carissimis quibusque, Iahve et Moysi fidem servavit : illi igitur creditur Urim et Thummim, munus docendi sacrisque litandi. Exoptatur ei Iahve benedictio.

Strophae sunt specie tenus inaequales, re aequales : nam tristicha duo aequivalent distichis tribus. Est utique utriusque tristichi stichus primus longior, quatuor solidas habens voces. Difficultas haec, si qua est, fortasse ita explanari potest. Generatim scribitur *Urim et Thummim*, v. 8 *Thummim et Urim* : sc. scribebatur primum solum *Thummim*, sicut Num. 27,21 et 1 Sam. 28,6 legitur solum *Urim*; cui recentior quidam adscribendum censuit ואוריך, *et Urim tuum*. v. 9 ולאמו pie adscribi potuit ab aliquo, qui censeret matrem secus patrem non debere taceri.

v. 8 uti v. 7 oratio ad Iahven dirigitur : ad Iahven quippe pertinet *Urim et Thummim* (*Symm. LXX Vulg.* : *perfectio et doctrina*), ad solum Iahven referri possunt suffixa in *eloquium tuum, pactum tuum*. Ex quo fere effici videtur, primitus etiam benedictionem Levi immediate secutam esse benedictionem Iuda. v. 8 « *Levi quoque ait* : *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in ten-*

tatione et iudicasti ad Aquas Contradictionis ». Falso *LXX* initio sententiae praefigunt Δότε, et omnia suffixa pervertunt. לאיש חסידך est *viro sancti tui*, ergo sane Moysis : constructio dura, obscura, Moyses non consuevit se ipsum eiusmodi epithetis laudatoriis celebrare. Fortasse legendum איש חסדך, *viro favoris tui*, viro quem elegisti : Urim et Thummim libera Dei electione collata sunt Levi. *Levi*, uti patet, collective intelligitur, est ipsa tribus, quae in persona Aaron gestat Urim et Thummim seque Moysi fidelem exhibuit primum in *Massa*, quod Ex. 17,7 (v. s. ad Deut. 6,16) est nomen proprium loci, ubi primum aqua e rupe eliciebatur, Deut. 9,22 copulatur nominibus propriis Tabera et Qibroth ha-Taawa (Num. 11,3.34) : ergo h. l. copulatum nomini proprio Me Meribah = Aquae Contradictionis item accipiendum est pro nomine proprio. Dices : Quomodo Massae specialem prae ceteris laudem meruit Levi? Respondeo id, quomodo factum sit, Ex. 17 nos haud edoceri; certissime factum esse h. l. edocemur. Sc. non omnia, quae facta sunt, in pentateucho, qualis nunc est, distincte narrantur (cf. *Dr.*). Cum porro verbum תריבהו utique (cf. v. 9) laudem habeat Levi, noli vertere *contra quem pugnasti*, sed *pro quo pugnasti* (*Wellh.*); quae expressio, quando veram respicit pugnam (cf. v. 7), habet ל, quando respicit contentionem coram iudice, habet accusativum (Is. 1,17; 51,22) : ergo recte *Vulg. iudicasti* (cf. *Syr. Chald.*). Probavit autem Iahve Levim ad Aquas Contradictionis et pro eo sententiam tulit, quando concesso tandem portento aquae e rupe elicitae comprobavit causam Moysis et Aaronis, a quorum partibus stabat tribus Levi.

Sed accuratius describitur haec fides Levi v. 9 : « *Qui dixit patri suo et matri suae : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos* ». Lectio genuina est ראיתי (*Sam.*), *video, considero*, quam explicantes varia adscripsere suffixa : *LXX te, Vulg. vos*. Reduplicato sequentis vocis ו initiali orta est lectio *Hebr. Syr.* ראיתיו. Reliqua duo verba non sunt orationis directae, sunt tertiae, non primae personae : *non respexit, nescivit*. Apud Massa, et potissimum apud Me Meribah, postposita omni consanguineitatis ratione, repudiatis vel iis aliarum tribuum hominibus, qui Levitis essent instar parentum, filiorum, fratrum, tribus Levi Moysi adhaesit. Fuit ergo apud Me Meribah dissidium tribuum, in quo tribus Levi e tribubus sola, aut certe fere sola et ceteris quibusque fidelius, Moysi adhaeserit. Secus enim non esset sufficiens ratio solius tribus Levi ob eam fidelitatem commendandae. Et reapse ita reprehenduntur Ps. 94 (95),8 sq. tribus reliquae ob acta sua apud Meribah, uti h. l. propter sua ib. acta commendatur Levi : Nolite obdurare corda vestra sicut in *Meribah*,

Iuda *adiutor* populi sui *de inimicis eius*, insignitus sceptro illi a patriarcha Iacob praenuntiato; seu, quod in idem recidit : *quia manus eius pugnavit pro eo, ideo etc.* Quaeres, ubinam Iuda pugnaverit pro populo : annon id praestitit in magna illa in deserto apostasia, quando duce Calebo fideliter adhaesit Moysi et Iahve (cf. CN p. 206 sq.)? Ergo, sicut v. 8 sqq. propter fidelitatem in ea apostasia laudatur Levi, ita v. 7 ob similem fidem laudetur Iuda.

Levi v. 8-11.

Stropha 1ª : Urim et Thummim creditur Levi v. 8.9ª.

v. 8 Thummim et Urim tuum viro favoris tui, — quem probasti apud Massa, —
pro quo sententiam tulisti apud Me Meribah;

v. 9 qui dixit patri suo et matri suae : Non considero, — et fratres suos non respexit, — et filios suos nescivit.

Stropha 2ª : Munus docendi et ad altare litandi
creditum Levi v. 9ᵇ.10.

Quia custodierunt eloquium tuum — et foedus tuum servaverunt,
v. 10 docebunt iudicia tua Iacobum — et thoram tuam Israelem,
ponentque thymiama in nares tuas — et holocaustum super altare tuum.

Stropha 3ª : Benedictio pro Levi rogatur v. 11.

v. 11 Benedic, Iahve, Levi — et opus manuum eius acceptum habe;
percute dorsum assurgentium in eum — et osores eius ita, ut non resurgant.

Arg. — Levi apud Aquas Contradictionis, postpositis carissimis quibusque, Iahve et Moysi fidem servavit : illi igitur creditur Urim et Thummim, munus docendi sacrisque litandi. Exoptatur ei Iahve benedictio.

Strophae sunt specie tenus inaequales, re aequales : nam tristicha duo aequivalent distichis tribus. Est utique utriusque tristichi stichus primus longior, quatuor solidas habens voces. Difficultas haec, si qua est, fortasse ita explanari potest. Generatim scribitur *Urim et Thummim*, v. 8 *Thummim et Urim* : sc. scribebatur primum solum *Thummim*, sicut Num. 27,21 et 1 Sam. 28,6 legitur solum *Urim*; cui recentior quidam adscribendum censuit ואוריך, *et Urim tuum*. v. 9 ולאמו pie adscribi potuit ab aliquo, qui censeret matrem secus patrem non debere taceri.

v. 8 uti v. 7 oratio ad Iahven dirigitur : ad Iahven quippe pertinet *Urim et Thummim* (*Symm. LXX Vulg.* : *perfectio et doctrina*), ad solum Iahven referri possunt suffixa in *eloquium tuum, pactum tuum*. Ex quo fere effici videtur, primitus etiam benedictionem Levi immediate secutam esse benedictionem Iuda. v. 8 « *Levi quoque ait* : *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in ten-*

tatione et iudicasti ad Aquas Contradictionis ». Falso *LXX* initio sententiae praefigunt Λόγε, et omnia suffixa pervertunt. לאיש חסידך est *viro sancti tui*, ergo sane Moysis : constructio dura, obscura, Moyses non consuevit se ipsum eiusmodi epithetis laudatoriis celebrare. Fortasse legendum איש חסדך, *viro favoris tui*, viro quem elegisti : Urim et Thummim libera Dei electione collata sunt Levi. *Levi*, uti patet, collective intelligitur, est ipsa tribus, quae in persona Aaron gestat Urim et Thummim seque Moysi fidelem exhibuit primum in *Massa*, quod Ex. 17,7 (v. s. ad Deut. 6,16) est nomen proprium loci, ubi primum aqua e rupe eliciebatur, Deut. 9,22 copulatur nominibus propriis Tabera et Qibroth ha-Taawa (Num. 11,3.34) : ergo h. l. copulatum nomini proprio Me Meribah = Aquae Contradictionis item accipiendum est pro nomine proprio. Dices : Quomodo Massae specialem prae ceteris laudem meruit Levi? Respondeo id, quomodo factum sit, Ex. 17 nos haud edoceri; certissime factum esse h. l. edocemur. Sc. non omnia, quae facta sunt, in pentateucho, qualis nunc est, distincte narrantur (cf. *Dr.*). Cum porro verbum תריבהו utique (cf. v. 9) laudem habeat Levi, noli vertere *contra quem pugnasti*, sed *pro quo pugnasti* (*Wellh.*); quae expressio, quando veram respicit pugnam (cf. v. 7), habet ל, quando respicit contentionem coram iudice, habet accusativum (Is. 1,17; 51,22) : ergo recte *Vulg. iudicasti* (cf. *Syr. Chald.*). Probavit autem Iahve Levim ad Aquas Contradictionis et pro eo sententiam tulit, quando concesso tandem portento aquae e rupe elicitae comprobavit causam Moysis et Aaronis, a quorum partibus stabat tribus Levi.

Sed accuratius describitur haec fides Levi v. 9 : « *Qui dixit patri suo et matri suae : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nescierunt filios suos* ». Lectio genuina est ראיתי (*Sam.*), *video, considero*, quam explicantes varia adscripsere suffixa : *LXX te, Vulg. vos*. Reduplicato sequentis vocis י initiali orta est lectio *Hebr. Syr.* ראיתיו. Reliqua duo verba non sunt orationis directae, sunt tertiae, non primae personae : *non respexit, nescivit*. Apud Massa, et potissimum apud Me Meribah, postposita omni consanguineitatis ratione, repudiatis vel iis aliarum tribuum hominibus, qui Levitis essent instar parentum, filiorum, fratrum, tribus Levi Moysi adhaesit. Fuit ergo apud Me Meribah dissidium tribuum, in quo tribus Levi e tribubus sola, aut certe fere sola et ceteris quibusque fidelius, Moysi adhaeserit. Secus enim non esset sufficiens ratio solius tribus Levi ob eam fidelitatem commendandae. Et reapse ita reprehenduntur Ps. 94 (95),8 sq. tribus reliquae ob acta sua apud Meribah, uti h. l. propter sua ib. acta commendatur Levi : Nolite obdurare corda vestra sicut in *Meribah*,

sicut in die *Massa* in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me et viderunt opus meum (cf. Deut. 32,4.27).

Graf aliique censuere, verba *qui dixit etc.* non esse vertenda praeteritis sed exprimere eam animi dispositionem, qua Levitas semper deceat esse paratos ad humana quaeque sacris suis officiis postponenda. Sed ea interpretatio contextu excluditur. v. 8 unam recensebat rationem dignitatis Levitis collatae et nunc confirmatae, fidelitatem tempore ante acto apud Massam et Meribam exhibitam; altera v. 9 pars rursum recenset aliquam eiusdem rei praeteritam rationem; ergo item prior v. 9 pars recenseat oportet aliquam collati privilegii praeteritam rationem. Est idem sensus maxime obvius formarum verbalium האמר, הכיר, ידע, quas ideo tantum de futura aliqua animi dispositione interpretati sunt Graf etc., quod acta apud Meribam non habuerint satis perspecta. Duo tristicha v. 8.9ª intime iungenda sunt inter se, ergo ad idem factum praeteritum referantur necesse est. Persensit *Dr.*, ad aliqua h. l. alludi Hebraeorum acta nobis non satis perspecta; putavit verba *qui dixit etc.* primum enuntiare generosam illam animi dispositionem, qua Levitas affectos esse deceat, simul vero alludere ad eorum praeteritam Ex. 32 generositatem : sed nulla est ratio alius h. l. generositatis appellandae praeter eam, quam Massae et Meribae Levitae exhibuere.

Quoniam «[*hi*] *custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt* ». Coordinant haec duo incisa etiam *LXX Chald. Syr.* ינצרו pro יצרו in pausa cf. Prov. 2,11; 5,2; Ps. 60(61), 8; 77(78),7; 104 (105), 45. Ceterum potuit etiam י initiale errore voci accrescere, ut primitus fuerit נצרו correspondens praecedenti שמרו. Quod si nolueris admittere debebis tueri auctorem primum cogitasse expressionem יצרו בריתך, dein inverso verborum ordine tamen retinuisse verbi formam eam, quae proprie conveniret ו consecutivo : ובריתך ינצרו. Quaeritur porro, illa duo incisa trahendane sint ad praecedentia an ad sequentia. Ad priora trahit interpunctio, quae nunc est in *Hebr. Sam. Chald. Syr.* Datur igitur ratio, cur v. 8 illis Urim credatur : *quia* custodierunt etc., habebunt Urim. Vel resumuntur, quae v. 8ᵇ.9 dicebantur : *profecto* custodierunt etc. Possunt tamen etiam illa incisa (cf. *Vulg.*), et fortasse aptius, trahi ad sequentia : *quia* custodierunt etc., ex officio docebunt et sacris litabunt. Ceterum sensus manet fere idem, totaque tandem quaestio divisione stropharum dirimitur.

v. 10 *Docebunt* « *iudicia tua, o Iacob, et legem tuam, o Israel* ». Dele vocativos : docebunt Iacobum iudicia tua, et Israelem thoram tuam; suffixa uti antea ad Iahve referuntur. In praemium fidei primum ex officio erunt doctores populi (cf. Os. 4,6; Mich. 3,11; Mal. 2,7 sqq. etc. — *Calm.*), secundo erunt ministri sacrorum : « *ponent thymiama in furore tuo* » — verte *in naribus tuis* : incensi quippe fragrantia delectabatur numen, eamque veluti naribus hauriebat —

« *et holocaustum super altare tuum* ». Concludit benedictio appellato rursum nomine Iahve : v. 11 « *Benedic, Domine, fortitudini eius* ». Sed potius cum *Chald.* verte *possessioni eius* (cf. Gen. 34,29; Iob 20,15; Deut. 8,17 sq.; Ruth 4,11; Prov. 31,29); prosperitatem etiam opum apprecatur Levitis, quorum opes cum imprimis constent primitiis et decimis, non poterant eae florere, nisi simul totius populi florerent res. « *Et opera manuum illius suscipe* », opera cultus. Sequitur benedictionis pars negativa : « *Percute dorsa inimicorum eius* » — *Hebr.* : *consurgentium in eum*, ludit cum sequente *consurgant* — « *et, qui oderunt eum, non consurgant* ». *Hebr.* : *et osorum eius, ita ut non consurgant.* Cuius *coxa* vulneratur, is assurgere nequit.

Beniamin v. 12.

v. 12 Manus : manus Iahve — requiescat secure super ipsum,
impendens si tota die, — inter humeros eius quiescat.

Arg. — Beniamino, qui forti *manu* Moysis partes tuitus est, apprecatur vates, ut *manu* Iahve constanter protegatur.

v. 12 « *Et Beniamin ait* : *Amantissimus Domini habitabit confidenter, in eo* [*quasi in thalamo*] *tota die morabitur*, *et inter humeros illius requiescet* ».

חפף ἅπαξ λεγόμενον. Cum *Vulg.* (*quasi in thalamo morabitur*) consentit *Aq.* παστώσει; cum *LXX* (σκιάζει) consentiunt *Theod.* σκεπάσει, *Chald. erit protectio*, *Syr.* מרחף a רחף, *ferri supra, impendere* (an forte genuina lectio רחף pro חפף?). Versiones igitur voci significationem tribuunt fere synonymam verbi שכן. — Varii codices hebraei omittunt secundum עליו; habent illud quidem textus recepti omnes, sed prius עליו ignorant *Sam. Syr.*, *LXX* pro eo legentibus uti crediderim עליון. — Non levem difficultatem facit textus, si eo sensu sumatur, quem *Masor.* indicavere et versiones expressere.

1. Non perspicitur, cur Beniamin κατ' ἐξοχήν dicatur *dilectus Iahve*, etiam prae Levi, Iuda et Ioseph. Exiguos tribus numeros ait *Dr.*, simul cum memoria praedilectionis Iacobi patriarchae erga Beniaminum, in causa fuisse, cur h. l. tribus Beniamin blando nomine ידיד יהוה appelletur. Verum in secunda numeratione Num. 26 reperti sunt Ephraim, Ruben, Simeon, Gad, Nephthali numeris infirmiores esse quam Beniamin. Numeris inferior imprimis erat etiam Levi. Non ideo tribus dicenda est *dilectus Iahve*, quia progenitor exstitit dilectus Iacob; dilectior Iacobo Ioseph prae Beniamin. Penitusne e mente nostri vatis evanuit *lupus* ille, cui Gen. 49,27 Beniamin comparabatur? Si dixeris dilectum vocari Beniamin, quod templum postmodum intra eius fines aedificatum sit (*Cai.*), respondes id, quod e perpenso toto cap. 23 elicitur, nullam novam prophetiam nostrum vatem edere, priores prophetias quandoque repetere, sed totum in eo esse, ut benedictiones pro futuro apprecatur

2. Si accipiatur versio *dilectus Iahve*, constructio v. 12 fit plane obscura. ישכן

sicut in die *Massa* in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me et viderunt opus meum (cf. Deut. 32,4.27).

Graf aliique censuere, verba *qui dixit etc.* non esse vertenda praeteritis sed exprimere eam animi dispositionem, qua Levitas semper deceat esse paratos ad humana quaeque sacris suis officiis postponenda. Sed ea interpretatio contextu excluditur. v. 8 unam recensebat rationem dignitatis Levitis collatae et nunc confirmatae, fidelitatem tempore ante acto apud Massam et Meribam exhibitam; altera v. 9 pars rursum recenset aliquam eiusdem rei praeteritam rationem; ergo item prior v. 9 pars recenseat oportet aliquam collati privilegii praeteritam rationem. Est idem sensus maxime obvius formarum verbalium האמר, הכיר, ירע, quas ideo tantum de futura aliqua animi dispositione interpretati sunt Graf etc., quod acta apud Meribam non habuerint satis perspecta. Duo tristicha v. 8.9ª intime iungenda sunt inter se, ergo ad idem factum praeteritum referantur necesse est. Persensit *Dr.*, ad aliqua h. l. alludi Hebraeorum acta nobis non satis perspecta; putavit verba *qui dixit etc.* primum enuntiare generosam illam animi dispositionem, qua Levitas affectos esse deceat, simul vero alludere ad eorum praeteritam Ex. 32 generositatem : sed nulla est ratio alius h. l. generositatis appellandae praeter eam, quam Massae et Meribae Levitae exhibuere.

Quoniam «[*hi*] *custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt* ». Coordinant haec duo incisa etiam *LXX Chald. Syr.* ינצרו pro יצרו in pausa cf. Prov. 2,11; 5,2; Ps. 60(61), 8; 77(78),7; 104 (105), 45. Ceterum potuit etiam י initiale errore voci accrescere, ut primitus fuerit נצרו correspondens praecedenti שמרו. Quod si nolueris admittere debebis tueri auctorem primum cogitasse expressionem יצרו בריתך, dein inverso verborum ordine tamen retinuisse verbi formam eam, quae proprie conveniret ו consecutivo : ובריתך ינצרו. Quaeritur porro, illa duo incisa trahendane sint ad praecedentia an ad sequentia. Ad priora trahit interpunctio, quae nunc est in *Hebr. Sam. Chald. Syr.* Datur igitur ratio, cur v. 8 illis Urim credatur : *quia* custodierunt etc., habebunt Urim. Vel resumuntur, quae v. 8ᵇ.9 dicebantur : *profecto* custodierunt etc. Possunt tamen etiam illa incisa (cf. *Vulg.*), et fortasse aptius, trahi ad sequentia : *quia* custodierunt etc., ex officio docebunt et sacris litabunt. Ceterum sensus manet fere idem, totaque tandem quaestio divisione stropharum dirimitur.

v. 10 *Docebunt* « *iudicia tua, o Iacob, et legem tuam, o Israel* ». Dele vocativos : docebunt Iacobum iudicia tua, et Israelem thoram tuam; suffixa uti antea ad Iahve referuntur. In praemium fidei primum ex officio erunt doctores populi (cf. Os. 4,6; Mich. 3,11; Mal. 2,7 sqq. etc. — *Calm.*), secundo erunt ministri sacrorum : « *ponent thymiama in furore tuo* » — verte *in naribus tuis* : incensi quippe fragrantia delectabatur numen, eamque veluti naribus hauriebat —

« *et holocaustum super altare tuum* ». Concludit benedictio appellato rursum nomine Iahve : v. 11 « *Benedic, Domine, fortitudini eius* ». Sed potius cum *Chald.* verte *possessioni eius* (cf. Gen. 34,29; Iob 20,15; Deut. 8,17 sq.; Ruth 4,11; Prov. 31,29); prosperitatem etiam opum apprecatur Levitis, quorum opes cum imprimis constent primitiis et decimis, non poterant eae florere, nisi simul totius populi florerent res. « *Et opera manuum illius suscipe* », opera cultus. Sequitur benedictionis pars negativa : « *Percute dorsa inimicorum eius* » — *Hebr.* : *consurgentium in eum*, ludit cum sequente *consurgant* — « *et, qui oderunt eum, non consurgant* ». *Hebr.* : *et osorum eius, ita ut non consurgant.* Cuius *coxa* vulneratur, is assurgere nequit.

Beniamin v. 12.

v. 12 Manus : manus Iahve — requiescat secure super ipsum,
impendens si tota die. — inter humeros eius quiescat.

Arg. — Beniamino, qui forti *manu* Moysis partes tuitus est, apprecatur vates, ut *manu* Iahve constanter protegatur.

v. 12 « *Et Beniamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter, in eo [quasi in thalamo] tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet* ».

חפף ἅπαξ λεγόμενον. Cum *Vulg.* (*quasi in thalamo morabitur*) consentit *Aq.* παστώσει; cum *LXX* (σκιάζει) consentiunt *Theod.* σκεπάσει, *Chald. erit protectio*, *Syr.* מרחף a רחף, *ferri supra, impendere* (an forte genuina lectio רחף pro חפף?). Versiones igitur voci significationem tribuunt fere synonymam verbi שכן. — Varii codices hebraei omittunt secundum עליו; habent illud quidem textus recepti omnes, sed prius עליו ignorant *Sam. Syr.*, *LXX* pro eo legentibus uti crediderim עליון. — Non levem difficultatem facit textus, si eo sensu sumatur, quem *Masor.* indicavere et versiones expressere.

1. Non perspicitur, cur Beniamin κατ' ἐξοχήν dicatur *dilectus Iahve*, etiam prae Levi, Iuda et Ioseph. Exiguos tribus numeros ait *Dr.*, simul cum memoria praedilectionis Iacobi patriarchae erga Beniaminum, in causa fuisse, cur h. l. tribus Beniamin blando nomine ידיד יהוה appelletur. Verum in secunda numeratione Num. 26 reperti sunt Ephraim, Ruben, Simeon, Gad, Nephthali numeris infirmiores esse quam Beniamin. Numeris inferior imprimis erat etiam Levi. Non ideo tribus dicenda est *dilectus Iahve*, quia progenitor exstitit dilectus Iacob; dilectior Iacobo Ioseph prae Beniamin. Penitusne e mente nostri vatis evanuit *lupus* ille, cui Gen. 49,27 Beniamin comparabatur? Si dixeris dilectum vocari Beniamin, quod templum postmodum intra eius fines aedificatum sit (*Cai.*), respondes id, quod e perpenso toto cap. 23 elicitur, nullam novam prophetiam nostrum vatem edere, priores prophetias quandoque repetere, sed totum in eo esse, ut benedictiones pro futuro apprecatur

2. Si accipiatur versio *dilectus Iahve*, constructio v. 12 fit plane obscura. ישכן

עליו vertendum erit : Beniamin *requiescet iuxta* Iahve (*Vat.*), cum nequeat Beniamin adstrui requiescere *super* Iahve. Ubi apposite *Dr.* : « Considerato multiplici usu praepositionis על ad significandum *iuxta, fortasse non erit negandum* שכן על hac significatione scribi *posse;* tamen על sensu *iuxta* raro scribitur de personis, praeterquam cum verbis עמד et נצב, quae verba significationem *eminendi* (to stand over) includunt; nunquam vero cum שכן et ישב ». — Si חפף sit fere synonymum verbi שכן, eandem difficultatem patitur constructio חפף על. Si vero ei competat significatio *circumplectendi*, quam e lingua arab. radici vindicant, non poterit Beniamin affirmari *circumplecti iuxta* Iahven, neque Iahven *eminendo super* illum, sed mutandum erit subiectum atque suffixi relatio : habebis Iahve circumplectentem Beniaminum protectoris instar. — Iahve certe erit quarti stichi subiectum, suffixumque referetur ad Beniamin : non enim fingi potest *Beniamin requiescere inter humeros Iahve,* « quae est imago inepta minimeque concordans praecedenti sticho » (*Dr.*). De Ex. 19,4; Deut. 32,11 v. nostros commentarios. Is. 46,4 portat Iahve Israelem, sed nequaquam super humeros. Dicendus ergo erit *Iahve requiescere inter humeros Beniamin.* Ubi monent, humeros dici etiam latera montium, demonstrari templum aliquando intra fines Beniamin in monte Sion exstruendum. Verum Deut. 33 non tradit novas prophetias, neque prophetiam de templo. Perquam dure affirmatur Iahve quiescere in humeris Beniamin metaphorice intellectis, dum modo dicebatur Beniamin quiescere iuxta Iahve sensu plano locali.

Igitur primam vocem *Sam.* dividit in duas : יד יד יהוה, *manus, manus Iahve*, quod ideo etiam commodius videtur, quod generatim singuli stichi plus duabus vocibus constent. Igitur Beniamin est *filius dexterae* seu *filius manus dexterae* (cf. Gen. 35,18; Ps. 79[80],18). *Manus* porro translata significatione exprimit robur, auxilium, exercitum. Moyses v. 12 contuitus coram se Beniamini castra exclamat : *Manus*, — i. e. verus Beniamin, manus mea dextera in rebus difficillimis; dein eidem imagini conformans totam benedictionem pergit : *manus Iahve requiescat super ipsum secure, impendens ei tota die, inter humeros eius quiescat.* Idem usque servatur subiectum. Manus humeris vel inter humeros apposita videtur esse insigne protectionis. Beniamino igitur, praemium fidei in deserto strenue servatae, apprecatur Moyses Iahvae protectionem specialem, continuam, permanentem. Tamen verba sunt benedictio tantum, non vaticinium, neque habetur allusio ad arcam aliquando intra fines Beniamin substituram (*Chald.* : cf. שכינתא).

Ioseph v. 13-17.

Stropha 1ª : bonorum affluentia v. 13-16ª.

v. 13 Benedicta a Iahve sit terra eius : — de optimis coeli desuper, — de abysso iacente deorsum,

v. 14 de optimis fructibus solis, — de optimis proventibus lunarum,

v. 15 de vertice montium antiquorum, — de optimis collium aeviternorum,

v. 16 de optimis terrae et plenitudinis eius, — gratiosum donum quiescentis in rubo.

Stropha 2ª : primogenitura et dona ex illa derivanda v. 16ᵇ.17.

Procedant nunc in caput Ioseph — et in verticem principis fratrum suorum
v. 17 primogenitura, auctoritas et maiestas ipsi; — cornua eius cornua bonassi sunto;
in ipsis prosternat gentes, — simul omnes terminos terrae.
Hi sunt myriades Ephraim, — et hi sunt chiliades Manasse.

Arg. — Benedictio duas strophas habet, quarum prior bonorum affluentiam Iosepho apprecatur, altera efflagitat, ut unctionis instar in caput eius descendat cum primogeniti iure maiestas, potentia atque numerosa posteritas. Ita, inverso ordine, eaedem ideae atque Gen. 49,22-26 exprimuntur. Stropha prior verbotenus fere repetit Gen. 49,25 sq., altera res distinctius proponit quam Gen. 49,22-24.

v. 13 « *Ioseph quoque ait : De benedictione Domini terra eius* ». מברכת non est nomen praefixam habens praepositionem מן, sed est participium pual : *Benedicta a Iahve sit terra eius*. Varii porro fontes enumerantur, e quibus benedictiones in Ioseph sint derivandae : coelum et mare, sol et luna, montes et colles, terra eiusque plenitudo. Desideratur, ut Iosepho obtingant *de optimis* singulorum fontium; tamen in iis, quae a vatis notitia sunt remotiora, abyssus aquarum et capita montium, omittitur expressio *de optimis*, considerantur illa in cumulo, nulla adhibita distinctione eorum quae aut magis aut minus bona sunt. Quaecunque autem e fontibus quibusvis Iosepho obveniunt, ea efficiunt unum *gratiosum donum* Dei, ea quippe expressio pro appositione totam enumerationem v. 13-16ᵃ claudit. Fontes illi ipsi certo ordine recensentur : v. 13 habet aquas superiores et inferiores, v. 14 astra, v. 15 superiores partes terrae, v. 16 reliquam terram. « *De pomis* », seu verius *de optimis*, « *coeli* [*et*] *rore atque* » *de* « *abysso subiacente* ». Omnium maxime necessaria ad fertilitatem sunt humor desursum descendens, et fontes e visceribus terrae scaturientes (*Dr.*).

Deut. 33,13 ממגד שמים מטל ומתהום רבצת תחת
Gen. 49,25 ברכת שמים מעל ברכת תהום רבצת תחת.

Vel sola horum textuum comparatione commendatur lectio *Syri* (cf. *Chald.*) מעל pro מטל, quam praeterea parallelismus cum תחת fere reddit necessariam. Ergo : *de optimis coeli desuper etc.* v. 14 « *De pomis* », seu verius *de optimis*, « *fructuum solis ac* » *de optimis proventuum* « *lunae* », accuratius *lunarum*, ergo *mensium*.

Deut. 33,14 ממגד תבאת שמש וממגד גרש ירחים
Gen. 49,25 ברכת שדים ורחם.

Vix שמש corruptum supponi potest e שדים : sed שדים corruptione oriri potuit e שנים, et רחם e ירחים, ut Gen. habuerit *annos* et *menses*, Deut. *solem* et *lunas*. Tamen mera binarum vocum similitudo non sufficit ad demonstrandam textus corruptionem Gen. 49,25 factam : potuit quippe noster vates vocibus simile quid sonantibus sensum exprimere sensui verborum Gen. 49,25 affinem quidem, at simul ab eodem paulo diversum. Quod idem dicendum erit de v. 15 cum Gen. 49,26 comparato. v. 15 « *De vertice antiquorum montium, de pomis* », seu verius *de optimis*, « *collium aeternorum* ». בראש h. l. parallele scribitur ad ממגד Gen. 49,26, non tamen eundem habet sensum. De capite montium descendunt aquae nivium solutarum vel fontium; non est in his discrimen optimorum et eorum, quae optima non sunt; colles e contra habent vineas, oliveta etc. *Antiqui* autem et *aeviterni* dicuntur montes et colles, quia usque iidem permanent, dum campi fluminumque alvei varias subeunt mutationes.

v. 16 « *Et de frugibus terrae et de plenitudine eius* », — verius : *et de optimis terrae et plenitudinis eius*. In oppositione ad v. 15 *terra* intelligitur regio demissior, montibus et collibus subiecta, *plena* segetibus etc. In proxime sequentibus autem non excidit מ ante רצון (*Dillm.*) : *de beneplacito illius etc.*; sed totus stichus est appositio ad v. 13-16 : quidquid de optimis quibusque Iosepho tribuetur, erit *beneplacitum requiescentis in rubo*, a favore Iahve in Israelem procedet; is enim Ex. 3,2 sqq. in rubo apparuit — « *benedictio illius, qui apparuit in rubo* ». Correspondent inter se huius prioris strophae stichus ultimus et primus.

« *Veniat super caput Ioseph et super verticem nazaraei* » — seu verius uti Gen. 49,26 *principis* — « *inter fratres suos* ». His nos secundam inchoamus stropham. Concordant ea verbotenus cum Gen. 49,26, praeter primam h. l. vocem תבואתה, quae evidenter correspondet primae ib. voci תהיין. Est autem תבואתה forma certe corrupta; correctiones, quas varii tentavere, v. apud Dillm.; nos suggerimus תבואנה, *veniant*, forma feminina ob nomen fem. v. 17 בכיר.
v. 17 « [*Quasi*] *primogeniti tauri pulchritudo eius* ». ***Hebr.*** *primogenitus tauri eius pulchritudo est ei*. Suffixum incommodum ignorant *Sam.* et versiones. At eo etiam ignorato impervius manet verborum sensus : num primogeniti semper ceteris pulchriores? quis inciso huic grandiloquo aeque atque obscuro locus in benedictione secus tota perspicua? Divide voces ita : בכיר שיר והדר לו *primogenitus principatus et maiestas est ei*. Recordare (p. 110), in antiquis codicibus saepe omitti consuevisse terminationes ה, ם, ת, superscripta praecedenti consonanti lineola, quae a scribis facilius ignorabatur.

Ergo pro בְּכֹר corrige tandem בְּכֹרָה et verte : *Veniat nunc super caput Ioseph primogenitura, principatus et maiestas ei.* Non poterat in hac benedictione taceri ius primogeniturae a Iacob Rubeno ademptum et in Iosephum translatum : cf. 1 Par. 5,1 et CG p. 581. Hoc ius consequitur principatus, principatum maiestas. שֹׁר, nomen formatum a שׂרר, *regere* (Iud. 9,22 etc.). Cuiusmodi nominum formationes discutit *E. König* : Historisch-Kritisches Lehrgebäude der hebr. Sprache II. 1 p. 45, Leipzig 1895. *Cornuum* in sequenti inciso mentio ratio aliqua esse potuit, cur posteriores Iudaei primam vocis שֹׁר literam punctaverint *schin* loco *sin*. « *Cornua rhinocerotis cornua illius* ». Tribuitur Iosepho indomita fortitudo *bonassi* seu bovis primigenii, qui omnia cornibus prosternebat. Aut illa bonassi comparatio Semitis Asiae anterioris erat valde usitata, aut eam vates mutuatus est e Num. 23,22; 24,8. Si hoc, negari vix poterit, vatem Balaami eloquia pro veris prophetiis habuisse. « *In ipsis ventilabit gentes* » illas cornibus, i. e. fortitudine sua prosternet : verbum de animalibus cornupetis praedicari solitum (Ex. 21,28.31 sq.). יַחְדָּו, cum ob sensum tum ob stichorum symmetriam ad sequentia trahendum : *simul omnes terminos terrae*, seu « [*usque*] *ad terminos terrae* ».

« *Hae sunt multitudines Ephraim, et haec millia Manasse* ». *Myriades — chiliades*. Prioris וְהֵם cum *Sam. LXX Vulg. Syr.* omitte copulam. Illi, quibus hae benedictiones obvenient (*Men.*), erunt etc. Extenduntur igitur benedictiones cum ad Ephraim tum ad Manasse; sed Ephraim primo loco nominatur, ei igitur principatus domus Ioseph attribuitur; Ephraim pronuntiatur futurus longe numerosior Manasse (*Bonfr.*; cf. Gen. 48,19). Si autem numeris inferior Manasse, erit inferior etiam in reliquis divinis favoribus, etenim numerosa proles habebatur horum favorum potissimus. Larga igitur Ephraimo benedictio tribuitur, angustior certe Manasse.

Zabulon et Issachar v. 18 sq.

v. 18 Laetare, Zabulon, in negotio tuo — et, Issachar, in tentoriis tuis.
v. 19 Populos exterminent vocentque nomen, — immolent victimas iustitiae
pro affluentia marium, quam suxerunt, — pro thesauris absconditis arenae.

Arg. — Dirigitur oratio aeque ad Zabulon et ad Issachar, non ut unus alteri praeficiatur (v. 17), sed ut agant ut fratres. Feliciter potitis finibus suis apprecatur vates, ut florentes numeris et mercatura in cultu divino fideles perseverent.

v. 18 « *Et Zabulon ait : Laetare, Zabulon, in exitu tuo et, Issachar, in tabernaculis tuis* ». Versus sequentem versum veluti compendio

resumit. *In exitu tuo* per se designare potest egressum ad cuiusvis generis opera : ad bellum (*Sa, Malv.*), ad negotiationem (*Mar., Men., Tir.*). Porro, cum Gen. 49,13 sq. praenuntietur Zabulon negotiatione maritima, et Issachar agris colendis esse ditandus, cumque Issachari etiam tabernacula h. l. efferantur, recte censet *Bonfr.* h. l. alludi ad Gen. 49,13 sq., et *exitum* intelligi exitum ad merces Phoenicum accipiendas. *Dr. in exitu* et *in tabernaculis* censet poetice idem edicere atque *in exitu et in introitu* (cf. Ps. 120 [121],8) : adverte tamen, aliud h. l. esse subiectum *exeundi*, aliud subiectum *in tabernaculis* versandi seu *introeundi*.

v. 19 « *Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiae* ». עַמִּים הַר יִקְרָאוּ non est hebraeum. Sed *LXX* ἐξολοθρεύσουσι καὶ ἐπικαλέσεσθε (!) suggerit genuinam lectionem יהרגו יקראו. Certe vates non suggerebat, ut illae tribus *ibi*, i. e. in finibus suis propriis, sacrificia offerrent : ergo שם mutata punctatione ad priora trahas vertasque : *populos exterminent*, qui fines illis destinatos obtinerent, *vocentque nomen*, i. e. (Ruth 4,11) illorum populorum loco numerosam ipsi gignant posteritatem. Neque otiose eae tribus, quae longissime a sanctuario habitaturae sunt, monentur ut *immolent victimas*, i. e. ut a cultu divino non deficiant, et quidem *victimas iustitiae*, i. e. ut in illis immolandis omnem observent iustitiam, illas immolent loco et ritu a Iahve praecepto. « *Qui* », seu *quia*, « *inundationem maris* [*quasi lac*] *sugent, et thesauros absconditos arenarum* ». Ratio victimarum immolandarum gratiarum actio pro divitiis mercatura acquisitis : *in exitu*. Ita indirecte has etiam divitias illis apprecatur vates. Ἅπαξ λεγόμενον שֶׁפַע (cf. שִׁפְעָה) *abundantiam* sonat, *LXX* πλοῦτος. Belle dicuntur abundantiam marium *sugere*, qui in litore vel haud procul a litore incolentes mercibus mari advectis ditantur. *Maria* aut praeter Mare Mediterraneum designat etiam lacum Genesareth, aut denotat oceanos magis dissitos, quorum merces per Mare Mediterraneum oris Syriae advehuntur. — Ἅπαξ λεγόμενον שׂפן *Vulg. Chald.* vertunt *thesauros*. Reapse utraque radix שׂפן (= ספן) et טמן, cum significationem habeat *abscondendi*, ad significationem *thesaurus* descendere potest : est enim thesaurus reconditum quid. Admirationem faciunt duo illi status constructi וּשְׂפֻנֵי טְמוּנֵי חוֹל : parallelismus cum priore sticho potius exigit verbum finitum, etiam ideo quod *thesauri litoris* non aeque commode *sugantur* atque *abundantia maris*. Corrigendum fortasse וְשִׂפְּנוּ טְמוּנֵי חוֹל, et *recondant thesauros litoris*. Abundantia maris, i. e. merces navibus advectae, in litus profunduntur, atque inde reconduntur ab accolis litoris et ab iis, qui cum illis mercaturam exercent.

Gad v. 20 sq.

v. 20 Benedictus, qui dilatat Gad! — Sicut leo quiescit — et discerpit brachium cum vertice.
v. 21 Et prospexit primum sibi, — quoniam ibi divisisti sceptrum clam! — et adiit capita populi.
Iustitia Iahve facta est, — et iudicium eius cum Israel.

Arg. — Maledictio haec est potius quam benedictio. Benedicitur v. 20 non ipse Gad, sed *dilatator Gad*, i. e. Iahve. Extollitur Gadi fortitudo. Sed v. 21 acerbe reprehenditur Gad, quod sibi uni prospiciens clam egerit, ut Moysen ad concedendam sibi terram transiordanicam adigeret. Sententiam Num. 32,37, qua eorum tandem petita concedebantur, affirmat profluxisse e *iustitia Iahve* : ferant ipsi consequentias.

v. 20 « *Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad* ». Sed vertendum cum *LXX Chald. Syr.* : *Benedictus, qui dilatat Gad.* Benedictio directe fertur non in Gad, sed in Iahve. רחב non consuevit scribi de multiplicatione prolis, sed de extensione finium (cf. Ex. 34,24 etc.); participium connotat actionem non futuram, sed praesentem vel praeteritam ad tempus praesens continuatam : dilatavit igitur Gadum Iahve, quando latos illi trans Iordanem concessit fines. In quibus finibus attribuendis benedicitur non Gado, sed Iahve. « *Quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem* ». Sed verba (cf. *Syr.*) actionem praesentem describunt : *Quasi leo quiescit,* obtentis trans Iordanem finibus, quos sibi tamquam praedam *suam* exegit, *et discerpit brachium cum vertice,* parte capitis posteriore. Acceperit haec aliquis, ut mere amplificent imaginem leonis super praedam quiescentis. Adverte tamen, tum temporis Gadum in novis suis finibus quiescentem reapse unguibus tenuisse praedam suam. Discerpserat is Israelem, duas tribus cum dimidia in perpetuum a reliquo populo separaverat, alieniores futuras a vita Israelis. Violenter sibi suam portionem arripuerat Gad, non caput aut cor, sed veluti brachium unum; ita ferociter illud avellerat, ut pellem etiam posteriorem capitis una decerpserit. Notabamus, Num. 32,1 praemitti quidem nomen Ruben primogeniti nomini Gad, sed in tota reliqua actione (v. 6.25. 29.31.33.34.37) constanter praemitti Gadum, ut is videatur consilii potissimus fuisse instigator. Quam opinionem reapse confirmat Deut. 33 tam severe in hac re reprehendens Gadum, nullatenus vero v. 6 Rubenum.

Missa iam metaphora describit vates scelus Gad. v. 21 « *Et vidit principatum suum* », — ראשית non est *principatus*, et לו non est

suus sed *sibi*. Verte : *Prospexit primum sibi* (cf. Gen. 22,8; Deut. **12**, **13**). Debebat Israelita quilibet primum prospicere utilitati Iahve et populi, quam Gad postposuit commodo suo — « *quod in parte sua doctor esset repositus* ». כי שם חלקת מחקק ספון. Adverbium est ספין = *clam*. מחקק, *sceptrum* Gen. 49,10 synonymum est vocis שבט, atque uti illa metaphorice designat *tribum*. חלקת non est nomen sed verbum 2^{ae} personae : *quoniam ibi divisisti tribum clam*. Sicut Gen. 49,4 indignatione abreptus vates Rubenum 2^{a} persona directe alloquitur, mox redit ad 3^{am}, ita h. l. pariter indignatione abreptus vates Gadum 2^{a} persona alloquitur, moxque redit ad 3^{am} : *et adiit capita populi* (Num. 32,1), ubi *Vulg.* : « *qui fuit cum principibus populi* ». Lucem haec afferunt narratis Num. 32 : Gad rem primum egit *clam*, consilia furtim contulit cum Rubeno, suos per urbes transiordanicae disposuit; post haec adiit Moysen et capita populi.

« [*Et*] *fecit iustitias Domini et iudicium suum cum Israel* ». Non utique Gad *fecit*, sed aliquis fecit, factum est. Sententia, quam Num. 32,20-24. 28-30 pronuntiavit Moyses, est *iustitia* et *iudicium Iahve*, sententia iusta quoad Israelem, qui a sociis segnioribus separatur, iusta quoad Gadum, qui specie tenus desiderata nanciscitur, revera multis benedictionibus privatur.

Dan, Nephthali, Aser v. 22-25.

v. 22 Dan catulus leonis — prosiliat de Basan.
v. 23 Nephthali, saturate favore, — replete benedictionibus Iahve, — mare et meridiem possideas.
v. 24 Benedictus in filiis Aser, — gratiosus sit fratribus suis, — tinctus in oleo pes eius.
v. 25 Ferrum et aes claustrum tuum, — duret, quamdiu vixeris, prosperitas tua.

Arg. — Diversae plane indolis leones sunt Gad et *Dan* : ille suis in finibus quiescens, hic fortis et alacer ultra Iordanem prosiliens. — Bona quaeque et spatiosos fines vates *Nephthali* apprecatur. — *Asero* apprecatur numerosam prolem, fratrum gratiam, abundantiam olei et metallorum, et haec omnia quidem perpetuo duratura.

Benedictio *Dan* brevis, nomen Iahve non habet, non dirigitur ad Dan. Recole, Dan non fuisse infimae notae tribum, sed Num. 2,25 ducem unius e quatuor exercitibus. Fortasse Danitae erant de numero eorum, qui ad praesidia missi fuerant in *Basanitiden*. Affirmatur Dani energia, qui non patiatur se detineri voluptatibus transiordanicae. Ceterum benedictio, aliis benedictionibus comparata, habet nescio quid languidum. Explicite ne emolumentum quidem Dano apprecatur vates, sed id quod emolumentorum causa esse poterit : *Prosiliat*.

v. 22 « *Dan quoque ait : Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan* ».

Brevis benedictio *Nephthali* habet tamen nomen Iahve. Vota sunt faustissima, expressiones sat generales, oratio ad Nephthali dirigitur (v. s.). v. 23 « *Et Nephthali dixit : Nephthali abundantia perfruetur et plenus erit benedictionibus Domini, mare et meridiem possidebit* ».

Sed quomodo *mare et meridies* tribuuntur Nephthali, cuius fines ad mare non pertingebant et in parte septentrionali terrae sanctae erant? Maro intelligit *Tost.* lacum Genesareth; sed recte monet *Bonfr.* hac voce, quando absolute scribatur, designari Mare Mediterraneum; recte item *Cai.*, hoc mare, quod ad occidentem fuerit terrae sanctae, scribi etiam pro occidente. Habemus iam *occidentem et meridiem*. Totus tractus cisiordanicus pro vate trans Iordanem constituto pertinebat ad *occidentem*. Apprecatur vates huic tribui fines *duarum dimensionum*, non tractum aliquem longum et angustum, incursibus undique patentem, sed longum simul et latum. Ad hoc exprimendum debuit *occidenti* adscribere aut *septentrionem* aut *meridiem* : adscripsit meridiem. Non effatur prophetiam, Nephthali habiturum fines meridiem versus, cum hoc capite a novis edendis prophetiis temperet; non exprimit desiderium, cum totam cisiordanicae divisionem commiserit Iosue; sed exprimit fines spatiosos, compactos.

In benedictione *Aser* desideratur nomen Iahve. Alludit fortasse benedictio ad nominis etymon, quod *felicem* sonat : quare omnimodam apprecatur felicitatem, pressius tamen quam Iosepho v. 13-17. v. 24 « *Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser* », numerosam nanciscatur prolem; « *sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum* ». Ita abundet oleum, ut eo Aser pedes ungat non hospitum solum honorandorum, sed suos. De *oleo* cf. CG p. 600. v. 25 « *Ferrum et aes calceamentum eius* » : non erat sane ferreis calceamentis usurus Aser. מנעל est *claustrum* portarum (cf. *Calm.*); ea consueverant esse lignea : sed tantam metallorum copiam habeat Aser, ut ligneis claustris substituat metallina. Non dicitur intra fines Asero assignandos futuras esse fodinas metallorum : comparaturus haec erat Aser a Phoenicibus, pendens illis oleum, triticum etc. « *Sicut dies* [*iuventutis*] *tuae, ita et senectus tua* ». דבא ἅπαξ λεγόμενον, de cuius sensu ambigunt versiones : *Aq.* ἕξις (?), *LXX Chald. Syr. fortitudo*. Textus utique nihil habet de *iuventute* et *senectute* : Asero demonstratur robur, prosperitas perennis : quot sunt dies tui, tanta sit fortitudo (?) tua, nunquam deficiat.

Conclusio v. 26-29.

Stropha 1ª : Encomium Iahve v. 26 sq. 29cf.

v. 26 Non est alius Deus Ieschurun, — qui vehitur super coelos in auxilium tibi, — et in magnificentia sua super aethera.

v. 27 Habitatio eius sunt tabernacula antiqua, — subter ipsum sunt, quae seminavit ab aevo.
Expulit a facie tua inimicum, — et dixit : Conterere,
v. 29^{ef} et adulati sunt tibi osores tui, — tu autem super excelsa eorum gradieris.

Stropha 2^{a} : Encomium Israelis v. 28.29^{a-d}.

v. 28 Habitat Israel secure, — seorsim fons Iacob,
in terra frumenti et musti, — cœlum etiam eius effundit rorem.
v. 29 Beatus es, o Israel : quis similis tui, — populc salvate a Iahve?
Scutum auxilii tui ipse est, — idemque gladius gloriae tuae.

Arg. — Iahvae nullus aequiparari potest, qui unus coelum inhabitat, nubibus vehitur, terrena cuncta disponit, inimicos Israelis prosternit plenumque ei largitur triumphum. Israel securus habitat in terra fertilissima, cui nullus aequiparari potest populus, cum Iahven habeat protectorem.

Putabat *Rup.*, haec ad benedictionem Aser spectare : at perperam, etiamsi quis forte in voce אשר יך v. 29 deprehendere sibi videatur allusionem ad nomen Aser. Spectant ea universum Israelem (*Bonfr.*), suntque conclusio correspondens exordio v. 2-5. Credideris conclusionem, uti exordium, duabus strophis constare quaternorum distichorum (vel trist.) : textus, qualis nunc est, habet tristichum unum et disticha septem, in duas strophas inaequales distributa. In his, quales nunc leguntur, insignis deprehenditur *rerum* symmetria. Prior stropha de laudibus agens Iahve, eius celebrat *excellentem* maiestatem (1 trist.), qui unus in coelis *habitet* (1 dist.), Israelemque ab hostibus *defendat* (1 dist.); altera stropha Israelem extollens, populum demonstrat *habitantem* in terra fertilissima (2 dist.), populos omnes *excellentem* (1 dist.) prosperitate, et *defensum* a Iahve (2 dist.). Singula disticha (vel tristicha) et ipso orationis rhytmo, et idearum affinitate, et Masoretharum distinctionibus clare discernuntur. Admirationem facit, strophas esse inaequales, primam stropham desinere in divinum imperium « Conterere », cuius nullus secutus effectus demonstretur, extrema secunda stropha, quae tota est in Israelis prosperitate describenda, redire sermonem ad hostium cladem, quae tamen eius prosperitatis conditio sit atque necessarium praeambulum. Quae difficultates omnes evanescunt perfectaque habetur stropharum symmetria, si ultimum secundae strophae distichum transferatur ad calcem strophae prioris : habentur iam strophae duae quaternorum distichorum (vel trist.), sermoque symmetrice absolutus. v. 29 ויכחשו forma est eiusdem *temporis*, atque v. 27 ויגרש et ויאמר. Quam probabilem coniecturam nos in textu supra descripto expressimus.

v. 26 « *Non est* [*Deus alius*], *ut Deus rectissimi* », i. e. *Ieschurun* (cf. v. 5). *Masor.* punctant : *Non est* alius, *ut Deus, o Ieschurun*! Licet comparatio cum *diis aliis* prima fortasse menti occurrat, tamen non ad hanc explicite restringuntur verba. Omnibus autem supereminet Iahve, quia unus coelis moderatur, orbem creavit, inimicos prosternit. « *Ascensor coeli auxiliator tuus* », seu *in auxilium tuum*. רכב : qui sive equo sive curru vehitur; hoc alterum h. l. intelligitur,

quod Iahve saepe exhibeatur coelo vel nubibus vectus tamquam curru. « *Magnificentia eius discurrunt nubes* ». *Hebr.* parallele ad praecedentia : *et in magnificentia sua super aethera*, sc. vehitur. Maxime phaenomenis coeli manifestatur Dei maiestas. v. 27 « *Habitaculum eius sursum* ». Cum מענה non sit status constructus, ergo punctandum est tamquam habens suffixum (cf. *LXX*). Quo facto illico necessaria esse deprehenditur correctio אלהי in אהלי : *Habitatio eius sunt tabernacula antiqua*, i. e. coelum. Etiam v. 15 iungebat voces קדם et עולם. « *Et subter brachia sempiterna* ». זרעת revoces non ad זרוע, *brachium*, sed ad זרעה, *seminatio, id quod seminatur* : *et infra, seminatio aeviterna*; omnes creaturae sunt instar seminum, quae Deus seminantis instar proiecit et e quibus segetem exspectat. « *Eiiciet* » : *eiecit* et, quia de constanti Dei agendi ratione sermo est, usque *eiiciet*, « *a facie tua inimicum dicetque : Conterere* ». Punctant *Masor. Chald. Syr. contere* : verum, ad quem dirigatur oratio, non comparet. Puncta igitur cum *LXX Vulg.* niphal : solo Dei *verbo* conteruntur inimici. Cuius verbi effectus, quod modo coniiciebamus, describitur extremo v. 29 disticho huc transferendo. Porro formae *eiecit, dixit* non efficiunt vatem vixisse post subactam ab Hebraeis terram sanctam, sed constantem Iahve agendi rationem demonstrant, quam tenuit in deserto tenebitque deinceps.

Similiter v. 28.29[a.d] describitur *futura* Israelis in terra sancta conditio, ac si *praesens* adesset : *habitavit* — et *habitat*. Est haec figura sermonis poetis et oratoribus usitatissima, e qua minime fas est inferre Israelem tempore vatis cis Iordanem incoluisse. Hoc enim toti carminis contextui adversatur, quod est in futuris bonis apprecandis. v. 28 « *Habitabit Israel confidenter, et solus oculus Iacob, in terra frumenti et vini, coelique caligabunt rore* », i. e. *effundent rorem*, cf. ad 32,2. בדד secundum *Masor.* et stichorum distinctionem trahendum est ad duas voces sequentes. Quid vero *oculus* seu *fons Iacob*? *Fons*, i. e. posteritas (Ps. 67 [68], 27; cf. Is. 48,1) *Iacob*, idem sonat atque *Israel*. Pro אל *Sam.* על (cf. *LXX Vulg. Syr.*). Tam coeli quam terra in felicitatem Israelis conspirabunt.

v. 29 « *Beatus es tu, Israel : quis similis tui, popule, qui salvaris in* », i. e. *a*, « *Domino? scutum auxilii tui et gladius gloriae tuae* ». Pro נושע *Sam.* הנושע. Israel certam habet ab inimicis salutem Iahven, qui ei est scutum et gladius, arma defensiva et offensiva, quibus et protectio comparetur et gloria. Stichus מגן עזרך brevior est, crediderimque in eius fine excidisse vocem היא, (ita *Arabs; Syr.* אל). Quo suppleto explicatur etiam sequens אשר. Quod nequit verti *Aser*, cum is non sit ita aequiparandus Iahve, neque *felicitas*, cui tamen

vix est locus inter *scutum* et *gladium* : est ergo pronomen : est *scutum ipse, idemque gladius.* « *Negabunt te inimici tui* ». Item aliqua lectio *LXX*. Sed lectio recepta et *Chald. Syr.* : *mentiti sunt tibi*. Sume sensum, quem verbi piel praebet Ps. 17 (18),45; 65 (66),3; 80 (81), 16 : *adulati sunt tibi*. Cum se impares esse agnoscant ut armis tecum contendant, ad blandities descendent. « *Et tu eorum colla calcabis* ». Item *LXX Chald. Syr.* : depictos habes in monumentis reges Assyros, qui pede premunt colla inimicorum subactorum. Sed *Hebr. Sam.* indubie legunt *excelsa* (cf. 32,13). Diutius resistunt inimici in excelsis quam in planitie : illa ubi tandem calcat victor, subegit omnia. Ceterum extremum distichum censemus esse transferendum ad calcem v. 27.

5. *Moysis mors, sepultura, elogium Deut.* 34.

Arg. — Moyses, e monte contuitus terram promissam, moritur, sepelitur, plangitur Iosuenque accipit successorem. Anni vitae, robur corporis, prophetiae excellentia traduntur.

Cap. XXXIV. Moyses exsequitur mandatum 3,27; 32,49 acceptum. v. 1 « *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab* », de planitie Ierichunti obiecta ad orientem Iordanis, ubi castra habebant Hebraei (Num. 22,1; 26,3.63; 31,12; 33,48 sq.; 35,1; 36,13), « *super montem Nebo in verticem Phasga contra Iericho* » (cf. ad Num. 21,20). Porro ex monte Nebo (881 m. super Mare Medit. et 1.311 m. super Mare Mortuum) similiterque ex Ras Siaghah illi proxime adiacente (765 et 1.195 m.) conspiciuntur montes Hermon nivibus opertus, Thabor, Ebal et Garizim, montes Beniamin et Iuda, Olivarum et Sion, montes circa Bethlehem et Hebron, Mare Mortuum usque Engaddi. Nequaquam conspicitur Mare Mediterraneum neque extremitas australis Maris Mortui (*Dr.*). « *Ostenditque ei Dominus omnem terram* » : h. l. scribe comma, *Hebr.* inserit את; sequentibus haec expressio *totam regionem* accuratius definitur : « *Galaad usque Dan* », — intelligitur Dan illa in extremis terrae sanctae finibus aquilonem versus sita, nunc Tell-el-Kadi sed pridem Lais appellata (Ios. 19,47; Iud. 18,29), de cuius nomine dicebamus ad Gen. 14,14. Porro regionis descriptio ab aquilone orsa descendit austrum versus : v. 2 « *et universum Nephthali* », — Cum conspexerit Moyses montem Hermon, qui ultra Dan extremosque Nephthali fines assurgit, merito affirmatur Moyses conspexisse universum Nephthali et Galaad usque Dan : non affirmatur contuitus esse ipsam Dan Lais — « *terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Iuda usque ad mare novissimum* », quod hic uti

alias Mare Mediterraneum intelligi debet, v. 3 « *et australem partem* », i. e. *Negeb*, cuius urbes enumerantur Ios. 15,21-32. Redit tandem descriptio ab austro ad ea, quae contuenti proxime adiacent: « *et latitudinem* », ככר = *circulum* (cf. ad Gen. 13,10 sqq.), i. e. tractum in utraque Iordanis ripa a lacu Genesareth ad extremitatem septentrionalem Maris Mortui. Sed eodem nomine ob similem locorum conformationem vocabatur item litus australe Maris Mortui, ubi Sodoma itemque Segor. Porro, quod noster hic textus unum continuum *circulum* a Iericho usque Segor videatur supponere, probabile fit nomine *circuli* venire totum Mare Mortuum cum planitie tam septentrionali (Iericho) quam australi (Segor) illi adiacente. Illico igitur, quam circuli partem potissimum in mente habeat, definit scriptor: « *campi* », seu verius *campum* « *Iericho, civitatis palmarum* » (cf. Iud. 1,16; 3,13; 2 Par. 28,15) « *usque Segor* », quae non alia est nisi urbs, de qua Gen. 19,20 sqq.

Quaeritur, quomodo dicatur Moyses ex illo monte conspexisse Mare Mediterraneum et urbem Segor, quae ex illis locis absolute conspici nequeunt. Et potuit quidem v. 1 vere ille dici conspicere totam regionem usque Dan, quod non ipsam quidem Dan, sed ultra illam Hermonem conspexerit. At nullatenus pertingebat acies oculorum ad Mare Mediterraneum et urbem Segor, multoque minus ultra ea loca. Ubi *Tost.* autumat, oculos Moysis tum esse supernaturaliter roboratos ita, ut omnia per totam terram sanctam distincte viderit, etiam ea quae propter obiectos montes etc. naturaliter conspici non possent. Adverte *Sam.*, loco totius descriptionis a *Galaad* usque *Segor*, habere haec: *a flumine Aegypti ad flumen magnum, flumen Euphraten, et usque ad Mare Mediterraneum.* Aliquando igitur Iudaei licentia aliqua utebantur in describendis finibus *totius regionis*; eos in nostrum textum introduxere fines, qui aevo davidico aliove fines revera exstitere. Quod semel factum est, potuit fieri saepius: ergo non constat, num voces *usque ad Mare Mediterraneum, usque Segor* primitus in textu fuerint.

v. 4 « *Dixitque Dominus ad eum: Haec est terra, pro qua iuravi Abraham, Isaac et Iacob dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam* ». v. 5 « *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini* », — quem Iahve Num. 12,7 sq. vocaverat « servus meus » (cf. Ios. 1,1.2.7.13.15 etc.); quo nomine etiam vocatur Iosue Ios. 24,29; Iud. 2,8 — « *in terra Moab* », non in terra patriarchis promissa, « *iubente Domino* », secundum divinum decretum Num. 20,12; 27,13; cf. Deut. 1,37. *Secundum os Iahve* etiam mortuus est Aaron Num. 33,38. v. 6 « *Et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor* », in eadem valle, ubi antea Num. 21,20; Deut. 3,29; 4, 46 castra Israel fuerant; unde non sequitur sepultus esse Moyses in ea vallis parte, ubi castra fuerant, sed in loco abditiore. « *Et non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesentem diem* ».

ויקבר, *sepelivit*, unde apud Iudaeos nata est opinio, Iahven ipsum sepelisse prophetam, a qua haud longe abest *Ios.* narrans, Moysen conscendisse montem comitibus Iosue, Eleazaro et senibus (γερουσία), post circumspectam totam regionem dimisisse senes et, dum Iosuen et Eleazarum amplecteretur, nube quadam ex eorum conspectu esse abreptum. Verene Iahve, qui impuritatum legalium maximam esse contactum cadaveris Hebraeis inculcabat, credi voluit Moysen ipse sepelisse? ויקבר etiam verti potest *sepelivit aliquis*, *LXX* ἔθαψαν. Neque obest, neminem novisse locum. Si enim 2 Mach. 2,7 affirmetur plane ignotus mansisse locus, in quem Ieremias abdidit arcam, quem tamen certe ipse Ieremias norat, cur non hic affirmetur plane ignotus item mansisse locus, ubi sepultus est Moyses, licet aliqui illum norint? איש, i. e. reliqui omnes illum ignoravere; noverint Iosue et Eleazar, sed secretum tacuerint, uti postea novit et tacuit Ieremias. Si Dei voluntas erat, ut locus penitus ignotus maneret, cur tamen prodidit Deus cadaver de vertice montis in *vallem* esse remotum? At expressio est omnino plana, si supponas socios cadaver de vertice montis, qui non erat locus usitatus sepulturis, transtulisse in vallem, dein eosdem vel pauciores aliquos illud detulisse in speluncam. Similiter fuere aliqui, qui Ieremiam iuvere in asportandis de Ierusalem sacris in eundem montem Nebo, sed solus Ieremias novit locum. Non est necesse, cum *A. Loisy* (Revue d'histoire et de littérature religieuses III [1898] p. 502-507) duos adstruere scriptores, quorum unus 34,6ᵃ locum sepulturae Moysis compertum habuerit, alter 34,6ᵇ eundem se ignorare profiteatur. Eidem vero auctori facile concesserim, etiam ideo Hebraeis celatum esse locum sepulturae Moysis, quod is locus prope abesset a sanctuario Beelphegor essetque periculum, ne Hebraei eum locum pro religione adeuntes in superstitionem rursus prolaberentur. — His expeditam habes alteram quaestionem, *solusne* montem conscenderit Moyses. Id negabant LXX *Ios.*, quibus favere videtur contextus. — Quibus quaestionibus lucem nequaquam affert Iud. v. 9, qui per transennam attingit altercationem quamdam « de corpore Moysis » Michaelem inter et diabolum, ut monitum quoddam morale ex illa depromat; sed qua de re et quando fuerit illa altercatio, non prodit. Interpretes paucas quasdam coniecturas recensent. *Oecumen.* (*M.* 119,713) meminit dicentium, cum vellet Michael Moysis corpus sepelire, illud sibi vindicasse diabolum ob caedem Aegyptii Ex. 2,12 a Moyse patratam. *Est.* (Comment. in Epist.) aliam recitat rationem, voluisse diabolum, ut locus sepulturae Moysis non servaretur secretus, quo Hebraei ad cultum superstitiosum pellicerentur. Alii coniiciunt, noluisse diabolum Moysis corpus servari incorruptum : cf. *I. E. Huther* : Kritisch-exegetisches Handbuch u. s w., 5. Aufl. Leipzig 1887, p. 296.

v. 7 « *Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est* » ; cf. Ex. 7,7; Num. 33,39; Deut. 31,2; « *non caligavit oculus eius* » (cf. Gen. 27,1), « *nec dentes illius moti sunt* ». Cogitabat *Hier.* de לחי, quod est *maxilla,* non *dens*. לחה, ἅπαξ λεγόμενον, a לח *recens* : ergo *non recessit vigor eius, Chald.* : *splendor gloriae faciei eius*. Cf. varias lectiones *LXX*. v. 8 « *Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus; et completi sunt dies planctus lugentium Moysen* ». Cf. Num. 20,30 (29). Post expletum luctum Iosue imperium exercere coepit. v. 9 « *Iosue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas* ». Cf. Num. 27,16 sqq.

« *Et obedierunt ei filii Israel feceruntque, sicut praecepit Dominus Moysi* ». *Hebr.* : *audierunt et fecerunt*, i. e. audita exsecuti sunt; utrumque praeceperat Deus. v. 10 « *Et non surrexit ultra* », usque ad scriptoris tempus, « *propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem* », sicut cum amico immediate conversatus est : cf. Ex. 33,11; Num. 12,8; Deut. 5,4; v. 11 « *in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis eius universaeque terrae illius* ». v. 11 sq. novum addit respectum, secundum quem usque ad scriptorem non exstitit propheta similis Moysi : unicus fuit, non solum quod unus noverit Iahven facie ad faciem, sed item *quoad signa etc.*, quae fecit coram Aegyptiis et ad eorum potissimum animos edocendos, et *quoad* posteriora deserti signa, quae fecit non coram Aegyptiis, sed coram solis filiis Israel. Erant autem haec signa *manus fortis*, considerata virtute, quae ad illa patranda requirebatur, et *terror magnus* considerato effectu, quem in animis producebant : v. 12 « *et cunctam manum robustam magnaque mirabilia, quae fecit Moyses coram universo Israel* ».

ויקבר, *sepelivit*, unde apud Iudaeos nata est opinio, Iahven ipsum sepelisse prophetam, a qua haud longe abest *Ios.* narrans, Moysen conscendisse montem comitibus Iosue, Eleazaro et senibus (γερουσία), post circumspectam totam regionem dimisisse senes et, dum Iosuen et Eleazarum amplecteretur, nube quadam ex eorum conspectu esse abreptum. Verene Iahve, qui impuritatum legalium maximam esse contactum cadaveris Hebraeis inculcabat, credi voluit Moysen ipse sepelisse? ויקבר etiam verti potest *sepelivit aliquis*, *LXX* ἔθαψαν. Neque obest, neminem novisse locum. Si enim 2 Mach. 2,7 affirmetur plane ignotus mansisse locus, in quem Ieremias abdidit arcam, quem tamen certe ipse Ieremias norat, cur non hic affirmetur plane ignotus item mansisse locus, ubi sepultus est Moyses, licet aliqui illum norint? איש, i. e. reliqui omnes illum ignoravere; noverint Iosue et Eleazar, sed secretum tacuerint, uti postea novit et tacuit Ieremias. Si Dei voluntas erat, ut locus penitus ignotus maneret, cur tamen prodidit Deus cadaver de vertice montis in *vallem* esse remotum? At expressio est omnino plana, si supponas socios cadaver de vertice montis, qui non erat locus usitatus sepulturis, transtulisse in vallem, dein eosdem vel pauciores aliquos illud detulisse in speluncam. Similiter fuere aliqui, qui Ieremiam iuvere in asportandis de Ierusalem sacris in eundem montem Nebo, sed solus Ieremias novit locum. Non est necesse, cum *A. Loisy* (Revue d'histoire et de littérature religieuses III [1898] p. 502-507) duos adstruere scriptores, quorum unus 34,6ᵃ locum sepulturae Moysis compertum habuerit, alter 34,6ᵇ eundem se ignorare profiteatur. Eidem vero auctori facile concesserim, etiam ideo Hebraeis celatum esse locum sepulturae Moysis, quod is locus prope abesset a sanctuario Beelphegor essetque periculum, ne Hebraei eum locum pro religione adeuntes in superstitionem rursus prolaberentur. — His expeditam habes alteram quaestionem, *solusne* montem conscenderit Moyses. Id negabant LXX *Ios.*, quibus favere videtur contextus. — Quibus quaestionibus lucem nequaquam affert Iud. v. 9, qui per transennam attingit altercationem quamdam « de corpore Moysis » Michaelem inter et diabolum, ut monitum quoddam morale ex illa depromat; sed qua de re et quando fuerit illa altercatio, non prodit. Interpretes paucas quasdam coniecturas recensent. *Oecumen.* (*M.* 119,713) meminit dicentium, cum vellet Michael Moysis corpus sepelire, illud sibi vindicasse diabolum ob caedem Aegyptii Ex. 2,12 a Moyse patratam. *Est.* (Comment. in Epist.) aliam recitat rationem, voluisse diabolum, ut locus sepulturae Moysis non servaretur secretus, quo Hebraei ad cultum superstitiosum pellicerentur. Alii coniiciunt, noluisse diabolum Moysis corpus servari incorruptum : cf. *I. E. Huther* : Kritisch-exegetisches Handbuch u. s. w., 5. Aufl. Leipzig 1887, p. 296.

v. 7 « *Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est* » ; cf. Ex. 7,7 ; Num. 33,39 ; Deut. 31,2 ; « *non caligavit oculus eius* » (cf. Gen. 27,1), « *nec dentes illius moti sunt* ». Cogitabat *Hier.* de לחי, quod est *maxilla*, non *dens*. לחה, ἅπαξ λεγόμενον, a לח *recens* : ergo *non recessit vigor eius*, *Chald.* : *splendor gloriae faciei eius*. Cf. varias lectiones *LXX*. v. 8 « *Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus; et completi sunt dies planctus lugentium Moysen* ». Cf. Num. 20,30 (29). Post expletum luctum Iosue imperium exercere coepit. v. 9 « *Iosue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas* ». Cf. Num. 27,16 sqq.

« *Et obedierunt ei filii Israel feceruntque, sicut praecepit Dominus Moysi* ». *Hebr.* : *audierunt et fecerunt*, i. e. audita executi sunt; utrumque praeceperat Deus. v. 10 « *Et non surrexit ultra* », usque ad scriptoris tempus, « *propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem* », sicut cum amico immediate conversatus est : cf. Ex. 33,11; Num. 12,8; Deut. 5,4; v. 11 « *in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni et omnibus servis eius universaeque terrae illius* ». v. 11 sq. novum addit respectum, secundum quem usque ad scriptorem non exstitit propheta similis Moysi : unicus fuit, non solum quod unus noverit Iahven facie ad faciem, sed item *quoad signa etc.*, quae fecit coram Aegyptiis et ad eorum potissimum animos edocendos, et *quoad* posteriora deserti signa, quae fecit non coram Aegyptiis, sed coram solis filiis Israel. Erant autem haec signa *manus fortis*, considerata virtute, quae ad illa patranda requirebatur, et *terror magnus* considerato effectu, quem in animis producebant : v. 12 « *et cunctam manum robustam magnaque mirabilia, quae fecit Moyses coram universo Israel* ».

INDEX.

INTRODUCTIO.

ORATIO MOYSIS PRIMA, QUAE EST PARAENESIS THORAE, DEUT. 1,1-4,43.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA, PARS I : PENTALOGUS CUM PARAENESI DEUT. 5-11.

THORAE EMBLEMA PRIMUM : COLLECTANEUM LEGUM DEUT. 12,1-26,15.

THORAE EMBLEMA ALTERUM : VERBA IOSUE DEUT. 26,16-27,26.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA,
PARS II : BENEDICTIONES ET MALEDICTIONES DEUT. 28,1-29,1.

HISTORIA SOLEMNITATIS FOEDERIS RESTITUTI IN TERRA
MOAB DEUT. 29,2-31,13.

ACTA ULTIMAE DIEI VITAE MOYSIS DEUT. 31,14-34,12.

[redacted]

THORAE EMBLEMA ALTERUM : VERBA IOSUE DEUT. 26,16-27,26.

ORATIONIS MOYSIS SECUNDAE, QUAE EST THORA,
PARS II : BENEDICTIONES ET MALEDICTIONES DEUT. 28,1-29,1.

HISTORIA SOLEMNITATIS FOEDERIS RESTITUTI IN TERRA
MOAB DEUT. 29,2-31,13.

ACTA ULTIMAE DIEI VITAE MOYSIS DEUT. 31,14-34,12.

[redacted]